



JOANNIS CLERICI

LOGICA, ONTOLOGIA, ET PNEUMATOLOGIA.

—*Neque decipitur Ratio, neque decipit unquam.*
Manilius.

EDITIO QUINTA.



LONDINI:
Typis JOHAN. CHURCHILL, in nigro Cygno vico vulgo dicto *Pater-noster-Row.*
M.DCC.XVI.

DOCTISSIMO ET ACUTISSIMO VIRO JOANNI LOCKIO S. P. D. JOANNES CLERICUS.

CUM Opuscula hæc nostra Philosophica recuderentur, & mutanda esset primi voluminis Dedicatio; non deliberavi, ACUTISSIME LOCKI, an eam nomini Tuo inscripturus essem, cùm jam antea eorum partem Tibi consecrassem. Quæ sola ratio, ejus apud me ponderis esse debuit, ut omnem dubitationem, si quæ fuisset, animo meo excuteret. Sed præterea, cùm maximo usui Tua mihi Scripta fuerint hæc scribenti, & facem in obscurissimis quæstionibus sæpe prætulerint; *fateri*, in limine hujus Opellæ, *per quem profecissem, ingenui*, ut ille ait, *pudoris* esse duxi. Ut à furtis omnibus naturâ sum alienissimus: ita etiam ad reddendum hujusmodi mutuum, *cùm præsertim sors fiat ex usura*, paratissimus semper fui.

Cùm partes aliquot & Epitomen Operis Tui *de Intellectu*, cedro digni, antequàm prælo committeretur, legerem; multa, de quibus diu varias animo versaram cogitationes, clariùs & copiosiùs explicata, multa mihi prorsus nova, cum summa voluptate lustrabam. Jam dudum arctiores, quàm vulgò creduntur, cognitionibus nostris fines à Creatore positos animadverteram; at eos limites, humanæ numquam transiliendos naturæ, perspicuè signare, Tuum erat. Qua in re, non minùs utilem erudito orbi operam præstitisti, quàm qui inventis suis æternam sibi peperere laudem; neque enim eruditione nova, magis quàm certa ignorantiæ nostræ cognitione, indigemus. Plura certè, dum nos ea scire putamus quæ latent, quàm scientiæ inopiâ, quotidie peccamus.

 Eodem

Eodem in Libro omnium notionum quas animo formare licet, originem & natales; sermonis, quo eas exprimimus, usum ac significationem; quæ nos ad dubia, verisimilia, vera, & falsa judicia ferenda adducant, ostendere felicissimè adgressus es. Judiciorum autem nostrorum fontes, verborum quibus utimur potestatem, notionúmque nostrarum aut occasiones, aut archetypa noscere, quanti sit in investigatione veri; ii demum ignorant qui in se numquam descenderunt, nec Philosophiam, vel à limine, salutarunt. Certè si ab ultimo de re qualibet à nobis lato judicio, ad prima usque ratiocinationum nostrarum initia, vestigia nostra relegendo, retrogredi sciremus; falsa à veris faciliùs, quàm ullâ aliâ methodo, & certiùs secerneremus.

Hæc cùm omnibus veri amantibus maximæ esse viderem utilitatis, potissimùm iis qui studiorum ineunt curriculum, auro contrà cara non esse debere intelligebam. Molienti ergo mihi Opuscula, quibus studiosæ juventuti ad Philosophiæ cognitionem via sterneretur, nihil commodius ac felicius accidere potuit aurei Tui Operis lectione; unde innumeras, in rem meam, eximias observationes derivare poteram. Multa itaque hîc videbis, quæ Tibi deberi senties, & nos ultrò profitemur. At brevitas, in hujusmodi libris necessaria, & Scholarum mores, qui sine Sudiosorum detrimento violari nequeunt, ne ingenii nostri tenuïtatem memoremus, nos in arctiorem gyrum coëgerunt. Quibuscumque hæc accuratiùs nosse cordi erit, eos Operis Tui, VIR DOCTISSIME, copiosissimis laticibus se proluere oportet. Nos interea hujus Opellæ non pœnitebit, modò ne iis quæ à Te habemus, vim & pondus detraxerimus, aut nostrarum, alienarúmque observationum misturâ, nativum cogitationum Tuarum splendorem obnubilaverimus. An autem quod voluimus adsequuti simus, Tu omnium certissimè judicabis; & qui majorem judicii Tui rationem, quàm nos, habeat, frustra quæsiveris. Vale, VIR PRÆSTANTISSIME, & nos amato.

LEC-

LECTORI
S. P. D.
JOANNES CLERICUS.

CUM docendæ Philosophiæ munere, ab aliquot annis, pro virili defungerer, primùm aliena Scripta interpretari adgressō molestum hoc accidebat; quòd cum dogmata aut per omnia non probarem, aut multa exigui usûs æquo prolixiùs tradi, aliáque utilissima vel jejunè tractari, vel prorsus omitti viderem; quædam inter legendum oppugnare, alia supplere ac pluribus diducere cogerer. Cùm itaque mihi ea res molestiam, & audientibus tironibus studiorum perturbationem crearet; tandem ad scribenda ea, quæ mihi veriora & utiliora videbantur, eâ Methodo, quam commodissimam ducebam, animum adpuli. Logicam, Ontologiam, Pneumatologiam, & Physicam *eam in rem conscripsi, atque edidi; quibus omnia necessaria studiorum Philosophicorum initiis complexus mihi videor.*

Si in Logica, ut ab ea incipiam, nihil esse novi, aut pleraque nova dixerim, Lectorem perinde fefellero. Methodum in Scholis sine ratione, ut videbatur, usitatam sæpe immutavi; multáque quæ in Logica, quamvis ad ratiocinandi Artem pertineant, tradi non solent, iis quæ vulgò in hujusmodi libris inveniuntur addidi; ut, vel ex Capitum Inscriptionibus, colligere Lectores poterunt. Summatim tamen hîc potissima quæque indicabimus.

Quæ de Idearum septem generibus, in Prima Parte, docentur, ea in aliis Logicis aut planè omitti, aut perfunctoriè ac leviter attingi solent; quæ tamen maximi esse momenti, ubi de simplici Perceptione *agendum, quicumque ea legerint, ut spero, non diffitebuntur. At ne in ingenuitatem peccemus, ingrative animi peccatum admittamus, eximio libro Anglicè scripto, cui* Tentamen de Intellectu *modestissimus idémque acutissimus Scriptor* JOANNES LOCKIUS *titulum fecit, plurima nos debere profitebimur. Cùm hæc primum scripsimus, ejus Epitomen videramus, ex qua multa disertè tradita hausimus, nec pauca ex admissis Principiis consectaria deduximus; quæ per omnes hosce Philosophicos libros, sed præsertim in Logica, passim sparsa sunt.*

In Secunda Parte, præter præcipuas quæ tradi solent, de Propositionem generibus, Doctrinas; à Capite septimo ad decimum, de Veritate, Verisimilitudine, Falsitate *&* Fide, *ea scripsimus quæ in aliis hujuscemodi Opusculis, non sine magna discentium jactura prætereuntur, aut nimiâ brevitate docentur.*

In Parte Tertia, de utraque Methodo, Synthetica *&* Analytica, *multò quàm fieri solet, (exemplum Logicæ Gallicè conscriptæ, quæ* Portûs Regii *dicitur, sequuti) copiosiùs & accuratiùs egimus. Ex eo libro pleraque quæ ad Syntheticam Methodum pertinent, mutuum sumsimus, quæ exemplis tamen nostris ut plurimum illustravimus. Ex' alio celeberrimo Opere Gallico, quod* de Inquirenda Veritate *inscribitur, cùm multa ex iis quæ de* Attentione *&* Capacitate *Mentis dicta sunt, tum pleraque quæ de Analytica Methodo docentur, in hanc nostram Logicam, more nostro expolita & illustrata, derivavimus. Qua in re exemplis, quæ ex Mathematicis disciplinis petuntur, ut plurimum insuper habitis, alia substituimus. Hæc, nimirum, alia ferè studia culturis scripta sunt, ideóque ea attulimus exempla, ex quibus intelligerent, quâ arte argumenta Ethica, aut Historica excuti accuratissimè possint. Ac sanè de hisce periculosissimi sunt hominum errores: ut indidem maximi momenti dogmata petita sunt. Capitis ultimi argumentum cui potissimùm debeamus, in ima pagina professi sumus; quod quamvis Logicis inusitatum, nemo, ut opinor, extra rem esse queretur.*

In Quarta denique Parte, traditis Argumentationis *solitis Legibus, Artes quarum ope, sine illis, reponi faciliùs quibusvis Syllogismis, & disceptari candidiùs ac utiliùs queat, ostendimus.* Socraticam Methodum *rectiùs disceptandi Artem diximus, quòd Socrates eâ felicissimè primus usus sit, & ejus Canonas ex Socraticorum Scriptorum lectione collegerimus. Ut in re ipsa iis, qui* Xenophontem, *aut* Platonem *legerunt, nihil erit novi: ita eam in Logicam, prout nunc vulgò docetur, transtulisse novum plerisque videbitur. Ratio verò solvendorum sine Regulis Syllogismorum, ea, simplicissima licèt atque ex ratiocinationis natura petita, à nemine, qualis hîc describitur, quem equidem norim, tradita fuerat. Si tamen hæc, aut quævis alia, quæ nova existimavi, alibi inveni-*

inveniantur, ea ad alios referantur per me licet. Discentium commoda, non gloriam hîc spectavi.

Ad hæc, quæ præter Logicorum morem, seu alios paucos sequuti, seu sine exemplo docuimus, duo accedunt memoratu, ut opinor, haud indigna. Primò, ubique Doctrinas minùs utiles, & quas, propter consuetudinem tantùm, omittere nefas duximus, ab iis quæ majores usus præstant, diligenter secrevimus, atque utrarumque momenta indicavimus. Qua in re, Peripateticis vetustioribus, & recentioribus Scholasticis parum honorifica multa diximus; quæ fortè aut omisissemus, aut iis condonassemus, nisi per plura sæcula magni ea fecissent Scholæ; quarum auctoritati, ne diutiùs noceret, aperta opponenda fuit veritas. Secundò, quod & aliis ante nos feliciter cessit & Rationi consentaneum est, exemplis Scholasticorum, ridiculis plerumque, abstinuimus, ut seriis & utile quidpiam complexis uteremur. Petita, fateor, plurima sunt ex Theologia, quam cùm oporteret, apud omnes Christianos, accuratissimis constare ratiocinationibus, maximo Reipublicæ Christianæ malo, Sophismatibus omnis generis, apud quasdam Christianæ Religionis familias, scatet. Alioquin ex alia quavis Disciplina exempla petere potuissemus, nisi ex hac innumera nobis sponte se se ingessissent. Certè si usquam non errare nostrâ refert, hîc intererat, & facile fuit: nisi potiùs quàm Logicæ, vel rectæ Rationis haud fallacem ductum sequi, multi Christiani lites serere, & factiones alere maluissent. Verùm hæ querelæ non sunt hujus loci. Addidimus in hac Editione Dissertationem de argumento Theologico ab invidia ducto, *quam veri amantes legisse, nisi fallimur, non pœnitebit. Res certè agitur maximi momenti, & quotidiani fermè usûs, de qua tamen plerique vix umquam seriò cogitarunt.*

Quid in Ontologia *&* Pneumatologia *conati simus, utrique præfixæ docebunt Præfationes. In hac ut in illa, præsertim tamen in priore, potissima quæ à Peripateticis tradi solent; paucis explicuimus. Sed quia jejunum nimis fuisset Opus, solam Historiam opinionum Scholasticarum complexum, subinde utiliores disquisitiones à nobis adspersæ sunt. In multis quidem* Renatum Cartesium *sequimur, ita tamen, ut sæpe quid in ejus opinionibus à nobis desideretur, indicaverimus. Vir summus & præ-*

ceptis & exemplo nemini, à quo evidens non ſtaret veritas, aaſenſum præbendum eſſe nos docuit; nec ſe hac in parte imitatos, ſi viveret, jure vituperare poſſet. Idem ante nos viri doctiſſimi, qui Carteſium *ceteris omnibus Philoſophis præferebant, factitarunt. Ab eo diſcedentes, ipsâ illâ quam tradidit methodo, non aliâ, quod erraverat deprehenderunt; ideóque ſi ſingularia ejus dogmata non probent, viam ſaltem ab eo oſtenſam ſibi calcatam, grato animo profiteantur neceſſe eſt. An autem meritò in ſuas ipſum quandoque peccaſſe leges cenſuerimus, judicabunt harum rerum periti.*

Haud rarò oſtendere quidem nos poſſe credidimus, Carteſium, *aliósque rem acu non tetigiſſe, ſed meliora afferre non potuimus; niſi rem ſibi ignotam fateri, cùm ignota eſt, quàm notam ſimulare, aut perperam exiſtimare, ſatius habeatur. Si veritatem ipſi invenire non potuimus, at eam, quæ ſecunda laus eſt, undecumque affulgebit, amplecti ideo paratiores nobis eſſe videbamur.*

Ceterùm ſtylo noſtro tenui, nec ubique Latino, non eſt cur à Lectore veniam petamus. Romani ipſi, cùm primùm Latinè philoſophari cœperunt, multas dictiones procudere præſenti notâ coacti ſunt, propter Linguæ ſuæ egeſtatem; quæ hodie nobis major eſt, qui haud paullò plura dicimus, quàm umquam cogitarunt hîſce de rebus Veteres Romani. Ideoque ſcholaſticarum vocum uſus, hodie philoſophantibus, vitio verti nequit. Omne quod de re bona dilucidè dicitur, *Ciceroni ipſi* præclarè dici videtur. Iſtiuſmodi enim res, *eodem judice,* dicere ornatè velle, puerile eſt; planè autem & perſpicuè expedire poſſe, docti & intelligentis viri.

In hac tamen Editione innumeris in locis ſtylum norum refinximus, cùm perſpicuitatis causâ, tum etiam ne ſine neceſſitate barbari fuiſſe videremur. Ad res etiam ipſas quod attinet, nonnulla emendavimus, atque adjecimus, ob quæ hæc Editio prioribus multum anteferenda eſt; quas qui habent, ſi nobis credant, abjicient, ut hac utantur, ſi modò hæc noſtra opuſcula uſui eis eſſe poſſint. Addimus præterea nonnulla Veterum loca, ſed non ſæpe, quibus videbantur noſtra confirmari aut illuſtrari. Ea aliud agentibus occurrerunt, nec datâ operâ ullum quæſivimus; cùm hic non auctoritate, ſed ratione nitamur. Vale, LECTOR, *& commodis tuis inſervientibus faveto.*

LOGICA,

SIVE

ARS RATIOCINANDI.

PRÆFATIO.

De Origine, Natura, Usu, & Divisione Logices.

1. LOGICAM, spectatam summatim, esse *Artem ratiocinandi*, ex quo ejus nomen auditum est, omnes norunt. * A *Zenone Eleate*, *Parmenidis* Auditore, qui circiter CCCCL annis ante Christum floruit, inventa perhibetur. Post Zenonem alii, præsertim Peripatetici & Stoïci, Logicam excoluerunt, & novis observationibus immane quantùm, ut jam, vel mole suâ molesta facta sit, auxerunt.

2. Ut intelligantur origo & usus hujus Scientiæ, inventorum & excultorum Logices cognoscendus est scopus. Tempore Zenonis, & sequentibus etiam sæculis, Græci, præ ceteris Gentibus, loquacitate, & cujusvis argumenti oppugnandi ac defendendi extemporaneâ facultate, mirum in modum, delectabantur; ut ex universa Græcorum Historia, & præsertim vitis Philosophorum, constat. Hoc cùm animadverterent Dialectici, ex observatione sermonis hominum, quæsiverunt copiosæ orationis fontes, & rationes varias quibus solerent vera, aut falsa probari; atque inde Artem Dialecticam, quæ apud veteres Logicos, verborum potiùs est quam cogi-

* *Diog. Laërtius in Præf.*

tationum, conficere se posse judicarunt. Non ad investigationem veri, sed ad facilem tantum de omnibus disputationem, viam aperire studebant.

§. 2. *Oppugnandi ac defendendi.*] *Plutarchus* in Pericle de ipso *Zenone*: διήκουσε δὲ Περικλῆς καὶ Ζήνωνος τοῦ Ἐλεάτου, ἐλεγκτικήν τινα καὶ δι᾽ ἀντιλογίας εἰς ἀπορείαν κατακλείουσαν ἐξασκήσαντος ἕξιν, ὥσπερ καὶ Τίμων Φλιάσιος εἴρηκεν διὰ τούτων:

> Ἀμφοτερογλώσσου τε μέγα σθένος οὐκ ἀπάτηλον
> Ζήνωνος πάντων ἐπιλήπτορος.

Audivit Pericles & Zenonem Eleatem, qui reprehendendi quemdam habitum, & contradictione ad perplexitatem deducentem sibi paraverat, quemadmodum & Timon Phliasius hisce verbis dixit: vim magnam, neque fallacem in utrumque linguam paratam habentis & omnia defendentis Zenonis. Vide *Protagoram, Euthydemum, & Georgiam Platonis.*

3. Ut voti compotes fierent, primùm ad quæ generalia nomina res omnes possent, aut solerent referri, observarunt. Atque inde nata sunt *Universalia*, quæ dicuntur, & *Categoriæ*, de quibus in prima Logices Parte agemus. De Universalibus & Categoriis varias Regulas, petitas etiam ex observatione sermonis quotidiani, tradiderunt; quibus positis, quotiescumque sermo erat habendus de re quapiam, dispiciebant ad quodnam Universale, aut ad quam Categoriam referri posset; ac de ea ex Regulis positis, non ex intima rei cognitione, loquebantur. Itaque hæc Dialecticæ Pars Nomenclatura, seu Dictionarium fuit, cujus ope nomina quædam rebus imponebant, & memoriter ex Regulis seu veris, seu falsis, ratiocinabantur, ut ex illarum observationum interpretatione liquebit.

4. Hinc factum ut res vulgares admodum & omnibus notas, quasi reconditas doctrinas enunciarent, propter artem ad quam sua dicta exigebant; seu potiùs propter Dictionarium, quo constanter utebantur, & in quo etiam voces erant novæ, quibus sermo quotidianus destitui videbatur. Ita si quis quæreret quid sit *Homo*? reposuisset Philosophus esse *Animal rationale*, ex ordine Universalium suorum; quod idem erat, ac si dixisset Homini imponi nomen

men *Animal.* Quærenti, quid ſit *Planta?* *Vivens animâ vegetativâ præditum*, repoſuiſſet. Sciſcitanti quomodo *Animal* & *Vivens* differant? regeſſiſſet, Vivens eſſe *Genus* Animalis, Animal verò *Speciem* Viventis; quod huc redit, nempe, in diſtributione Entium, apud Philoſophos, *Vivens* nomen eſſe generalius, ſeu quod pluribus tribuitur, quàm Animal. Si quis quæſiviſſet quid ſit id cui *Ratio* ineſt, quæve *Anima Vegetativa?* reſponſum accepiſſet, animam rationalem eſſe *formam ſubſtantialem* hominis, animam vegetativam formam item ſubſtantialem plantarum. Urgenti nihil repoſuiſſet, præter alia Dictionarii vocabula; quibus exhauſtis denuo incepiſſet, ſi modò in iram non erupiſſet.

5. Secundò, Dialectici quàm variè vocabula ſita in Propoſitionibus; dictionibúſne, quæ univerſales vel particulares ideas ſignificant, conſtent; quæ adverbia, ac conjunctiones uſurpentur; atque inde quot genera ſint Propoſitionum, notarunt, & multa ſubtilia hac de re ſcripſerunt, vera quidem ea ut plurimum, ſed ferè inutilia; quoniam ipsâ praxi, vitæque uſu, quidquid debet de hiſce teneri, nullo negotio diſcitur. Idem fecerunt ac ſi quis artem ſaltandi edocturus Geometria uteretur, ad oſtendendum quomodo pedes ſint movendi, quæ figuræ ſaltando deſcribi poſſint, aliáque quæ vera quidem, ſed praxi ipsâ difficiliora eſſent.

§. 5. *Vera quidem ea*, &c.] Æquiſſimum hac de re *Chii Ariſtonis* judicium: ἐοικέναι τοὺς διαλεκτικοὺς λόγους τοῖς ἀραχνίοις, ἃ καίτοι δοκοῦντα τεχνικόν τι ἐμφαίνειν, ἄχρηστά ἐστιν.

Ib. *Idem fecerunt*] Ejuſmodi Regularum nimis operoſarum abuſum ſimiliter notavit *Auguſtinus*, de Doctr. Chriſt. Lib. II. c. 37. cum *plerumque accidat, ut facilius homines eas res aſſequantur, propter quas diſcendas iſta diſcuntur, quàm talium præceptorum nodoſiſſimas & ſpinoſiſſimas diſciplinas. Tamquam ſi quiſpiam dare volens præcepta ambulandi, moneat non eſſe levandum pedem poſteriorem, niſi cum poſueris priorem; deinde minutatim quemadmodum articulorum & poplitum cardines oporteat movere, deſcribat. Vera enim dicit, nec aliter ambulari poteſt; ſed faciliùs homines hæc faciendo ambulant, quàm animadvertunt cum faciunt, aut intelligunt cum audiunt.*

6. Tertiò, obſervarunt diligenter quàm variè collocari poſſint inter ſe Propoſitiones variorum generum

nerum, atque inde confecerunt operosissimas de Argumentatione disputationes, eodémque vitio laborantes ac observationes de singulis Enuntiationibus. Si dicendum iis de aliqua re erat, orationem non deducebant ex rei illius cognitione, sed ex Regulis artis; quas unicè, omissâ rei consideratione, spectabant. Itaque dum anxii sunt de usu Regularum, ad verba tantùm & methodum attenderunt; unde evenit ut hoc unum, ex eorum scriptis, discere liceret, quo nomine afficerent rem aliquam in Philosophicis suis Lexicis, & quo ordine nomina rerum collocarent.

7. Nec reposueris eos saltem vocibus illis aliquid significasse; etenim multæ fuere, quæ nihil significarent, & de quibus tantùm hoc norant, quâ occasione essent efferendæ. Aliæ verò adeò obscuras ideas adjunctas in eorum animis habuerunt, ut ægerrimè possent distingui; aut adeò generales, ut nihil speciale, quod usui alicui esset, significarent. Hunc deinde sermonem transtulerunt ad alias Disciplinas, præsertim Physicam, & *Scholasticorum* ævo, Theologiam; quæ etiamnum hodie, apud Dialecticorum cultores, adeò inanibus vocabulis refertæ sunt, ut in Scholasticis Systematibus nihil pænè discere liceat, nisi quibus nominibus res nescio quæ Philosophis & Theologis ignotæ insigniantur, & quæ de nominibus illis definire Magistris visum fuerit.

8. Hinc fiebat ut Logicæ, in vita communi, in qua ad Dictionaria Philosophorum, eorúmque Methodum nullatenus respicitur, sed res duntaxat expenduntur, nullus esset usus. Quicumque, operâ Dialecticæ aliquamdiu datâ, ad aliud vitæ genus se conferebant, statim & vocabulorum & artis obliti, ipsâ experientiâ, quàm frustra tempus trivissent, discebant.

9. Hæc cùm multorum sæculorum fuisset methodus, tandem exorti sunt viri præstantes, qui aliam viam iniverunt, & ostenderunt Logicam, non ut artem loquendi Philosophicis vocibus, tradi oportere; sed ut artem inveniendi veri, ejúsque, voci-

bus

bus omnibus notis & intellectis, efferendi, & simul cavendi ab erroribus in quos ipsi incauti incideremus, aut ab aliis conjiceremur.

10. Itaque in hac nostra Logica, ante omnia, præcepta, quibus non ad verborum, sed ad rerum cognitionem perveniri queat, trademus. Secundo loco, paucis voces præcipuas à Scholasticis adhibitas, Historiæ causâ, interpretabimur. Sed cùm hæc posterior Pars operis nostri non propter se, verùm propter consuetudinem, tractanda à nobis suscipiatur, in definitione Logices rationem ejus nullam habemus. *Logica ars est bene ratiocinandi*, secundùm nos, non loquendi aut disputandi, ex Scholarum methodo.

11. Eam in quatuor Partes dividimus. Prima versabitur circa singulas ideas, quatenus de iis nihil affirmamus aut negamus. Scholastici *simplicem perceptionem*, quod eodem redit, materiam hujus partis faciunt, vocántque eam *primum modum differendi*. Secunda Pars ideas conjunctas considerabit, seu *Enunciationes*, quæ sunt alter modus differendi. *Circulus*, si nihil addas, simplicis perceptionis objectum significat. At si dicas: *Circulus habet circumferentiam à centro æqualiter dissitam*, variæ conjunguntur ideæ, quarum dum una de altera vel affirmatur, vel negatur, nascitur *Propositio*, seu *Enunciatio*. Tertia Pars tradet, quâ ratione disponi oporteat Enunciationes, ut veritas inveniatur, aut inventa quàm commodissimè tradatur, quæ dispositio *Methodus* dici solet. Quarta denique docebit artem disponendi propositiones, ut veritatem contradicentibus probemus, quæ *Argumentationis* nomine designari, & *tertius differendi modus* vocari solet. Quidam Methodum, de qua in tertia Parte agetur, *quartum differendi modum* vocant; quod nomen seu admittatur, seu rejiciatur, perinde est.

12. *Objectum* solet vocari id, circa quod Disciplina versatur, adeóque quatuor illa memorata *objectum Logicæ* dici solent. *Finis* est id ad quod tendit, quod est *bene ratiocinari*, & postquam bonâ ratiocinatione

ad

ad veritatis cognitionem pervenimus, eam aliis impertiri, ſi neceſſe ſit.

13. Hinc ſatis apparet, Logices maximum eſſe uſum. Primùm, inde petuntur ſubſidia, quibus poſſimus de omnibus rebus rectè ratiocinari; quod non eſt ita intelligendum, quaſi hauſtâ hujus Diſciplinæ cognitione, de quolibet propoſito argumento dicere quis poſſit ex tempore, ut veteres Sophiſtæ & Scholaſtici factitabant. Hoc tantùm volumus, Logicâ nobis aperiri viam, quam ingredi oportet, ut ad cognitionem, quanta poteſt acquiri, rerum perveniamus; & poſt diligens examen, quod interdum longum tempus requirit, judicium proferre & defendere contra diſſentientes, eorúmque placita oppugnare perſpicuè & ſolidè queamus.

§. 13. *Inde petuntur ſubſidia*] Logicam egregie laudavit *Cicero* in Bruto, ſola hac ejus deſcriptione, ubi dixit juris civilis magnum uſum apud multos fuiſſe, artem in uno *Servio Sulpicio: quod numquam*, inquit, *effeciſſet ſolius juris ſcientia, niſi eam præterea didiciſſet artem*, QUÆ *doceret rem univerſam diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando; ambigua primùm videre, deinde diſtinguere; poſtremò habere regulam qua vera & falſa judicarentur; & quæ quibus poſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia.*

14. Secundò, cognitis vocibus, quibus Scholaſtici uſi ſunt, Hiſtoriam Philoſophiæ præteritorum ſæculorum diſcimus, atque unde ſint multa Philoſophica & Theologica placita orta, cognoſcimus. Præterea, ubi ſcimus quid ſignificent voces illæ, periculum minus eſt, ne nobis imponant, qui eas certis occaſionibus adhibere norunt, néve ubi Nomenclaturam ſuam recitant, aliquid auditu dignum dicere videantur.

§. 1 . Hinc pertinet quod de univerſa Dialectica dixit *Seneca* Ep. XLIX. ſeu Lib. VI. quinta. *Nec ego nego proſpicienda iſta; ſed proſpicienda tantum, & à limine ſalutanda, in hoc unum ne verba nobis dentur, & aliquid eſſe in illis magni ac ſecreti boni judicemus.*

LO-

LOGICÆ
PARS PRIMA.
De Ideis.

CAPUT I.
De Natura & Generibus Idearum.

1. CUM Philosophi verissimè, experientiâ uniuscujusque teste, primam Mentis operationem esse rei, quæ illi obversatur, perceptionem simplicem, sine affirmatione aut negatione, observarint; necesse est inde Artis, quæ se ducem Menti profitetur, ad judicia de Ideis ferenda, initium fieri. Itaque hoc in Libro ideas, quatenus simpliciter, secluso omni judicio, à nobis considerantur, expendemus.

2. *Ideam* in genere hìc, quidquid est *objectum immediatum mentis nostræ*, seu *quod menti immediate obversatur*, appellamus. Videntur omnes ideæ originem vel occasionem (neque enim nobis satis constat quomodo procreentur) habere in sensibus & meditatione; hoc est, quidquid Menti nostræ obversatur, id ei se offerre, post perceptionem sensuum, aut meditationem Mentis; seu hæ causæ idearum, vel occasiones tantum sint. Facile hoc posset probari, si res esset hujus loci. Verum satis est, quod experientia postea comprobabit, hic poni.

§. 2. Vocem hanc primus usurpavit *Plato*, sensu paulùm diverso. *Ideas* enim omnium specierum exemplaria *νοερά*, quæ Deorum & hominum intellectibus obversari aiebat, vocavit. *Has rerum formas*, ait *Cicero* de Oratore. n. 10 *appellat ideas ille non intelligendi solùm, sed etiam dicendi gravissimus auctor & magister, Plato, easque gigni negat, & ait semper esse, ac ratione & intelligentiâ contineri.*

3. I. Sunt

3. I. Sunt ideæ *ſimplices & compoſitæ*. Simplices vocamus eas in quibus, ne Mente quidem, plura diſtinguere poſſumus; compoſitas, quæ pluribus ſimplicibus conſtant. Harum idearum exempla, ut & ſequentium ſpecierum, poſtea proferemus.

4. II. Sunt ideæ *ſubſtantiarum* & *modorum*. *Subſtantiam* vocamus neſcio quod obſcurum ſubjectum, in quo exiſtunt proprietates rerum quas novimus; *Modos* vera attributa ſubſtantiarum, quæ exiſtere ſola ſine ſubſtantiis poſſe non intelligimus.

5. III. Inter ſubſtantias & ſubſtantias, modos & modos, item modos & ſubſtantias, ſunt quædam *Relationes*. Nimirum, *conſideratio unius includit conſiderationem* alterius, ideóque relatio inter ea eſſe dicitur.

6. IV. Sunt ideæ, quæ quaſi rei alicujus exiſtentis imagines conſiderantur, & quæ Menti, ſine ulla ejus operatione, ſe ingerunt. Aliæ verò, pro arbitrio, à Mente novis ideis conjunguntur, vel iis quibuſcum conjunctæ fuerant ſpoliantur, quod fit *abſtractione*, unde *abſtractæ* dicuntur.

7. V. Sunt ideæ magis vel minùs latè patentes; ſeu paucioribus aliis ideis conjunctæ comperiuntur, vel pluribus; unde *ſingulares, particulares*, & *univerſales*, vocantur.

8. VI. Sunt ideæ *claræ*, vel *obſcuræ*. Claræ ſunt omnes ſimplices, & ex compoſitis eæ, quarum omnes partes diſtinctè animo obverſantur.

9. VII. Sunt ideæ *adæquatæ*, vel *inadæquatæ*. Adæquatas vocamus eas, quæ omnes partes rei, cujus ſunt imagines, complectuntur & Menti conſiderandas offerunt; inadæquatas contrà, quæ quaſdam tantùm partes rei, cujus ſunt imagines, continent. Ideam autem dicimus imaginem eſſe alicujus rei, quia ſtatuimus eſſe aut poſſe eſſe aliquid extra nos, quod reſpondet, ſeu ſimile eſt ideæ, quæ eſt veluti imago in qua Mens rem conſiderat. Mens enim non adhæret immediatè objectis quæ cernimus, quando ea animadvertit; ſed ea videt, ope idearum, quæ, præſente objecto externo aut commoto aliter cerebro, Menti ſe offerunt. Ita igitur ideæ objectorum,

ctorum, ex quorum occaſione excitantur, vocantur imagines.

10. Hæ ſunt ſpecies idearum, ad quas omnes, ut quidem videtur, referri poſſunt. Eas ſigillatim expendemus, & quid in iis conſideratu dignum, ad inveſtigationem veritatis, occurret, notabimus; nec præcipuas de hiſce obſervationes Veterum Philoſophorum & Scholaſticorum omittemus.

Caput II.

De Ideis Simplicibus & Compoſitis.

1. Ideas *ſimplices* ſupra à nobis diximus vocari eas, *in quibus plura ne mente quidem diſtinguere poſſumus*. Ejuſmodi ſunt plurimæ, quas ex occaſione ſenſuum habemus; plurimæ, quas Mens noſtra, ſine ſenſuum adminiculo, attentione in ſe converſá, deprehendit. Quod aliquot exemplis illuſtrabimus.

2. Ad ideas ſimplices referendæ ſunt omnes ſenſationes noſtræ. Quarum præcipuæ ad quinque claſſes redigi ſolent, pro partibus corporis, quæ commoventur. Aliæ interventu oculorum, aliæ aurium, aliæ narium, aliæ linguæ; aliæ denique attactu aliarum corporis partium ad nos appellunt. Colores ſint ideæ ſimplices, neque enim in iis partes varias diſtinguere animo licet. Exempli causâ, quis poſſet aliud reſpondere quærenti, quibus partibus ſit compoſitus color cæruleus, aut albus, &c. niſi ſe non videre in iis partes ullas, quas poſſit deſignare? Obſervandum hîc nos non loqui de corpore colorato, quod habet partes, ſed de ſola corporis perceptione, ſepoſitâ conſideratione corporis, quo ante oculos poſito, obverſatur nobis color.

3. Simplices ſunt etiam ideæ ſonitûs, odoris, ſaporis, & tactûs; licét corpora, quorum ope in nobis excitantur, variis partibus conſtent. Non negamus quidem quin varius ſonitus ſit, varius odor, varius ſapor, & varius tactus. In harmonia miſtum eſſe ſonitum acutum cum gravi, thymiamata conſtare

ſtare variis odoribus, condimenta variis ſaporibus, & tactum experiri ſimul varios appulſus corporum membra noſtra impetentium, dicere verè poſſumus. Verùm hîc de unica ſenſatione, ſeorſim conſiderata, loquimur. Ita ſi quis roſam ſubitò olfaciat, neque patiatùr ullum aliud odoratum corpus ad nares ſuas accedere, habebit ſenſationem, in quam nullas poterit diſtinguere partes. Idem autem de cæteris ſenſationibus judicium ferendum.

4. Inter ſenſationes noſtras, eminent præcipuè *Dolor*, & *Voluptas*, quæ pro cauſis, vel occaſionibus à quibus gignuntur aut excitantur, & pro membris quæ afficiuntur, variorum ſunt generum. In Dolore autem, aut Voluptate, nullæ diſtinguuntur partes, quæ à ſe invicem ſeparatæ intelligi poſſunt; quod intelligendum de ipſa ſenſatione Doloris aut Voluptatis, non de duratione; nam in hac plures partes, priores & poſteriores, poſſunt diſtingui. Sed quis dicat dolorem, qui ex punctione percipitur, aut ex nimia commotione cerebri, exempli causâ, ſentitur, conſtare partibus, quæ concurſu ſuo pariunt dolorem punctionis, aut κεφαλαλγίαν?

5. Per ſenſus etiam ad nos pervenit idea *Motûs*, cùm videmus aliquod corpus transferri ex uno loco in alium. In motu, ratione durationis, aut lineæ quam corpus motum deſcribit, aut celeritatis, poſſe partes diſtingui fateor. Attamen ſi motum in genere, per abſtractionem, contemplemur; in eo nullas oſtendi poſſe partes, quibus diſſolutis pereat motus, & conjunctis oriatur denuo, quod licet in omnibus compoſitis deprehendere, facilè animadvertemus.

6. Si ad ideas, quæ ex Mentis meditatione ortum ducunt, convertamur, multas quoque ejus eſſe ſimplicitatis, ut ne minima quidem partium diſtinctio locum in iis habere queat, comperiemus. Ita ſi conſideremus quid ſit *velle*, *nolle*, *judicare*, & nitamur partes in iis ideis quærere, fruſtra nos eſſe illico videbimus.

7. Quamvis, ut jam dixi, in duratione ſint partes, quarum alias aliæ antecedunt; ſi *exſiſtentiæ* ideam abſtractam contemplemur, nullas etiam in ea partes depre-

prehendemus, nec eſt quod interroganti, quibus partibus conſtet exſiſtentia, reſpondeamus.

8. Non opus eſt plura idearum ſimplicium exempla colligamus. *Compoſitas* vocamus eas, in quibus varias ideas ſimplices, quæ diſtingui & ſeorſim intelligi poſſunt, videmus Ita ideæ omnium corporum ſunt compoſitæ, cùm in iis poſſimus partes quaſdam ſine aliis intelligere. Si Corpus conſiderem, ſuperiores, inferiores; anteriores, poſteriores; ſiniſtras, dextráſque partes clarè diſtinguo, déque aliquibus, omiſſis aliis, perſpicuè cogitare poſſum. Si contempler ideam, cui nomen impoſui *miſericordiæ*; videbo eam conſtare ideis miſeriæ, hominis miſeri, alicujus qui ejus vicem dolet, &c. Similes ſunt omnium aliarum Virtutum, ut & Vitiorum ideæ, licèt Mentis meditatione nobis obverſentur.

9. Hac quidem in parte Logices, de judiciis in genere non loquemur; verumtamen duo ſunt magni momenti hîc obſervanda, circa illas ideas, quæ ad judicia, quæ de iis ferimus, pertinent. Primum eſt, nos facilè in eam opinionem delabi; eſſe aliquid extra nos, quod ſimile ſit ſimplicibus noſtris ideis, & ea corpora, quibus præſentibus & ſenſus noſtros afficientibus, ea nobis obverſantur, aliquid conſentaneum ſenſationibus noſtris complecti. Ita colorem in objectorum ſuperficie, odorem in corporibus odoratis, ſaporem in ſapidis eſſe facilè credimus.

10. Verùm totum hoc judicium unicè eo nititur, quòd præſentibus illis corporibus, eæ ſenſationes in nobis excitari ſoleant; quæ cauſa ſatis valida non eſt, cur neceſſariò ejuſmodi judicium ferendum ſit. Quidni enim poſſet ita inſtitutus eſſe naturæ ordo, ut tantùm occaſiones ſenſationum noſtrarum ea eſſent corpora? Si autem hoc ita eſſet, poſſent effectus illi gigni ab alia cauſa, quæ aliquid ſimile in ſe haberet, licèt corpora eo carerent. Imò hoc agnoſcamus neceſſe eſt, ſi velimus ſtare alio quodam noſtro judicio, in quod, ubi ſenſationes vividiores ſunt, delabimur. Tunc enim in occaſionibus ſenſationum noſtrarum, quidquam ſimile ſenſationibus noſtris eſſe non credimus. Ubi acu pungimur, numquam dicimus dolorem

eſſe

esse in acu, quod tamen dicere deberemus, si consentanea judicia de objectis ferre vellemus: quemadmodum dicimus odorem esse in rosa, colorem in panno, &c. Possemus ita ostendere nos tribuere objectis id, quod in nobis est, ut non esset contradictioni locus; verum hoc * ad Physicam pertinet; satis hîc fuerit observasse, ea judicia esse temeraria.

11. Secundum, quod hoc in loco de ideis simplicibus animadvertere operæ pretium est, pertinet ad definitiones earum idearum. Nempe, Philosophi Scholastici magno labore conati sunt definire, quæ definiri non poterant, quod hac ratiocinatione liquet. Definitio adhibetur, ut ostendatur clariùs, quàm solo rei nomine prolato sit, quid norimus in re aliqua; hîc autem id ostendere non possumus, nisi unicâ voce, quæ nomen est ideæ, seu aliis planè synonymis; quarum intelligentia à cognitione Linguæ quâ utimur, & sensu ejus quem alloquimur, pendet.

12. Ita si quis non intelligat quid sit *color ruber*, eas voces exprimam synonymis vocibus, si mihi suppetant; aut aliâ linguâ efferam, quæ sit ei notior; aut denique oblato ei corpore, quod *rubrum* soleo vocare, dicam; hoc quod sentio, cùm id corpus inspicio, *rubrum* me vocare. Verùm si quis numquam simplicem ejusmodi ideam habuisset, neque in se, eodem modo ac ego, excitare posset, omnia mea verba inutilia forent. Cæco nato nulla definitio ità explicuerit quid sit color, ut vel minimam ejus ideam effingat. Idem judicium, de reliquis simplicibus ideis, ferri debet.

13. Similiter, quis definiat quid sit *esse*, *velle*, *judicare*, nisi synonymis verbis, aut ex alia lingua petitis? *Motus* etiam perperam definitur, à Peripateticis: *Actus entis in potentia, quatenus in potentia*, quæ definitio obscurissima est; nec multò clariùs à Recentioribus, *mutatio sitûs*, quoniam hæc vocabula non sunt clariora voce *motûs*, & præterea inde sequitur, cum aliquis in campo ambulat, non minùs campum quàm ipsum moveri.

14. De-

* *Vide Phys. Lib. V. c. VII.* §. 2. *& seqq.*

14. Definitio locum tantùm habet in ideis compositis; est enim præcipuarum idearum simplicium, quæ in iis continentur, enumeratio. Ita *linea recta* potest definiri, quia ideis duarum extremitatum, & punctorum variorum, inter duas extremitates certo modo sitorum, constat. Est nempe *omnium brevissima, quæ inter duo puncta possit duci.* Potest definiri *ira*, perturbatio corporis & animi, quæ oritur ex præsentia ideæ molestæ, alicujus culpâ nobis obversantis. In ira enim est 1. vehemens commotio corporis: 2. animi ardor haud levis: 3. idea molesta ei obversans: 4. culpa alicujus, quâ fit ut illa idea excitetur. Ita indignamur ob maledicta, in quibus præcipuè occurrunt duo posteriora, quæ & animum & corpus nostrum commovent.

15. Posset hìc & tertia animadversio addi; nempe, nobis, utrum omnibus hominibus sint eædem ideæ simplices, non constare; unde sequitur plane ἀδύνατον esse scitu, utrum perfectè nos invicem intelligamus; nam cùm ideæ simplices sint compositarum materia, si idearum simplicium nomina sint ambigua, nos in compositis fluctuare necesse est. Verùm cùm hoc subtilius est quàm ut hìc possit excuti, tum etiam ad intelligentiam sermonis aliorum, quàm ad veritatis indagationem, potiùs pertinet.

Caput III.

De Ideis Substantiarum & Modorum.

1. Altera classis idearum, animo nostro obversantium, est *Substantiarum* & *Modorum*. Intelligimus enim omnia, aut quasi seorsim & per se; aut in aliis exsistentia, ita ut sine illis exsistentiam hisce tribuere nequeamus. Priora *Substantias* & *Subjecta*, posteriora *Modos*, & *Accidentia* vocamus. Exempli causâ, quando animo obversantur *cera* & *figura* aliqua, ut rotunditas; ceram intelligimus quasi rem, quæ sine rotunditate, aut alia ejuscemodi figura exsistere potest, quia nobis experientiâ constat figu-

ras, sine interitu ceræ, posse mutari. Dicimus itaque ceram esse substantiam. Contrà rotunditatem consideramus ita quasi ceræ inhærentem, aut alii cuivis subjecto, cui inest, ut seorsim sine ejusmodi subjecto exsistere nequeat; neque enim rotunditatem exsistentem, sine corpore rotundo, intelligere possumus. Hanc ergo *modum*, vel *accidens* substantiæ vocamus.

2. Si abstractiones excipias, semper consideramus res quasi *modificatas*; hoc est, substantias quibusdam modis vestitas. Substantias & modos seorsim consideratos nominibus, quæ à Grammaticis *substantiva* vocantur, res verò modificatas *adjectivis* afficimus; ut *cera*, *rotunditas*; *cera rotunda*.

3. Præterea, ideas quasdam compositas, quæ modis tantùm constant, novimus. Et aliæ quidem compositæ sunt, quadam specie modorum solâ; ut *Stadium*, quatenus est mensura viæ; complectitur enim modos uniformes, nempe *passus*, aut *pedes*. Aliæ verò constant modis variarum specierum, qualis est idea *Iræ*, quam suprà definiimus, & ideæ affectuum reliquorum, virtutúmque & vitiorum.

4. Denique sunt ideæ compositæ collectione variarum substantiarum similium, quales sunt ideæ *exercitûs*, qui est ex pluribus militibus; *civitatis*, quæ constat pluribus civibus; *gregis*, qui compositus est pluribus pecudibus, &c. aut collectione idearum dissimilium substantiarum, qualis est idea materiæ, quâ *domus*, *navis*, *condimentum*, *&c.* constant. Atque in hisce ideis, non tantùm substantiæ, quatenus tales, considerantur; sed etiam quatenus certis modis vestitæ, unde nascuntur ideæ valde compositæ.

5. Substantiæ, in genere consideratæ, definiuntur *res per se existentes*; sed tunc considerantur abstractè, seu non attendendo ullam singularem substantiam actu existentem. Eo sensu, satis quidem clarum est quid intelligamus voce *Substantiæ*; sed quia nulla substantia in genere exsistit, nisi in ideis nostris; ubi consideramus substantias re verâ existentes, res alio modo se habet. Substantiarum singu-

larum

larum ideæ obſcuriſſimæ ſunt, nec quidquam earum nominibus intelligimus, niſi ſubjecta neſcio quæ ignota, in quibus quædam conſtanter coëxiſtunt proprietates. Ita, ſi quæratur à nobis quæ ſit ſubſtantia, quam *corpus* vocamus? nihil erit quod reponamus, niſi eſſe ſubjectum ignotum, in quo *extenſio, diviſibilitas, & impenetrabilitas* coëxiſtunt conſtanter, adeo ut divelli nequeant.

6. Ne hoc in dubium revocetur, oſtendam vocibus *ſubſtantia extenſa, diviſibilis*, &c. rem obſcuriſſimam deſignari. Nihil hæ voces ſignificant, niſi ſubjectum ignotum, cujus una proprietas eſt, ut conſtet aliis ſubjectis ignotis ſeu ſubſtantiis, juxta ſe invicem poſitis, & ejus naturæ, ut nullam ideam habeamus unius ex iis ſubſtantiis, quibus dicimus corpus conſtare. Nullam enim ideam affirmare poſſumus, *eſſe ideam unicæ ſubſtantiæ, qualibus corpora compoſita ſunt*; cùm nullam ideam ſubſtantiæ corporeæ habeamus, quæ non innumeras ſubſtantias complectatur. Itaque ſi velimus, id quod intelligimus nomine *corporeæ ſubſtantiæ*, efferre, dicemus eſſe *compagem ignotorum Entium, quorum aliquot proprietates novimus.*

7. Idem judicium ferendum de reliquis ſubſtantiis *ſpiritualibus* nempe, (an aliæ ſint hîc non quærimus) videbit quicumque earum ideas diligenter expendet, nec ſe ſinet inanibus vocibus falli. In Mente noſtra, ex qua colligimus ideam naturæ ſpirituum, videmus varias cogitationes; ſed quidnam ſit illud ſubjectum, cui inſunt cogitationes, ignoramus.

8. Novimus quidem Philoſophos ſolere dicere, proprietates identificari cum ſubjecto; verùm ſemet ipſi fallunt voce *ſubjecti*, quæ, hoc in loco, ambigua eſt, ut oſtendemus, ubi agemus de *ſpeciebus* & *eſſentiis* Entium. Hîc tantùm obſervabimus Philoſophos, miſsâ illâ obſcurâ ſubſtantiâ, cujus nulla formabatur ab iis idea, confudiſſe id quod de rei proprietatibus noverant cum intima rei *eſſentia*; nec ullam aliam agnoviſſe eſſentiam, præter ea quæ norant, quaſi omnes rerum internas proprietates cognitas haberent.

9. Utile eſt, ut ad rerum cognitionem, quantùm fieri poteſt, perveniamus, diſtinguere in iis ſubjectis, quæ Subſtantiæ à nobis vocantur, ea ſine quibus has intelligere poſſumus, ſeu *modos*, ab iis ſine quibus à nobis intelligi nequeunt. Hoc autem fit, attentè de ſubjectis illis cogitando; tunc enim quædam eſſe, quæ ſi ſubjectis eriperentur, à nobis ſubjectorum natura mutata crederetur; alia verò eripi ſubjectis poſſe, eâdem manente naturâ, facilè videmus. Attamen hîc etiam maximum eſt erroris periculum, quod prætermittunt vulgò Philoſophi, ut oſtendemus ubi de *Generibus* & *Speciebus* agemus.

10. Certùm modi, diſtinguuntur vulgò in *internos*, qui intelliguntur quaſi inhærentes ſubſtantiæ, ut *rotunditas*, &c. & *externos* ut cùm rem quampiam *deſideratam*, *amatam*, *conſpectam* dicimus, aliáque ſimilia; quæ *denominationes externæ*, & *ſecundæ intentiones* à Scholaſticis; à nobis verò potiùs *Relationes*, de quibus poſtea agemus, vocantur.

11. Sunt etiam modi, qui ſunt ſimul *ſubſtantiæ*, ut veſtes, capilli, &c. Hi appellantur à Scholaſticis *accidentia prædicabilia*, ſine quibus ſubjectum poteſt exiſtere; cùm illi poſſint quoque ſine ſubjecto eſſe. Sed *accidentia prædicamentalia* vocant ea, ſine quibus ſubjectum exſiſtere poteſt, at quæ ſine ſubjecto exſiſtere nequeunt, ut rotunditas.

12. Philoſophi Scholaſtici ita loquuntur de neſcio qua Materia prima, quâ conſtant, uti aiunt, omnia corpora; ut eam deſcribant, quaſi ſine attributis ullis, ſeu modis intelligi poſſet. Eſt enim *neque quid, neque quantum, neque quale, neque quidquam eorum, quibus ens denominatur*. Sed eſt merum figmentum, neque ullam ſubſtantiam ſine modis, aut inſeparabilibus, aut ſeparabilibus animo concipimus; quod unuſquiſque deprehendet, ſi ſemet ipſe attentè conſulat.

13. Ad ideas verò quod attinet, quas diximus componi modis & ſubſtantiis variè conjunctis, quædam dicuntur *reales*; nimirum, quarum Archetypa, ſeu res quarum ſunt ideæ, re verâ exiſtunt, aut exiſtere ſaltem creduntur; aliæ verò *rationales*, cùm nempe,

nempe, volente Mente, variæ ideæ unà conjunguntur, ut cum consideramus baculum ad stellas pertingentem. Hæc dicuntur etiam *Entia rationis*.

14. Ceterùm necesse est in ideis compositis diligenter observare quotuplicibus & quàm multis ideis constent; ut fusiùs ostendemus, ubi ordo nos ad obscuritatem & perspicuitatem idearum considerandam deduxerit. Quod breviter hîc notamus, ne sollicita illa distinctio idearum compositarum ex substantiis & modis, licèt vera, supervacanea videatur.

Caput IV.

De Relationibus.

1. Præter substantias, & modos qui insunt substantiis, sunt denominationes externæ, quæ cùm nihil substantiæ addant, nituntur tamen modo ejus aliquo. Eas vocamus *Relationes*, quibus fit ut consideratio rei alicujus alius considerationem includat. Ita cùm *Patrem* aliquem appello, ea denominatio nititur eo, quòd is, quem hocce vocabulo adficio, liberos procreaverit, & considerationem liberorum complectitur.

2. Quælibet idea, si eam certo modo expendamus, potest esse fundamentum relationis, hoc est, aliquâ sui proprietate nos ad considerationem alius ideæ deducere. Ita quæcumque sunt, in Creatorem & Creaturas dividi possunt, qui sunt *termini* ut vocantur, *correlati*; appellatio enim Creatoris includit cogitationem de Creatura, & vice versâ.

3. Sunt autem innumeræ relationes; possunt enim esse inter substantias & substantias, modos & modos, modos & substantias, relationes & substantias, relationes & modos, relationes & relationes. Nam nulla res est quæ non possit alterius cogitationem excitare, cùm pro arbitrio ideæ à nobis conjungantur. Verùm iis subtiliter excutiendis

tem-

tempus non teremus; quædam potiùs majoris momenti, quæ ad relationes in genere consideratas pertinent, observabimus.

4. Sæpissimè consideramus quasi *absolutas*, seu nullam relationem includentes ideas, quæ necessariò tamen ad alias referuntur. Ita *magnum* quidquam vocare nequimus, quin idea, quæ respondet ei voci, sit relativa. Etenim magna, in certa specie, quæ sunt maxima inter res ejusdem speciei nobis notas, vocamus. *Magnus* est *Mons*, qui æquat maximos eorum montium, quos viderimus. *Profunda* vallis, quæ est depressa inter eas quas novimus. *Alta* turris, quâ multas altiores, in eo turrium genere, non vidimus. *Longa* via, ad quam conficiendam pluribus opus est diebus, quàm ad aliam peragrandam; vel etiam quam sine lassitudine, pro eo statu in quo sumus, ætatis, morbi, virium, aliarúmque similium circumstantiarum, conficere nequimus. *Lata* regio est, quæ patriâ nostrâ, aut aliis regionibus quas novimus, latior est.

5. Ad numerum quod attinet, *ingens* numerus est earum rerum, de quibus sermo est, quo multò majores plurimos esse ignoramus. *Parvus* est vice versâ, quo multo minores in iisdem circumstantiis, plurimos esse nobis non constat. Ita apud Græcos olim *ingens* fuit numerus militum Græcorum, si sexaginta millia militum essent, quia raró aut numquam in Græcia exercitus majores Græcis constantes conscripti sunt. Contra, apud Persas, *ingens* dici non potuit, sed potiùs *parvus*; quoniam Persarum Reges multò majores solebant colligere.

6. Si tempus spectemus, quidquid *longum* vel *breve* vocamus, ita dicitur cum relatione ad alia. Sic cum *Masinissa* Numidiæ Rex dicitur fuisse longævus, quòd vixerit ultra XC annos; hoc intelligitur, si duratio ejus vitæ cum vita ordinaria eorum qui tunc vivebant, & cum vitæ solita duratione, etiamnum hodie, conferatur. *Jacobus* Patriarcha, qui vixerat CXXX. annos, cum Regem Ægypti alloquutus est; dies vitæ suæ fuisse dixit *paucos*; nempe, præ annis, quos Majores ejus vixerant.

rant. *Longum* dicitur tempus exſpectanti, aut ægro, quod occupato & valenti *breve* vocatur.

7. *Grave* pondus puero, fœminæ imbecillæ, ſeni, languenti, quod viro robuſto & toroſo *leve* eſt. Levis clava fuit Herculi, quæ Omphalæ graviſſima erat. Levis haſta Achillis ipſi fuit, quam alius vibrare non potuiſſet. Ægrotanti pondus fit grave, quod eidem valenti lève fuit.

8. Eadem eſt ratio dotium animi. Magnum ingenium, vaſtam eruditionem, tenacem memoriam, ſummam prudentiam, temperantiam, juſtitiam tribuimus viris, qui inter nos, pro more gentis noſtræ, iis excellunt, & qui ſæpe apud alias mediocria omnia habere cenſerentur. Aliud etiam *magna eruditio* in ore hominis imperiti, aliud in ore hominis doctioris ſignificat; apud Doctos enim eæ voces multò latiùs, quam apud ignarum vulgus, patent.

9. Denique omnes modi cùm Animorum, tum Corporum, qui poſſunt augeri aut minui, ſunt idearum relativarum Prototypa. Atque hoc adtentè eſt obſervandum, quoniam eſt ingens earum numerus, quæ ſi cum abſolutis ideis confundantur, magnos parient errores, néve aliorum ſermonem intelligere poſſimus, impedient. Qua de re egimus etiam *Artis Criticæ* P. II. Sect. 2. C. IV.

10. Hìc etiam obiter animadvertendum, judicia noſtra nihil aliud eſſe, quàm perceptiones relationum inter varias deas, in quibus perceptionibus Mens noſtra adquieſcit. Ita quando judicamus bis 2 eſſe 4, aut bis 2 non eſſe 5, Mens animadvertit relationem æqualitatis quæ eſt inter bis 2 & 4, & relationem inæqualitatis quæ eſt inter bis 2 & 5; in qua perceptione, quippe evidenti, Mens adquieſcit, ſeu non ampliùs expendit utrum vera ſit. Sed hac de re pluribus in ſecunda Logices Parte, agemus.

11. Ratiocinatio eſt etiam ſimilis perceptio relationum, cum Mentis acquieſcentia conjuncta. Verùm non eſt perceptio relationum, quæ ſunt inter varias res, ſed relationum quas relationes ipſæ habent inter ſe. Sic, ubi colligo ex eo quod 4 ſit minor numerus quàm ſex, & bis 2 æquent 4, bis 2 minorem eſſe numerum quàm 6; percipio relationem

inæqualitatis quæ est inter relationem numeri bis 2 & quaternarii, & relationem quaternarii & senarii; in qua perceptione adquiescens concludo minorem esse numerum senario. Verùm hæc pertinent ad tertiam & quartam Logices Partem.

12. Hoc paucis animadvertendum duximus, ne inanis videretur distinctio illa variarum relationum, quam initio attulimus; quoniam nisi hanc teneamus, non intelligimus quid mens nostra in judicando & ratiocinando agat.

CAPUT V.

De Categoriis Aristotelicis.

1 QUidquid est in nobis idearum, ad *Substantias*, *Modos*, & *Relationes*, ut unusquisque experietur, si lustret ideas suas, referri potest. Hæc variè conjungimus & miscemus, ut infinita inde nascatur idearum varietas. Nec ulla est adeò composita, aut inusitata, quin ad hæc tria revocari, atque in ea resolvi queat. Possumus itaque omnia Entia, si ita videatur, ad tria hæc capita componere.

2. *Aristoteli* tamen, ejúsque discipulis visum est omnia Entia referre ad decem Classes, quarum una est *Substantiæ*, reliquæ *Accidentium*. Si voluissent tantùm quædam capita pro arbitrio fingere, de quibus in Logica agerent; hoc unùm quod attinet ad hanc divisionem, queri possemus, quòd non sit satis commoda. Verùm existimarunt se omnes regulas legitimæ Divisionis hîc observasse, atque inde in Physicis deducunt argumenta, quasi ex demonstratis principiis; quare meritò ineptam divisionem jactari quasi accuratam, & inde inania duci consectaria, queri possumus. Eam primùm proferemus, deinde quædam vitiosa in ea observabimus.

3. Prima *Categoria*, seu primum *Prædicamentum* est *Substantia*, seu res per se subsistens, ad quam referunt substantiam spiritualem, & corpoream, & sub

ſub hac collocant viventem, & non viventem ; ſub vivente plantas & animalia ; ſub non vivente reliqua corpora, & ita porrò ſubdiviſionibus pergunt omnia in certas ſpecies partiri ; de quibus *Ontologiæ* Capite XVIII. egimus.

4. Reliquæ Categoriæ ſunt *Accidentium*, ſeu rerum quæ per ſe non ſunt. Secunda ergo eſt *Quantitatis*, quæ duplex eſſe dicitur : *Diſcreta*, cùm partes ejus nullo vinculo connexæ ſunt, ut numerus : *Continua*, quando ſunt connexæ ; eáque ſubdiviſa in *ſucceſſivam*, quales ſunt tempus & motus ; & *permanentem*, quæ aliter dicitur ſpatium, ſeu extenſio in longum, latum & profundum.

5. Tertia Categoria eſt *Qualitatis*, cujus Ariſtoteles quatuor ſpecies diſtinguit. Prima eſt *Habituum*, hoc eſt, diſpoſitionum animi & corporis, quæ iteratis actibus acquiruntur, quales ſunt ſcientiæ, virtutes, vitia, artes, &c. Secunda eſt *Potentiarum naturalium*, facultatum nempe animi & corporis, ut ſunt intellectus, voluntas, ſenſus, &c. Tertia *Qualitatum ſenſibilium* ut durities, mollities, calor, frigus, &c. Quarta *formæ viventium* & *figuræ inanimatorum*, quæ ſunt determinationes externæ quantitatis.

6. Quarta Categoria eſt *Relationis*, quam ſuprà definiimus. *Correlata* dicuntur, quorum unum conſiderationem alterius includit, ita ut poſito uno alterum ponatur. Huc facit etiam diſtinctio *Oppoſitorum*, quorum unum eſt cum altero incompatibile, ut *albor* & *nigror* : *Contrariorum*, quæ ita ſunt comparata ut aliquid ſit in natura unius, quod non eſt in natura alterius, ut numeri par & impar : *Diſparatorum*, quorum unum aliis pluribus eadem ratione opponitur, ut *albus color viridi*, *flavo*, & *cæruleo* : *Contradictoriorum*, quorum unum alterum planè negat, ut *Deus*, *non Deus* : *Privativè oppoſitorum*, ut cæcitas, in animali viſu naturâ prædito, opponitur viſui.

7. Quinta Categoria eſt *Actionis*, quæ eſt in ipſa re agente, ut *amare*, *movere* ; vel in alia admittitur, ut *verberare*, *cædere*, *calefacere*.

8. Sexta eſt *Paſſionis*, quæ verbis paſſivis *verberari*, *cædi*, *calefieri*, &c. exprimitur.

 9. Septima

9. Septima τȣ̃ *Ubi*, ſive loci, quæ hujuſmodi locutionibus, eſſe *Amſtelodami, in lecto, in muſeo*, &c. ſignificatur.

10. Octava τȣ̃ *Quando*, ſeu temporis, quæ adverbiis temporis aliiſque ejuſmodi vocibus, ut *olim, nuper, heri*, &c. deſignatur.

11. Nona eſt *Sitûs*, quæ ſignificatur verbis *ſtare, cubare, ſedere*, &c.

12. Decima denique *Habitûs*, ad quam pertinent quæcumque circa corpus habentur, veſtitûs, aut ornamenti causâ, ut *veſtis, corona*, &c.

13. Peripatetici de hiſce omnibus ſigillatim agunt, magnâ ſubtilitate. Axiomata tradunt de Categoriis, iiſque quæ ad eas referuntur, vera quidem illa in plurimis, ſed inutilia; quoniam ſunt omnibus, vel minimâ vitæ experientiâ, notiſſima.

14. Ceterùm hæc eſt tantùm nomenclatura quædam, ad quam Ariſtoteles omnia Entia referri voluit, hauſta ex vulgi loquutionibus, niſi quòd novâ appellatione Καγηγορίαι vocatæ ſunt omnes hæ claſſes. Itaque nihil inde diſcas, niſi quo nomine Entia Ariſtoteles affecerit; quæ cognitio tanti non eſt, ut propterea tempus utilioribus ſtudiis collocandum teratur.

15. Deinde, quare Ariſtoteles *ſubſtantiam* in genere memorat, nulla ejus additâ ſpecie; Accidente verò in genere omiſſo, novem ejus tradit claſſes? Debuiſſet etiam, ſi accuratus eſſe voluiſſet, omnes Accidentium ſpecies memorare, non quaſdam tantùm pro arbitrio ſeligere. Omiſit autem, exempli causâ, *quietem*, accidens corporum; aliáque accidentia ſpirituum, quæ nequeunt referri ad haſce claſſes. *Univerſales* etiam *ideæ* non continentur hiſce Categoriis, ut *ſpecies, genus, differentia*, &c. Igitur ea diviſio nequaquam diviſo adæquata eſt, ac proinde accurata haberi nequit.

Caput VI.

De Ideis quæ sine ulla Mentis operatione ei obversantur, & iis, in quibus formandis intercedit aliqua Mentis operatio.

1. Sunt ideæ, quæ à Mente tantum considerantur, sine ulla additione, aut detractione. Ejusmodi sunt simplices omnes, quæ nequaquam pendent à Mentis arbitrio, súntque seu velit, seu nolit, semper eædem. Ita in dolorem, vel voluptatem nullum imperium habet; & reliquas ideas simplices, quas suprà memoravimus, ejus naturæ esse experitur, ut si quid detrahere nitatur, pereant prorsus; si quid addere velit, incolumi earum simplicitate, non liceat.

2. Ad eamdem classem referri possunt compositæ ideæ, quæ, etiam nobis non cogitantibus, sese Menti ingerunt; quales sunt ideæ rerum quæ sunt, & quæ sensus nostros afficiunt, & certas sui ideas in Mente nostra excitant.

3. Hæ ideæ *reales* dicuntur, quod à rebus existentibus extra nos proficiscantur. Contra, sunt quædam ideæ compositæ, quæ aliunde ad Mentem non appellunt, sed ab ea pro arbitrio componuntur. Ita conjungendo ideas dimidii corporis humani & dimidii equini, idea *Centauri* formatur; quod non aliter fit quàm Mente volente Centauri imaginem sibi obversari, vel considerante simul corpus humanum à cingulo ad caput, & corpus equinum resecto capite. Ea enim vis Mentis nostræ, ut quævis, quæ non repugnant, connectere contemplatione, & quidquid videtur, omittere possit. Hæ ideæ, ita composita à Mente, vocantur *Phantasticæ*.

4. Quemadmodum Mens conjunctim contemplari quæ re ipsâ, seu extra ipsam conjuncta non sunt: ita etiam divisim considerare, ex quæ divisim non sunt, potest. Atque ejusmodi con-

templatio, quæ vocatur *abſtractio*, ad ideas compoſitas accuratè expendendas, utiliſſima eſt. Si enim paullò ampliore numero partium conſtent, eas omnes videre ſimul animo diſtinctè non poſſumus; itaque conducit eas ſingillatim, omiſſis aliquamtiſper aliis, expendere poſſe.

5. Abſtractio autem fit, tribus potiſſimùm modis. Primò, Mens partem rei realiter ab ea diſtinctam, ut brachium hominis, omiſsâ contemplatione reliqui corporis, poteſt intueri. Verùm hæc non eſt propriè dicta *abſtractio*, quia brachium eſt, etiam ſine interventu Mentis, à corpore ſeparatum; licèt ita vivere, hoc eſt, ali, augeri ac moveri non poſſit.

6. Secundò, per abſtractionem cogitamus de modo ſubſtantiæ, omiſsâ ipsâ ſubſtantiâ; vel modos qui ſimul in eodem ſubjecto ſunt, ſingillatim conſideramus. Hac abſtractione utuntur Geometræ, ubi conſiderant ſeparatim longitudinem corporis, quam vocant *lineam*, planè omiſsâ latitudine & profunditate; lineæ initium, omiſſis ceteris partibus, quod dicunt *punctum*; dein longitudinem & latitudinem tantùm, quas conjunctim vocant *ſuperficiem*. Ita quoque per abſtractionem à motu diſtinguere determinationem motûs, versùs certam partem, poſſumus.

7. Tertiò, per abſtractionem omittimus modos & relationes rei cujuſdam ſingularis, ſi univerſalem ideam formamus. Sic, ubi volumus intelligere *rem cogitantem* in genere, ex noſtra ipſorum conſcientia colligimus quid ſit cogitare; & omiſsâ conſideratione eorum, quæ peculiariter ad Mentem noſtram pertinent, cogitamus de re cogitante in genere. Ita ideæ ex ſingularibus fiunt univerſales.

8. Circa memoratas in hoc Capite ideas, hæc ſunt obſervanda, ne malè de iis judicemus. Primò, ideæ quæ ſine mentis operatione ſeſe ei ingerunt, neceſſariò ab externa cauſa excitantur, & Menti objiciuntur quales ſunt. Sed cavendum ne putemus ſemper in iis rebus, à quibus videntur excitari ideæ, eſſe aliquid ideis ſimile; quia, ut alibi diximus, fortè non ſunt veræ cauſæ à quibus pro-

procreantur ideæ, ſed tantùm occaſiones. Suſpicionem hanc maximè augere debet, quod in ſomniis experimur; ubi ex occaſione motûs cerebri in nobis imagines rerum, quæ præſentes non ſunt, & ſæpe nuſquam exſiſtunt, excitantur. Itaque hoc unum ſemper ex ejuſmodi ideis, cauſam & occaſionem earum extra Mentem noſtram eſſe, colligere poſſumus.

9. Secundo loco, circa ideas à Mente compóſitas, niſi manifeſtò nobis conſtet experientiâ, numquam eas conjunctim fuiſſe, facile primùm poſſe eſſe talium idearum Archetypa, deinde etiam eſſe re ipsâ in animum inducimus. Ita poſtquàm Peripatetici conjunxerunt Mente, in omnibus compoſitis ideis rerum corporearum, ideam abſtractam *materiæ* (ſi idea poſſit vocari quod eſt merè negativum) cum idea abſtracta *formæ*, ſeu neſcio cujus ſubſtantiæ, per quam, ut aiunt, *res eſt id quod eſt*, quibus, inſtar ſubjecti, ineſſent variæ proprietates; aliquid tale eſſe, quod nullibi exſiſtit, niſi in eorum ideis, contenderunt.

10. Imò etiam ideas ſimplices abſtractas ſeorſim eſſe putarunt Scholaſticorum nonnulli. Sic, per abſtractionem cogitarunt de *Humanitate*, omiſsâ hominis conſideratione, & inde collegerunt Humanitatem eſſe aliquid, in ſingulis hominibus, ab iis diſtinctum; adeò ut dixerint *Petrum*, exempli gratiâ, eſſe *concretum* (ita vocatur quod *abſtracto* oppoſitum eſt) atque ex duabus abſtractis naturis *Petreïtate*, quæ ei peculiaris eſt, & *Humanitate*, quam habet cum reliquis hominibus communem, conſtare.

§ 10. *Seorſim eſſe*, &c.] Ante alios omnes *Parmenides* & *Plato* hunc errorem erraſſe feruntur, dum *ideas* ſuas, id eſt, ſpecierum omnium paradigmata quædam *νοερὰ*, quaſi exſiſtentia deſcribunt. Vid. *Critica* P. II. S. 2. C. V. Hinc ficta nomina *τραπεζότητος* & *κυαθότητος*, quæ irridentur à *Diogene* Cynico, apud *Laertium* Lib. VI. § 53.

11. Hinc quoque factum ut Phyſici contenderint dari *puncta* ſine partibus; quia talia, per abſtractionem, docendi cauſâ à Mathematicis finguntur; & eam-

& eamdem ob rationem, esse *lineas* punctis constantes sine latitudine & profunditate, *superficiésque* etiam sine profunditate; quæ tamen demonstrationibus opposita sunt.

12. Ab alio etiam cavendum hìc est peccato, in quod frequenter delapsi sunt, alióſque secum traxerunt Scholastici. Nempe, postquàm abstractione quædam distinxissent, ea tamquam reverâ sejuncta, & quasi separata Entia, reputarunt. Sic postquàm per abstractionem distinxissent Intellectum, & Voluntatem ab ipsa Mente humana; dein in Intellectu considerassent id quod fit, ubi ei obversantur ideæ, de quarum veritate aut falsitate judicium ferendum est, aut ubi quæritur quid agendum sit; distinxissentque Intellectum *theoreticum* à *practico*; ita loquuti sunt, quasi non modò tres essent in Mente distinctæ facultates, sed etiam quasi Entia diversa tria Mentem constituerent; & varia axiomata, ex quibus de Intellectuum illorum & Voluntatis actionibus loquerentur, finxerunt.

CAPUT VII.

De Ideis Individualibus, Particularibus, & Universalibus.

1. QUod de abstractionibus diximus, ad considerationem idearum, quatenus *Individuales*, *Particulares*, ac *Universales* sunt, nos deducit; etenim ex individualibus, particulares ac universales per abstractionem fiunt; qua in re, hac ratione progredimur. Si nosmet ipsi consideremus, aut hominem nobis obversantem Mente contemplemur, obversatur nobis *idea individui*, seu *idea individualis*. Si verò, omissis iis quæ mihi & illi homini singularia sunt, nobis communia cum aliquot hominibus animo versem, qualia sunt natum esse sub eodem cœlo, eadem placita fovere, & similia; *idea particularis*

ticularis gentis, aut familiæ animo meo se offert. Denique si, ne iis quidem, quorum mecum participes sunt aliquot homines, consideratis, de iis quæ mihi cum toto genere humano communia sunt cogitem, est in animo meo *idea universalis*.

2. Nomina, quibus individuales ideæ significantur, dicuntur *propria*, ut *Alexander*, *Cæsar*; ea verò quibus ideæ particulares & universales exprimuntur, *appellativa*, ut *Gallus*, *Christianus*, *Homo*.

3. Porrò in iis ideis possunt distingui *Proprietates*, quas in iis constanter conjunctas videmus, & *Subjecta* externa ideis consentanea, seu quibus ideæ conveniunt. Ita in idea hominis, videmus Mentem & cogitantem, & Corpus certis organis constans; ea autem idea Europæ, Asiæ, Africæ, & Americæ incolis convenit.

4. Philosophi quinque potissimùm ideis abstractis, quæ possunt prædicari de omnibus subjectis nobis notis, *Universalium*, vel *Prædicabilium*, nomen adtribuerunt; postquàm eas, per abstractionem, formarunt.

5. Prima idea vocatur *Genus*, & significat proprietates quæ conveniunt multis ideis universalibus, sed quæ minùs latè patent. Ita *Ens* convenit *Substantiæ* & *Accidenti*, quæ sunt ideæ universales quidem, sed arctiores quàm idea Entis; nam omnis quidem substantia est Ens, sed non omne Ens substantia est.

6. Secunda dicitur *Species*, quales sunt *Substantia* & *Accidens*, quæ sunt species Entis. Hæ autem ideæ, respectu universaliorum idearum, species; respectu minùs universalium, genera vocantur. Sic Accidens est species respectu Entis, genus verò respectu *internorum* & *externorum* accidentium, de quibus suprà diximus. Observandum tamen, esse quamdam speciem, quæ infima dicitur, & quæ continet *individua*, seu singula subjecta, ut *circulus*, qui tantùm circulos individuos ejusdémque speciei sub se habet.

7. Tertia idea est *Differentia*. Nempe, uti nullum Ens notum est, quod non habeat aliquid commune cum aliis: ita nec ullum est, quod non pro-

proprietate quapiam differat ab aliis. Ea autem proprietas *differentiam* conſtituere dicitur. Cùm diſtinguit ſpeciem ab alia ſpecie, vocatur *ſpecifica*; cùm verò individua tantùm ejuſdem ſpeciei ejus ope diſtinguuntur à ſe invicem, *numerica* dicitur. Differentia ab una proprietate præcipua, vel ab aliquot præcipuis petitur. Ita differentia ſpecifica circuli, quâ diſtinguitur ab omnibus aliis planarum figurarum ſpeciebus, eſt *habere circumferentiam æqualiter undequaque à centro diſtantem.* Numerica vero circuli alicujus eſt magnitudo, ſitus, res cui inhæret, aut alia ſimilia; quæ plura, quando unum non ſufficit, conjunguntur.

8. Quarta idea eſt *Proprium* deſumtum ex adtributo rei, quod minùs præcipuum judicatur. Sic proprium circuli eſt *non poſſe quadrari*, ſeu menſurari eâdem menſurâ toties repetitâ, quoties repetetur in menſuranda quadrata figura. *Proprium* porrò, ex ſermone vulgi, obſervatum eſt quadrupliciter dici. 1. Proprium *quod convenit omni, & ſoli ſpeciei, ſed non ſemper.* Omnes homines, & quidem ſoli, *loquuntur*, ſed non ſemper. 2. *Quod convenit ſoli, ſed non omni*; ita homini convenit ſoli *Medicum, Juriſconſultum* eſſe, licèt omnes homines eas diſciplinas non profiteantur. 3. *Quod convenit omni, ſed non ſoli*, ut *cogitatio*, quæ convenit omni homini, ſed non ſoli. 4. *Quod convenit omni, ſoli & ſemper*, ut Corpus habere conjunctum Menti, reciproco quodam motuum & cogitationum æſtu, omni & ſoli homini & quidem ſemper convenit.

9. Quinta dicitur *Accidens*, qualia ſunt omnia ea adtributa rerum, ſine quibus adtributis res eſſe poſſe à nobis intelliguntur; ſeu ea adtributa ſint ſubſtantiæ, ut *capilli*, ſine quibus homines eſſe queunt; ſeu modi ſubſtantiis inhærentes, ut rotunditas reſpectu ceræ.

10. Multa ſubtiliter Philoſophi de hiſce Univerſalibus diſputant, quæ vel ſi vera eſſent, inutilia forent ad nos ad veritatem vulgò ignotam tutiùs deducendos. Ideò à nobit omittuntur, qui ſatis ducimus præcipuas opinionum illarum noſſe; cùm nulla

nulla vita satis longa futura esset, si quis omnium Philosophorum nugas excutere accuratè vellet.

11. Observabimus potiùs, quæ dicuntur de quatuor primis Universalibus, ea niti hac opinione, *rerum, quæ ad ea referuntur, Essentias esse notas*; quod sine animadversione prætermittendum non est. Sunt enim sine dubio in rebus omnibus *Essentiæ, per quas sunt id quod sunt*, ut loquuntur Metaphysici; sed ferè nobis ignotæ sunt.

12. Novimus quidem in rebus, quas sub certis Generibus & Speciebus collocamus, plura adtributa; unde id quod præcipuum videtur seligimus, in eóque sitam rei essentiam dicimus. Ita dum deprehendere nitimur quid in Mente nostra sit, nec aliud præter cogitationes varias in ea animadvertimus; dicimus Essentiam ejus in *Cogitatione* sitam esse, quia est præcipuum adtributum quod in ea deprehendimus. Verùm inde nos reverâ in intimam Mentis essentiam penetrasse, non sequitur; primò, quia infirma est hæc ratiocinatio: *Nihil amplius in re video; Ergo nihil est præterea*; nisi aliunde mihi constet cognitionem meam naturæ rei esse adæquatam; quod ad substantias quod adtinet, nulli constat. Secundò, cùm singulæ cogitationes sint modi, quæritur semper cui subjecto inhæreant; cui objectioni numquam satisfecerunt Cartesiani.

13. Cùm eadem sit ratio substantiarum reliquarum, quemadmodum de corporeis alibi ostendimus; inde sequitur, quando eas, pro *essentiis* illarum, in certas species certáque genera distribuimus, non pro intimis essentiis nobis ignotis, sed proprietatibus, quas in iis deprehendimus, id fieri. Itaque tota illa distributio substantiarum, in genera & species, admodum nobis debet esse suspecta; quoniam fortè ad diversas species ea quæ eamdem habent intimam essentiam, quòd diversas in iis animadvertamus proprietates, referimus. Quod idem est ac si quis varias species hominum fingeret, ex eorum vestibus.

14. Non possunt dici *proprietates eædem esse cum subjecto*, ubi de substantiis sermo est; si eâ propo-

sitione

ſitione ſubjectum illud ignotum cui inſunt ſignificetur. Etenim de re nobis incomperta, nihil adfirmare licet. Sed ſi voce *Subjectum* intelligamus id quod novimus, tum verum erit Axioma; at hoc unum inde ſequetur, nos ſubjecta certo ordine, prout nobis ſunt nota, non ſecundùm eorum ignotam naturam, collocare; ac proinde ex hiſce diviſionibus, contrà quàm faciunt Philoſophi, de eadem intima & ignorata natura, nihil poſſe colligi.

15. Alia eſt ratio Modorum ſimplicium, quorum integram eſſentiam novimus, & compoſitorum, quos pro arbitrio copulamus. Poſſumus, exempli causâ, omnes Geometricas figuras ad certa genera certáſque ſpecies referre. Poſſumus etiam Virtutum, & Vitiorum varias conſtituere claſſes, quoniam ſunt Modi compoſiti ab ipſa Mente, quæ collectionum earum eſſentiam, quacumque in re velit, collocare poteſt.

Πῶς ἑστηκότα ἐστὶ τὰ εἴδη, καὶ τοῖς χαρακτῆρσιν διεστηκότα;

Gregor. Nazianz. Or. XXXIV. p. 552.

CAPUT VIII.

Errores ex vulgari de Univerſalibus doctrina nati.

1. PRæter errores in antecedente Capite notatos, ortóſque ex Peripatetica de Univerſalibus doctrina; quidam alii indidem provenientes, quia latiſſimè patent, & innumeros alios ex ſe procreant, digni viſi ſunt de quibus paucis ageremus.

2. Primus eſt, nos fruſtra ac temere omnia Entium genera nobis nota eſſe exiſtimare, unde fit ut audacter adfirmemus omnes ſubſtantias eſſe aut *Cogitantes*, ſeu *Spiritus*, ut eſt noſtra Mens; aut *Exten-*

ſas,

ſas, *ſolidas* ac *diviſibiles*, ſeu *Corpora*; aut *extenſas* tantum, ut merum Spacium; quia, nimirum, nullas alias novimus; quaſi verò noſtra cognitio divinæ ſit potentiæ menſura! Fatendum quidem, ſi ponamus aliud nihil à nobis intelligi, nos non poſſe contrarium adſeveranter adfirmare, ſaltem de Creaturis; at certè eos temerarios eſſe, qui omnes creatas ſubſtantias ad hæc ſola genera referunt, videmus. Verùm hac de re paullò accuratiùs agemus *Ontologiæ* C.XVIII.

3. Veteres & recentiores Peripatetici contrà, hac in re, nimium Dialecticis, ſeu abſtractis ideis crediderunt; ubi præter illas duas Subſtantiæ ſpecies, neſcio quas Naturas eſſe dixerunt, ab iis prorſus diſtinctas, in unaquaque re; de quibus ita loquuti ſunt quaſi eas probè noſſent, quod nominibus quibuſdam Logicis eas adficere ſolerent, qualia ſunt, *Actus*, *Potentia*, *Qualitas*, &c. Si ſimpliciter adfirmaſſent ſe, ope extenſionis, & cogitationis, non poſſe omnia Naturæ phænomena explicare, potuiſſet hoc ferri; ſi modò apertè ſe ignorare unde proficiſcantur, faſſi eſſent.

4. Qui *Carteſii* dogmata ſequuntur, duabus prioribus ſubſtantiis poſitis, putant ſe omnia expedire poſſe; ſed ab iis non intelligi quid ſit *ſubſtantia corporea*, niſi per abſtractionem, alibi oſtendimus; nec difficulter *ſoliditatis* cauſam incompertam eſſe probare poſſemus; verùm hoc ad Phyſicen* pertinet.

5. Peccant quoque, eadem ratione, qui inde colligunt Deum eſſe *Spiritum*, qualis eſt noſtra Mens. Hoc enim unum de Deo novimus, proprietates reales rerum omnium in ejus natura, corporum, ſpirituum, & ſpacii, contineri; cùm enim unica ac totalis cauſa ſit omnium ſubſtantiarum, ea omnia in ſe habet, quæ iis dedit, ſecundùm indubitatum axioma, *nemo dat quod non habet*. Deus ergo Ens eſt, quod proprietates corporum & ſpirituum, & fortè plurium aliarum ſubſtantiarum, quæ nobis latent, complectitur.

6. Se-

* *Vide Phyſica Lib. V. c. 3.*

6. Secundus error Philosophorum, qui inde fluit, quòd sibi intimam rerum essentiam notam esse putent, situs est in hoc Axiomate: *Essentiæ rerum sitæ sunt in indivisibili*, adeò ut eis nihil addi, nihil detrahi possit, quin pereant. Cujus rei ratio est, quòd ideæ essentiarum Philosophicarum, sint abstractæ quædam ideæ simplicissimæ, quæ mutationem nullam ferunt; ut, exempli causâ, *Extensio in genere*; in hanc enim non cadit plus, aut minùs; quidquid extensum est, non est minùs extensum quàm aliud, licèt sit amplioris, aut arctioris quantitatis. Verùm ejusmodi ideæ abstractæ nullibi sunt, nisi inter ideas; neque essentiæ reales Entium, quæ reverâ sunt, possunt constitui.

7. Igitur aut falsum, aut saltem temerarium est, quidquid affirmatur de *Essentiis*, apud Scholasticos; nisi de *idealibus* essentiis, quas tantùm in animo habent, & quas ipsi formarunt, confunduntque cum realibus, intelligatur.

8. Iidem colligunt, corporibus, exempli causâ, quibusdam eamdem esse essentiam individuam, quòd similia in iis occurrant adtributa. Si iis credimus, omnes laminæ *aureæ*, verbi gratiâ, eamdem habent essentiam indivisibilem, per quam aurum est aurum. At re verâ in duabus laminis *aureis*, seu quæ *aureæ* vocantur, licèt cernantur quædam adtributa similia, temerarium est adfirmare ea prorsus esse eadem; quia discrimen nullum in iis animadvertimus. Non novimus subjectum illud ignotum, in quo unà sunt auri proprietates nobis notæ, ut fulvus color, *malleabilitas*, seu *ductilitas*, *fusilitas*, *fixitas*, &c. ac proinde temerarium est quidquam de eo affirmare, aut negare incompertum. Manifestum est idem judicium ferendum, de ideis substantiarum omnium; de quibus nemo adfirmare queat ad quam speciem *realem* (non dico *idealem*) pertineant.

9 Verùm Philosophi veteres, qui hoc unum spectabant, ut ii quos in disciplinam accipiebant, quàm primùm de omnibus audacter loqui possent, illas immutabiles species, ad quas sine hæsitatione

omnia

omnia referrent, invenerunt. Nam cognito uno eorum, quæ ad ſpeciem referuntur, de omnibus ejuſdem ſpeciei quibus communes ſunt eædem proprietates, loqui poterant. Contrà verò, ſi alia invaluiſſet opinio; nempe, intimas rerum eſſentias ignotas eſſe, neque eas in ſpecies & genera poſſe diſtribui; confugere Philoſophos oportuiſſet ad ſolam experientiam, quæ adtributorum quorumdam cognitionem nobis impertitur; ſed longo labore & tempore opus erat, ut ea in re vulgares cognitiones ſuperarent, Itaque diu, priuſquàm ceteris doctiores videri poſſent, tacendum fuiſſet, quod ægrè tuliſſent.

10. Obſervandum tamen eſt eos, poſtquàm multa confidenter, de ſpeciebus ſuis idealibus, dixerunt, nullo negotio poſſe ex confidentia illa dejici. Dicunt, exempli cauſâ, *rationalitatem*, eſſe differentiam ſpecificam Hominis; nec putant quidquam eſſe quod objiciatur. Non jam dicam eam proprietatem pertinere tantùm ad Mentem; ſed ſi quærerem ab iis, utrum hominem eſſe agnoſcerent eum, cui rationalitate prædito eſſe caput equinum? Reſponderent illico *monſtrum* eſſet, non hominem; itaque rationalitas non eſt differentia ſpecifica, quoniam licèt adſit, hominem non conſtituit.

11. Si rurſus quæram quid *monſtrum* vocent? quidquid reſponſi accipiam, eò redibit, ut id à ſe dicant monſtrum vocari, quòd non eſt ita diſpoſitum, ut ſolent ſpecies animalium notæ. Si tertiò ſciſciter quænam mutatio poſtuletur, ut animal monſtrum vocetur, leviſne differentia ſufficiat, an magna exigatur? vix ac ne vix quidem definient, quò uſque poſſit animalis forma mutari, antequàm monſtrum dici queat; unde liquet ſpecierum ipſarum idealium, ubi de ſubſtantiis agitur, terminos nondum eſſe ſatis diſtinctè conſtitutos.

12. Obſervatu quoque hanc in rem dignum eſt, licèt claſſes inventæ ſint generum, & quædam ſpecies infimæ, qualis eſt hominum ſpecies, ſint differentiâ ſpecificâ diſtinctæ; plerarumque tamen differentias nondum eſſe inventas à Philoſophis; quòd nempe,

nempe res majoris eſſet laboris, nec exoptata inde loquendi facultas ſatis citò proveniret. De animalibus in genere multa dixere Philoſophi, ſed de infimis animalium ſpeciebus vix quidquam. Docent nos quodnam ſit diſcrimen, pro ſuis dogmatibus, inter plantam & animal; ſed non adtingunt, exempli causâ, differentiam ſpecificam *felium* & *canum*, *laurorum* & *malorum*. Hîc utuntur deſcriptionibus proprietatum quas norunt, ſi loqui adigantur; neque audent indiviſibilem illam eſſentiam definire infimarum ſpecierum, in quibus abſtractiones metaphyſicæ locum non habent.

13. Tertius Philoſophorum error, quem hîc notabimus, in eo ſitus eſt, quòd proprietates eaſdem variis modis conſideratas, diverſiſque inſignitas nominibus, ita interdum diſtinguant & diſponant, ut eamdem proprietatem ſe ipsâ, aliter appellatâ, priorem, hoc eſt, ſui ipſius originem, faciant. Ita in corpore diſtinguunt *extenſionem* & *diviſibilitatem*, quæ ſanè animi præciſione poſſunt diſtingui, ita ut de una tantùm cogitemus, omiſsâ alterâ; ſed hac diſtinctione poſitâ, aiunt *extenſionem* eſſe *diviſibilitate* priorem, cùm tamen eæ proprietates, prout ab iis deſcribi ſolent, hoc uno nitantur fundamento, quòd corpus habeat partes, & in hoc unum reſolvantur adtributum.

CAPUT IX.

De Perſpicuitate & Obſcuritate Idearum.

1. UT de idea certum feramus judicium, ante omnia neceſſe eſt eam eſſe perſpicuam; alioqui de ignota, aut non ſatis perſpecta, ſi verum feratur judicium, id caſu potiùs fit quàm ſapientiâ. Igitur perſpicuitas & obſcuritas idearum, dignæ ſunt, quæ in hac noſtra Logica, ſine animadverſione, non prætermittantur.

2. *Clara* dicitur idea, cùm quidquid complectitur, nobis animo obverſatur, ita ut ab omnibus aliis

aliis facilè diſtingui queat. Quidam diſtinguunt ideas *diſtinctas* à claris; & claras vocant eas quæ vividè nos percellunt, diſtinctas quæ nihil habent obſcuritatis. Verùm adparebit ex ſequentibus, neceſſe non eſſe ut ejuſmodi diſcrimen ullum ſtatuamus, hoc quidem in loco.

3. Claræ ſunt omnes ideæ ſimplices, quales ſunt ſenſationes. Ita ſenſatio lucis ejuſmodi eſt; etenim cùm eâ percellimur, quidquid in ea eſt videmus, nec eam cum ulla alia idea confundere poſſumus. Idem dixeris de ſonitu, de odore, de ſapore, de voluptate, de dolore, &c. quæ nunquam miſcentur. Atque hæ quidem ſenſationes eò clariores ſunt, quò vividiores, cùm enim vehementiùs Mens percellitur, magis adtendit, & clariùs ejuſmodi ideam vividam ab omnibus aliis diſtinguit.

4. Viri Eruditi has ideas eſſe *confuſas*, ut loquuntur, contendunt; quia, nimirum, eas definire non poſſumus. Sed hoc ſummæ perſpicuitatis, ut ſuprà vidimus, indicium eſt. Addunt nos judicare, exempli causâ, colores eſſe ſuperficiei objectorum illitos, odores & ſapores ineſſe rebus odoratis & ſapidis, dolorem & voluptatem eſſe in corpore; quod tamen veritati conſentaneum non eſt, unde colligunt confuſas eſſe ideas earum ſenſationum. Verùm ea obſervatio non oſtendit miſceri ideas haſce aut inter ſe, aut cum aliis; ſed eas collocari in ſubjecto in quo non ſunt; quod ad ideæ ſeorſim conſideratæ perſpicuitatem nihil adtinet. Unde talia oriantur judicia, indicabimus in * Phyſica.

5. Perſpicuæ etiam ſunt ideæ ſimplices, quæ ſine corporis interventu Menti obverſantur, quarum exempla ſuprà Cap. II. adtulimus. Quemadmodum autem abſtractione poſſumus ideæ compoſitæ partes ſeparatim contemplari; ita ut ſimplices ideas, quibus conſtat, ſingillàtim expendamus: ſic etiam abſtractæ ideæ ſunt perſpicuæ, etiamſi ſubjectum in quo ſunt eſt, ignotum. In ſubſtantiis omnibus, quarum aliquot novimus proprietates, poſſumus ſeligere proprietatem, quæ abſtractione ab

* *Phyſicæ Lib. V. c. 7. 10. & alibi.*

ab omnibus aliis ſejuncta ſimplex evadit, adeóque clara, licèt ignoto ſubjecto inſit. *Humanitas*, in genere conſiderata, ſit ſimplex idea, ideóque indiviſibilis; unde factum, ſicut monuimus, ut Philoſophi eſſentias indiviſibiles eſſe dixerint; quod de idealibus eſſentiis, non de realibus verum eſt. Proprietates enim, quæ hominem conſtituere dicuntur, non magis ſunt in uno homine quàm in altero; vel, ut clariùs loquar, *Ratio* in genere ſpectata, quæ eadem cenſetur ac *Humanitas* in genere, non minùs in Davo, quàm in Oedipo, fuit.

6. Verùm eædem ideæ fiunt ſæpe obſcuræ, ubi ſine abſtractione miſtim cùm aliis obſcuris, quibuſcum ſunt in ſubjecto, conſiderantur. Sic cùm quæritur, non quid ſit Humanitas, aut Ratio in genere; ſed quid ſit Ratio in Davo, aut Oedipo, & quæ ſit ejus differentia numerica; tum verò aqua hæret Philoſophis, nec quidquam niſi neſcio quid prorſus ignotum vocibus deſignant *Oedipitatis*, & *Davitatis*; ſic enim, ex Grammaticæ ſcholaſticæ analogia, loqui licet.

7. Peccarunt ſæpe Scholaſtici, in eo quòd abſtractam ideam, quaſi eſſet in ſubjectis, conſiderarint, ut jam monuimus. Atque inde factum ut ideam claram habere ſe crediderint ſubſtantiarum; ex quibus, animi præciſione, illam abſtraxerant. Idem factitarunt Recentiores, qui quia naturam extenſionis, diviſibilitatis & ſoliditatis in genere & abſtractè conſideratæ intelligunt, putant ſe intimam omnium corporum naturam introſpexiſſe. Verùm, ut alibi oſtendimus, ubi ad rem ipſam ventum eſt, non poſſunt quid ſit res extenſa, diviſibilis & ſolida, ſine abſtractione conſiderata, dicere.

8. Si ad ideas Compoſitas nos convertamus, deprehendemus eas demum eſſe claras, quarum partes omnes, ſeu ſimplices ideæ, quibus conſtant, diſtinctè nobis animo obverſantur. Obſcuræ verò dicuntur eæ, quarum partes tantùm quaſdam animadvertimus. Ita certò ſcimus quid ſumma contineat, quando omnes ejus unitates tenemus; ſin

verò

verò aliquot tantùm numerarimus, nescimus quanta sit, confusamque ejus ideam habemus.

9. Itaque quandocumque aliquid expendendum nobis est, primùm sunt in eo distinguendæ partes omnes, si quæ sint, dein judicium ferendum. Alioquin æquè incerta essent judicia nostra, ac ea forent quæ ferrentur de magnitudine summæ, multis aliis constantis; quarum neque numerum, neque magnitudinem sciremus. Verùm hac de re pluribus, in tertia Logices Parte, ubi de Methodo agemus.

10. Quòd si in iis, quæ nobis expendenda proponuntur, non possimus partes à se invicem distinguere, earúmque certam enumerationem inire; tum verò fatendum est, aut ea non esse inter eas res, quas homini cognoscere licet; aut ampliore examine, ut pernoscantur, opus esse. Exempli gratiâ, nullius substantiæ omnes proprietates, intimámque naturam nobis innotescere antea ostendimus; unde de ea re judicium ferri non posse, colligere est. Si verò quæstio arithmetica solvendo proponatur, quæ postulet longiorem supputationem; aut quævis alia quæstio, quæ ut expendatur tempore indigeat, non est præpostero pudore illico, ne videamur aliquid ignorare, respondendum. Pudendum non est id nescire, quod numquam ad examen revocavimus; sed pudendum est id velle videri scire, quod re ipsâ ignoramus.

11. Multùm porrò conducit perspicuitati ideæ, aut à nobis aut ab aliis compositæ; si partium quibus constat idem semper numerus, idémque ordo sit. Alioqui, si augeatur aut minuatur subinde numerus idearum simplicium, quibus composita constat, aut earumdem invertatur ordo; memoria, ipseque adeò animus perturbatur. Ita si quis simul summas aliquot diligenter supputarit, certóque ordine statuerit, quotiescumque eas recognoscere vult, nullo negotio id facit, modò nulla in iis mutatio intercesserit; contrà verò præterita supputatio & dispositio, si perturbentur numeri, aut ordo, irritæ fiunt.

12. Ce-

12. Ceterùm ea eſt natura perſpicuitatis, ubi ſumma eſt, ut adſenſum noſtrum neceſſariò eliciat. Non poſſumus vel minimum, quin dolor diverſus ſit à voluptate, quin bis duo ſint quatuor, dubitare. Contrà ſi quæ ſit in ideis noſtris obſcuritas, animadvertimus in nobis facultatem cohibendi judicii, donec res perſpicuæ factæ ſint; licèt paſſim contingat ut obſcuris adſenſum temerè præbeamus, ſed liberum; cùm liberum non ſit ſummæ perſpicuitati adſenſum negare. At hæc ad ſecundam Logices Partem pertinent.

CAPUT X.

De Ideis Adæquatis & Inadæquatis.

1. CAP. 1. §. 9. diximus ideas eſſe imagines rerum, quæ extra nos ſunt, aut eſſe poſſunt, & quarum aut vi, aut occaſione in nobis excitantur. Poſſunt autem integræ rei illius, à qua excitantur, vel partis duntaxat imagines eſſe. Quando totam referunt, eas *adæquatas*; quando non totam, *inadæquatas* dicimus. Ita, ſi obverſante mihi cubo, videam tantùm unam ex ejus faciebus, ſuperficiem, nempe, quadratam; idea figuræ quadratæ mihi obverſatur, non cubicæ, ideóque inadæquata dicitur. Contrà ſi, triangulo in charta deſcripto, & ante oculos meos poſito, cogitem de triangulo plano, ideam adæquatam trianguli illius animo præſentem habeo.

2. Omnes ideæ ſimplices ſunt adæquatæ, quoniam Facultatem, quæ eas excitat, quæcumque ea ſit, totam animo objiciunt. Ita dolor, quem ſentio, ſignificat eſſe extra me Facultatem Entis cujuſpiam, quæ eum me invito in me excitat. Sed non eſt ulteriùs procedendum, nam idea ſimplex objectum ſimplex animo offert; non docet ubi ſit, nec an ſit ea cum aliis conjuncta Facultas. Itaque non errabit quicumque ex ſenſatione colliget, aliquid eſſe extra Mentem ſuam, quod eam excitare aptum natum eſt.

3. Ad-

3. Adæquatæ sunt etiam ideæ modorum, quicumque tandem sint, exceptis iis qui simul modi & substantiæ sunt, de quibus supra Cap. III. §. 11. Cùm enim modi nulli seorsim esse intelligantur, à nobis seorsim à substantiis, non nisi ope abstractionis, considerantur. Omnes autem ideæ abstractæ sunt adæquatæ, complectuntur enim totam eam rei partem, quam considerare tunc volumus. Ita *rotunditatis* idea est adæquatæ, quia quidquid est in rotunditate in genere animo meo offert. *Trianguli* in genere idea est adæquata, quia cùm Menti meæ adest, tum quidquid est commune omnibus triangulis video.

4. Ejusdem generis sunt omnes ideæ, quarum nulla Archetypa extra ipsas esse intelligimus. Archetypa vocamus objecta externa, quorum occasione excitantur in nobis ideæ, quas credimus eorum esse imagines. Ita cùm canis ante oculos est positus, dicitur Archetypum ideæ quæ tum Menti se sistit. Sed idea *Animalis* in genere nullum habet Archetypum. Ejus faber est, ut dicam, animus noster, qui ei addit aut detrahit quidquid vult; unde eam semper esse adæquatam consequens est.

5. Sed cavendum, quod jam monuimus; ne, scilicet, postquàm ejuscemodi ideas Mens sibi obversari voluit, ideò talia quædam extra nos esse objecta existimemus. Idem enim peccatum admitteremus, in quod incideret Pictor, qui pictum à se Centaurum, aut centimanum Enceladum, in rerum natura esse contenderet.

6. Ne videatur hæc nostra admonitio inutilis, quasi hoc peccatum numquam committeretur; exemplum memorabile adferemus admissi, in re haud exigui momenti, ejusmodi erroris. In unaquaque cogitatione possumus, abstractione, id quod ea cogitatio commune habet cum omnibus aliis, ab eo quod ei est peculiare, distinguere. Ita si quis malum cuipiam animo voveat, in eo voto, præcisione mentis, distinguimus votum in genere, seu desiderium, & desiderium mali in aliquem effundendi.

Scho-

Scholaſtici vocarunt id deſiderium in genere, partem *phyſicam* actionis Mentis; partem verò *moralem*, quod malum in ea dicitur. Deſiderium autem contendunt per ſe nec bonum eſſe, nec malum; ſed *malitiam* deſiderii inde oriri, quod feratur in objectum illicitum, ſeu cui malum vovere non licet. Neque hoc, de ideis abſtractis *deſiderii* & *malitiæ in genere*, negari poteſt.

7. Verùm hoc poſito, exiſtimarunt Scholaſtici omnia mala deſideria, non jam abſtractè conſiderata, & quatenus idealiter Menti obverſantur, ſed realiter in hominum animis exſiſtentia conſtare parte *phyſica* & *morali*, priorîſque auctorem eſſe Deum, poſterioris Hominem. Idem de omnibus cogitationibus dictitant, & hominem eſſe fingunt machinam à Deo ad omnia ineluctabiliter motam; unde ſequitur Deum mali, non minùs ac boni, eſſe auctorem.

8. Igitur probè recordandum eſt, ideas abſtractas ipſas eſſe Archetypas, & quæ nulla extra ſe habent objecta, à quibus ſint excitatæ; ac licèt ſint in ſe adæquatæ, quia nihil præter ſe animo objiciunt; attamen non poſſe adæquatas dici, ubi objecti quod eſſe ſtatuitur imagines dicuntur, niſi poſtquàm conſtat objecti illius omnes partes in iis contineri.

9. Inadæquatæ porrò ſunt ideæ omnium *ſubſtantiarum*, quæ ab animo pro arbitrio non finguntur, ſed colliguntur ex proprietatibus, quas in iis experientiâ animadvertimus. Hoc ſatis liquet ex iis, quæ Capite III. de ſubſtantiis diximus. Etenim aliquot earum proprietates nobis eſſe notas, non omnes; adeóque earum ideas imperfectas eſſe, ſeu inadæquatas, oſtendimus. Sic novimus *argentum* coloris eſſe albi, liquefieri poſſe, & igne minui dum liquefit, in bracteas duci, aquâ forti diſſolvi, contrahere ſqualorem ſitu, &c. Sed quænam ſit intima particularum, quibus argentum conſtat, diſpoſitio, ſeu conſtitutio, unde eæ profluunt proprietates, prorſus ignoramus. Igitur idea argenti, quæ animo noſtro adeſt, quoniam quidquid eſt in argento, Menti noſtræ non oſtendit, inadæquata eſt.

10. Hîc

10. Hìc maximum eſt periculum, ne inadæquatas ideas cum adæquatis confundamus; quia ubi plures alicujus rei proprietates novimus, nec ullæ aliæ induſtriâ noſtrâ retegi poſſunt; facilè nobis perſuademus exhauſtam eſſe à nobis rem, quam contemplamur. Viri, alioqui perſpicaciſſimi, xvii ſæculo, exiſtimarunt ſe exhauſiſſe proprietates Mentis, quòd nihil in ea præter cogitationes perſpicuè animadverterent, Mentémque eſſe *ſubſtantiam cogitantem* duntaxat dixerunt. Cùm in corpore nihil animadverterent præter extenſionem, ſoliditatem, & diviſibilitatem, nihil aliud in corpore eſſe quærendum contenderunt. Sed numquam quænam ſint eæ ſubſtantiæ, quarum proprietates ſunt cogitare, habere partes, &c. oſtendere potuerunt; nam *ſubſtantiæ* in genere nullæ ſunt, & licèt hanc vocem in genere intelligamus, non ideo ſequitur eam à nobis intelligi, cùm de ſubjecto quopiam ſingulari prædicatur, quod eſt probè obſervandum.

11. Iidem etiam auſi ſunt dicere, ſe ideam claram Divinæ Naturæ habere, adeóque adæquatam; nam ex definitione vocis * *Clarus*, adparet claras ideas eſſe adæquatas, ubi ſermo eſt de ideis, quæ extra nos Archetypa habent. Imago certè alicujus rei clara eſt, cùm omnes ejus rei partes diſtinctè animo offert; obſcura, ubi non omnia complectitur. Nemo autem, qui ſapiat, ſibi diſtinctè obverſari omnes proprietates Dei dixerit; cùm ne una quidem forte, præter admodum generales, clara ſit. Itaque hìc ſummi viri valde inadæquatam ideam cum adæquata temere confuderunt; exemplóque eſſe poſſunt erroris admodum lubrici, qui videtur cùm ex inſita humano ingenio ſuperbia, tum ex inveſtigandi & judicium interea cohibendi impatientia naſci. Pulcrum enim eſt aliquid penitus intelligere, diu indagare ejus naturam moleſtum.

* *Vid. Cap.* 12.

CAPUT XI.

De aliquot Vocabulis, quibus Scholaſtici ſignificant varias ideas, deque Sermone.

1 POſtquàm ideas, ſecundùm varia earum genera, ac relationes contemplati ſumus, nihil ſupereſſet hac in parte Logices agendum ; niſi quaſdam voces Peripateticæ Logicæ exponendas eſſe, propter conſuetudinem, duceremus. Præcipuas tamen ſeligemus, ne Dictionarium ſcribere nimiùm operosè videamur.

2. Hinc quoque adparebit Dialecticen *Ariſtotelis* potiùs eſſe artem loquendi, quàm veritatis apud animum ſuum quærendæ, dein proferendæ. Nomina omnia dicuntur *Termini*. Termini autem omnes diſtinguuntur in *ſimplices* & *complexos*. Simplices ſunt ſingulæ voces, quando nihil ſubintelligitur ; termini complexi pluribus conſtant vocibus, aut expreſſis, aut ſubintellectis. Ita vox *Alexander* eſt terminus ſimplex : *Alexander filius Philippi*, eſt terminus complexus, ſeu, nomen ideæ, cujus aliqua notatur proprietas, aut relatio.

3. Exprimitur *συμπλοκὴ* vel complexio idearum ſine pronomine Relativo, ut adparet exemplo adlato : vel addito pronomine, ut *Alexander qui fuit filius Philippi*. Obſervant autem Dialectici pronomen relativum eſſe interdum ſimpliciter ἐξηγητικὸν, ſeu eo explicari priorem terminum, ut ſi quis dicat, *Homo, qui ratione utitur* : *Julius Cæſar, qui ſummus Imperator fuit* ; neque enim ullus eſt homo, qui ratione non utatur ; neque ullus fuit *Julius Cæſar*, qui ſummus Imp. non fuerit. Interdum etiam pronomen eſt ὁριστικὸν, ſeu determinat vocem generalem ad peculiarem ſenſum, ut cùm dicimus ; *corpora quæ pellucida ſunt* ; tum enim vox *corpora*, quæ generalis eſt, ſequentibus ad ea tantùm, quæ pellucida ſunt, ſignificanda determinatur.

4 Ali-

4. Aliquando termini, qui ſimplices videntur, complexi ſunt, ut in libris *de Bello Gallico*, *Imperator* ſignificat *C. Julium Cæſarem, qui Imp. ab exercitu ſalutatus erat.* Aliquando complexi in Phraſi ſunt ſimplicis loco, ut *Princeps Poëtarum* deſignat Homerum apud Græcos, *Virgilium* apud Latinos. Quæ obſervationes pertinent potiùs ad Grammaticam, aut Criticam, quàm ad artem ratiocinandi, quæ ſtatuit uſum Linguæ jam eſſe notum.

5. Idem etiam dixeris de eo quod docent de *Homonymis, Synonymis & Paronymis.* Homonyma ſunt, quæ nomen habent commune, licèt natura differant, ut *Homo*, quando dicitur de homine vivente, & picto. *Ambigua* & *æquivoca* à Latinis & Scholaſticis dicuntur. *Synonyma* ſunt, quæ *Univoca* à Scholaſticis vocantur, & quæ habent nomen commune, & eſſentiam aliqua in re ſimilem, ut *Homo* & *Bos, animalia* univocè dicuntur. *Paronyma*, & Scholaſticis *agnominata*, appellantur quæ ſunt inter ſe etymologiâ connexa, ut *Grammaticus* & *Grammatica.*

6. De hiſce & quibuſdam aliis *Ariſtoteles* egit, initio libelli *de Categoriis*; eáque propterea τὰ πρὸ τῶν κατηγοριῶν vocavit, & Scholaſtici ejus ſequaces *Anteprædicamenta.* Similiter quia μετὰ τὰς κατηγορίας egit de *Contrariis*, de *Modis* quibus aliquid *prius*, aut *ſimul* eſſe dicitur, de generibus κινήσεως *mutationis*, ſeu *motûs*, déque variis ſenſibus, quibus vox ἔχειν uſurpatur; propterea, ab iiſdem Scholaſticis, hæc vocata ſunt *Poſtprædicamenta.* Circa hæc, plurima obſervant, etiam vera, ſed quæ ad ſermonis, potiùs quàm ad rerum cognitionem pertinent. Tradunt etiam plurimas cùm de Anteprædicamentis, tum de Poſtprædicamentis Regulas, parum utiles, quia ferè numquam in illis peccatur. Ideóque nos ab iis expendendis abſtinuimus.

7. Iidem hoc in loco multa quærunt de Sermone, quæ potiùs ad Criticam aut Grammaticam, quàm Logicam ſpectant, quorum hoc præcipuum eſt; cùm verba ſigna ſint cogitationum, ſeu idearum, an ſint ejuſmodi ſigna naturâ ſuâ, an verò inſtitutione hominum? *Plato* olim prius adfirmavit, ſed

plerique alii Philosophi posterius; ac sanè manifestum est rem ex humano arbitrio pendere, quoniam Gentes variæ varia iisdem ideis, unde orta est tanta Linguarum varietas, imposuerunt nomina.

8. Hoc itaque misso, observandum potiùs est ex sermone ideas sæpe obscuratas fuisse. Nempe, ita adsuefacti sumus ideis quasdam voces adjungere, ut etiam, cùm apud nos taciti cogitamus, vix temperare possimus quin tacito quodam sermone sensa animi exprimamus. Adjuvamur etiam multùm aliorum monitis aut inventis, in investigatione veri; nec ea aliter cognoscere possumus, nisi ex sermone, aut Scriptis. Igitur si sermo noster, aut aliorum, non sit satis perspicuus; metuendum est ne ideæ nostræ obscurentur, & in indaganda veritate præpediamur.

9. Ostendimus autem, in Arte Critica *, cùm innumera esse obscura in sermone hominum, tum etiam multa omni sensu carere. Idem sæpe factitant homines, ubi de rebus ignotis verba faciunt, quod fieret à cæcis natis, qui inter se de coloribus disputarent; quòd ex aliorum sermone didicissent nomina colorum, variásque de iis observationes, quæ omnia postea memoriter recitarent. Ut ejusmodi sermo nihil aliud esset, quàm certa inanium collectio sonorum: ita non raro homines, instar campanarum, sonitum sine sensu disputantes edunt. Atque hoc evenit cùm sæpe aliàs, tum potissimùm ubi de rebus, quas ἀκαταλήπτους fatentur, sermones habent.

10. Hæc cùm ad aliam Artem pertineant, hîc non excutiemus; monebimus tantùm paucula, quæ ad Artem ratiocinandi spectant. Primum est, ubi veritatem alicujus rei, quæ non pendet ab aliorum narratione, investigamus, esse, quantum fieri potest, tacitum etiam sermonem vitandum; ne nos verba obscura, quibus fortè adsuevimus, fallant.

11. Secundum est, si abstinere ab ea re non possumus, inter meditandum; aut si efferendum sit quod cogitamus, vitandas esse omnes obscuritates ex

* *P. 2. Sect. I. C. VIII. & IX.*

ex quibuſcumque tandem naſcantur cauſis, quarum præcipuas in *Arte Critica* enumeravimus. Numquam condonanda eſt obſcuritas, niſi iis qui clarius loqui neſciunt ; quos tamen potiùs tacere, quàm alios aut fallere, aut cruciare ambiguo ſermone, deceret.

12. Si verò alios loquentes audiamus, aut eorum Scripta legamus, utendum eſſet iis cautionibus quas recenſuimus in eodem opere Critico ; ſi non liceat interrogare eos qui loquuntur, aut ſcribunt. Alioqui ſi ſciſcitantibus nobis reſpondere parati ſint, ubicumque occurret dictio obſcura, rogandi ſunt eam definiant. Si bonâ fide agunt, nec volunt nobis fucum facere, numquam ejuſmodi definitiones negabunt ; ſi negent, non ſunt ampliùs audiendi ; qui enim non vult intelligi, dignus non eſt cui aures præbeantur. Ceterùm de Definitione Vocum, in Parte ſequente, ubi ad *Definitionem* ventum fuerit, agemus.

Primæ Partis Logicæ Finis.

LO-

LOGICÆ
PARS SECUNDA.
De Judiciis.

CAPUT I.
De Judicio Mente concepto, & Verbis expresso.

1. IDeis & proprietatibus idearum singillatim considerátis, ad Judicia, in quibus plures comparantur ideæ, deveniendum est. Et ante omnia quidem, judicium, quatenus in Mente hæret, à verbis quibus exprimitur, si velimus scire quid sit, probè distinguendum est.

2. Judicium, quatenus Mente continetur, est *relationis, quæ inter duas aut plures ideas intercedit, perceptio.* Sic, quando judico Solem esse majorem Lunâ, comparatâ utriusque ideâ, ideam Solis majorem esse ideâ Lunæ animadverto; atque in hac perceptione adquiescit Mens mea, nec quidquam ea de re amplius quærit. Cùm duos numeros esse inæquales judico, animadversâ eorum inæqualitate, Mens mea eos ampliùs eo respectu non expendit; sed tantùm post examen, inæquales compertos esse, memoriæ mandat.

3. Observandum est posse Mentem nostram obscuris ideis, non minùs ac claris, adsentiri; seu quasi aliquid comperisset, quod tamen non comperit, in eo adquiescere, & quod visa est sibi comperisse, memoriæ mandare. Ita possumus existimare stellas fixas minores esse Luna, comparatis stellarum fixarum, & Lunæ obscuris ideis; & postmodum rem quasi indubitatam statuere. Sed etiam adsensum nostrum, donec adcuratè consideratis ideis

ideis res clara evaſerit, poſſemus cohibere; ſin ad perſpicuam perceptionem pervenire nequeamus, in dubitatione noſtra hærere, rémque quaſi dubiam memoriæ mandare. Facultas autem, quam in nobis eſſe ſentimus, adſensûs obſcuris præbendi, vel negandi, vocatur *Libertas*.

4. Verùm ubi res ad ſummam perſpicuitatem devenit, ea facultate ampliùs uti non licet. Neque enim exempli causâ, à nobis impetrare poſſemus ut crederemus bis duos non eſſe quatuor, partem non eſſe minorem toto, aliáque ſimilia evidentiſſimæ veritatis Axiomata. Statim ac ea intelligimus, Mens neceſſariò adquieſcit, nec inquirendi ampliùs vel minimam cupiditatem in ſe animadvertit.

5. Hujuſmodi eſt judicium, quatenus in Mente hæret; ubi autem verbis exprimitur, vocatur *Propoſitio* vel *Enunciatio*; in qua ſemper aliquid negatur, vel adfirmatur. Ea pars propoſitionis, de qua adfirmatur aut negatur aliquid, *ſubjectum*; altera verò quæ de illa prædicatur, negando aut adfirmando, *prædicatum* vocatur. Ita quando dicimus: *paupertas eſt ſublevanda*, aut *paupertas non eſt vitium*, vox paupertas eſt *ſubjectum*, *ſublevanda* & *vitium* ſunt *adtributa*, aut *prædicata*. Præter haſce duas partes conſideranda eſt *copula*, quâ, cùm eſt ſola, adfirmatur relatio quædam inter ſubjectum & prædicatum eſſe; additâ verò particulâ negativâ, eadem negatur relatio. In priore propoſitionum adlatarum, inter ideam paupertatis & ideam ſubſidii adfirmo relationem eſſe; adeò ut paupertas, in animo meo, ideam ſubſidii complectatur, vel ſecum trahat. In poſteriore, ideâ paupertatis excitari in me notionem rei vituperandæ, nego.

6. Propoſitiones interdum pluribus, interdum paucioribus vocibus exprimuntur. *Achilles inſanit* eſt integra propoſitio, idem eſt enim ac ſi dicerem: *Achilles eſt inſaniens*. Vox *perii* continet integram propoſitionem, idem enim exprimit ac ſi dicerem: *Ego fui periens*. Hæc cogitanti nullam difficultatem pariunt, neque quidquam conferunt ad cognitionem veritatis, niſi quatenus noſtris, aut alienis ver-

bis expressa est. Verùm, ut sæpe monuimus, Logica Veterum ars fuit loquendi, non minùs ac cogitandi.

7. Observandum porrò terminos, quibus Propositiones constant, vocari *simplices*, quando sunt unicâ voce expressi; ut, *Deus est bonus*: *complexos* verò quando pluribus; ut, *Deus, qui est bonus, non potest miseriâ hominum gaudere* Quod jam suprà Part. I. Cap. xi. §. 2. pluribus ostensum.

CAPUT II.

De Propositionibus Universalibus & Particularibus.

1. IDeas divisimus in Universales, Particulares & Singulares, eodemque modo posse distribui voces, quibus exprimuntur, innuimus. Sic quoque dividuntur Enunciationes.

2. Cùm subjectum universale est, seu in tota extensione sua sumitur, nullâ exceptâ specie, neque ullo individuo, quæ sub eo continentur; tum propositio est universalis. Universalitas exprimitur voce *Omnis*, ubi adfirmativa est Propositio: voce *nullus*, ubi negativa. *Omnis homo est liber*, est propositio universalis adfirmativa. *Nullus homo est liber*, est universalis negativa.

3. Cùm verò adficitur subjectum aliquâ notâ, quâ ostendimus non omnes species, omniáve individua quæ continentur sub ea voce, comprehendi, tum Propositio particularis dicitur; ut, *Aliquis homo est liber.* Voce *aliquis* significamus quidquid comprehenditur vocabulo generali homo, hîc à nobis non intelligi; sed tantùm partem aliquam, quam voce *aliquis* designamus.

4. *Singulares* vel *individuales* sunt, quibus aliquid de individuo adfirmatur; ut *Alexander fuit iracundus.* Hujusmodi propositiones magnam habent cum universalibus adfinitatem, in eo sitam quòd utrarum-

que

que subjectum, secundùm totam suam extensionem, sumatur; unde fit ut in Argumentationis Regulis, Individuales Propositiones pro Universalibus habeantur, ut ex quarta Parte liquebit.

5. Universalitas, & particularitas Propositionum, earum *quantitas* dicitur à Scholasticis; quemadmodum adfirmatio, aut negatio *qualitas*.

6. Hisce positis, Propositiones cùm secundùm quantitatem, tum secundùm qualitatem, divisæ, referentur ad quatuor genera; quæ designantur litteris A, E, I, O, ad memoriam adjuvandam, & ad facilius tradendas Regulas de Syllogismis, ut ex quarta Parte adparebit.

A designat Universalem adfirmativam; ut, *Omnis homo est liber.*
E Universalem negativam; ut, *nullus homo est liber.*
I Particularem adfirmativam, ut, *aliquis homo est liber.*
O Particularem negativam; ut, *aliquis homo non est liber.*

Versiculis duobus hoc comprehensum est.

Adserit A *negat* E, *verùm generaliter ambæ.*
Adserit I *negat* O, *sed particulariter ambo.*

7. Ceterùm licèt, adcuratè loquendo, omnis Propositio, ubi ocurrunt notæ universalitatis, ejusmodi esse deberet; attamen sermonis usus, qui numquam à Philosophis pependit, multas Propositiones probat, quæ terminis universalibus conceptæ, non debent universaliter intelligi. Licèt Dialectici pluribus hac de re agant, nos eam non attingemus hîc, quia quæstio est ad Criticam pertinens, quæ docet quemadmodum Linguæ sint intelligendæ; non Logicam, quæ, intelligi quod dicitur, statuit. Ideóque de ejusmodi Propositionibus egimus P. 2. Sect. 2. C. vi. nostræ *Critices.* Hac de re etiam multis egit Scriptor Gallicus *Logicés,* quæ *Portus-regii* dici solet. P. II. C. x. Verùm quidquid habet, huc redit; nempe, ut judicium feratur de sensu ejusmodi Enunciationum, oportere loquentis animum ali-

unde esse notum, ejúsque cognitionem nobis perspectam; quandoquidem sensus ex ipsis verbis, ex notione receptâ intellectis, non satis liquet.

8. Ad investigationem veri magis pertinet observatio, ex iis quæ de Substantiis antea diximus profluens. Nimirum, universales Propositiones, ubi sermo est de generibus & speciebus Substantiarum, non posse certò statui rebus ipsis consentaneas; quia cùm earum essentias non norimus, omnes Substantias, quibus quædam adtributa simul inesse videmus, esse, etiam in iis quæ non novimus, similes, pronunciare non possumus. Exempli causâ, in omnibus hominibus quædam adtributa similia, constanter videmus. Sed quis nos docebit utrum eorum Mentes omnes similes sint, adeò ut quidquid discriminis est inter eas, oriatur ab externis causis, ut à corpore, ab educatione, & similibus; an verò sit inter eas, in ipsa Mentium substantia, discrimen? Posterius videtur persuadere discrimen ingeniorum, quod deprehenditur in fratribus eodem modo educatis; sed quoniam nobis non constat cerebrum in iis eadem ratione esse dispositum, posset & ingenii discrimen ab ea varietate oriri.

9. Ita quoque qui audacter omnium corporum intimam essentiam esse statuunt eamdem, si verè sentiunt; veritatem casui potiùs, quàm perspicuæ cognitioni debent. Posset enim intima variorum corporum essentia planè differre; licèt quibusdam adtributis, quæ nobis nota sunt, inter ea conveniat. Igitur cum de Substantiis effata generalia proferuntur, cavendum ne adsentiamur iis, quæ intimas earum essentias perspectas esse statuunt.

10. Alia Modorum, quorum totam essentiam novimus, ratio est. De iis effata quævis generalia, indubitatæ veritatis, proferre possumus. Atque hinc fit ut Geometria, quæ circa modos versatur tota, fundamentis nitatur certissimis, & universales regulas de omnibus figuris & magnitudinibus, eásque inconcussas tradat.

Caput III.

De Propositionum Oppositione.

1. PRopositiones *oppositæ* dicuntur, quarum in altera negatur, quod in altera adfirmatur, vel totum, vel partim; *Contradictoriæ* verò, ubi quantite & qualitate opponuntur, ut: *Omnis homo est liber*: *Aliquis homo non est liber*; prior enim est universalis adfirmans, posterior particularis negans.

2. Si qualitate differant, sed consentiant quantitate, *contrariæ*, vel *subcontrariæ* in sermone Scholasticorum dicuntur; & *contrariæ* quidem, quando ambæ sunt universales, ut, *nullus homo est liber*, *omnis homo est liber*; Subcontrariæ verò, quando particulares, ut, *aliquis homo est liber*, *aliquis homo non est liber*. Verum in aliorum hominum sermone, *Contrariæ* & *Contradictoriæ* passim miscentur.

3. Regulas hasce condiderunt Philosophi de ejusmodi Propositionibus veras, & contra quas nemo peccat sani cerebri, exceptis Theologis quibusdam. Prima est, *Contradictorias numquam simul esse vel veras, vel falsas*. Si omnes homines sunt liberi, non potest fieri aut aliquis eorum non sit liber, & vice versâ.

4. Secunda est: *Contrarias numquam esse simul veras, sed posse quidem utrasque falsas esse*. Fieri nequit ut omnes homines liberi sint, si nullus libertate fruatur; nec posterius verum esse potest, nisi prius sit falsum. Sed si quis diceret *omnes homines esse bonos*, posset hoc æquè falsum esse ac contraria, *nullum hominem esse bonum*; quia possunt aliquot homines esse boni.

5. Tertia est: *Subcontrarias posse simul esse veras*; ut, *aliquis homo est bonus* & *aliquis homo non est bonus*. Sed *non possunt esse simul falsæ*, ut adparet ex duabus Propositionibus adlatis. Nam si falsum est aliquem hominem esse bonum, verum est aliquem hominem non esse bonum.

6. Op-

6. Oppositis Propositionibus enumerantur à quibusdam *subalternæ*, hoc est, quarum una particularis sub altera universali continetur. Sed, propriè loquendo, non sunt oppositæ ; quoniam nulla in iis est negatio adfirmationi contraria, qua in re sita est oppositio. Propositiones subalternæ sunt : *Omnis homo est liber*, & *Aliquis homo est liber*, quarum posterior priore continetur.

7. De hisce observandum primò, *ex veritate Universalis propositionis, sequi veritatem particularis, sed non vice versâ :* Secundò, *si particularis sit falsa, falsam etiam esse universalem, sed non vice versâ :* Tertiò, *universalem & particularem subalternam posse esse nonnunquam utramque falsam, interdum utramque veram.* Omnes homines esse mortales, aliquémve eorum esse morti obnoxium æquè verum est ; at æquè falsum omnes homines initio carere, & aliquem hominem ab æterno esse.

8. Multa hîc Philosophi tradunt de reductione Propositionum oppositarum ad eumdem sensum, mutatis pauculis verbis ; sed cùm potiùs pertineant ad sermonem, quàm ad rectè cogitandi Artem, ea omittemus. Eadem de causa, non adtingemus quæ spectant ad conversionem Propositionum, de quibus consuli possunt Logici, ab iis quorum hæc adcuratius nosse intererit.

9. Licèt quæ de Propositionibus contradictoriis & contrariis dicta sunt, extra omnem dubitationis aleam, apud Philosophos, posita sint ; non eadem est Theologorum sententia, quorum multi duas contradictorias Propositiones, divinâ potentiâ, simul veras esse posse contendunt. Aiunt enim corpus unum posse esse simul aliquot pedes longum, & latum, & omni extensione carere. Existimant de corpore uno Christi posse dici : *Hoc corpus est extensum*, & *Hoc corpus non est extensum*, atque utrumque æquè verè.

10. Verùm ad hanc portentosam sententiam, sponte suâ & nexu perspicuarum ratiocinationum, adducti non devenerunt. Defendendum iis fuit dogma *Transubstantiationis*, quod paullatim & involucro vo-

vocum obscurarum tectum, priusquàm Philosophicè expenderetur, subiit. Hinc factum ut Philosophia Aristotelica, quæ postea in Ecclesiam Latinam ingressa est, * primùm sit damnata; deinde eâ lege admissa, ut quædam quæ vera Philosophicè essent, haberentur Theologicè falsa.

11. Hîc quidem divinam potentiam, cui ab hominibus limites poni nefas est, prætendunt. Ac dubium est nemini, quin plurima quæ ab hominibus non capiuntur, facere possit Deus; verùm cùm aliquid adfirmamus tam de Deo, quàm de aliis rebus, oportet nos intelligere quid dicamus; etenim si verba sine sensu effundamus, ut nulla iis subjecta est potestas: ita nec ullius opinionis sunt signa. Igitur qui adfirmant duas contradictorias simul esse veras potentiâ divinâ, an intelligant quod dicunt, & verbis exprimant quod intelligunt, rogandi sunt.

12. Sanè ex eorum responsionibus adparebit, eos non magis quod dicunt, quàm nos qui negamus, intelligere. Itaque quando diximus eos *existimare, sententiámve* fovere de hac re aliquam, loquuti sumus ex usu vulgi, secundùm quem usum contradictoria credi dicere solemus. Alioqui dicendum fuisset Theologos Pontificios habere verba, quæ veritati adlatæ contraria sono videntur, sed sub quibus nulla reverâ latet opinio; ideóque quantumvis pertinaciter iis verbis utantur, nihil ab iis hac de re credi, nisi quod ceteri homines sentiunt. Opinio enim judicio nititur; quod de ideis inter quas relationem nullam, neque clarè, neque obscurè videmus, ferri nequit.

* Vide *Joan. Launoium* de Varia Fortuna *Aristotelis*.

Caput IV.

De Propositionibus Simplicibus & Compositis.

1. Simplices dicuntur à Logicis Propositiones, *quæ unico tantùm subjecto & prædicato constant*, ut *Deus est misericors.* Compositæ verò *quæ habent plura sub-*

ſubjecta, aut prædicata; ut, *Odium & Amor, ſunt adfectus oppoſiti*; *Odium proximi eſt vitium & furor*; *Odium & amor ſunt utilia & noxia.*

2. Compoſitæ Propoſitiones in varia genera dividuntur, quorum hæc duo ſunt maximè univerſalia; nempe, vel earum compoſitio verbis diſertis expreſſa eſt, vel latet. Poſteriores vocant Dialectici *exponibiles*, déque his Capite ſequente agemus; de prioribus in hoc.

3. Propoſitiones diſertè compoſitæ, ad ſex claſſes rurſus referuntur. Sunt, nempe, vel *Copulativæ*, aut *Disjunctivæ*; vel *Conditionales*; vel *Cauſales*; vel *Relativæ*; vel *Diſcretæ.*

4. *Copulativæ* dicuntur eæ, in quibus plura ſubjecta, vel prædicata, conjunctione adfirmante aut negante, copulata ſunt; ut, *Divitiæ & nobilitas ſunt ſuperbiæ cauſa*; vel, *Nec divitiæ, nec nobilitas ſunt ſapientiæ cauſa.* Iterum ſubdividuntur in tres claſſes, ſunt enim vel plura ſubjecta, vel plura prædicata, vel plura ſubjecta & prædicata ſimul.

5. Ut hæ propoſitiones ſint veræ, oportet utraque pars, quibus conſtant, verè adfirmari aut negari poſſit. Ita verè dicere poſſum, *Divitias & nobilitatem eſſe ſuperbiæ cauſas*, quia adfirmatio de utroque ſubjecto vera eſt. At falſa eſſet Propoſitio hæc: *Divitiæ & pietas ſunt ſuperbiæ cauſa*; nam verè quidem hoc adfirmes de divitiis, falsò verò de pietate.

6. Contrariæ harum propoſitionum, quà, nempe, ſunt copulativæ, non ſunt ſimpliciter negativæ, aut quibus oppoſitum aliquid adfirmatur aut negatur; ſed eæ demum, in quibus copula adfirmatione, aut negatione adficitur. Ita Propoſitionis adlatæ, *Divitiæ & nobilitas ſunt ſuperbiæ cauſa*; contraria hæc eſt, *Divitiæ nobilitati conjunctæ non ſunt ſuperbiæ cauſa.* Nam quod hîc adfirmatur aut negatur, adficit conjunctionem ET; conſiderantur enim divitiæ & nobilitas, ut copulatæ.

7. *Disjunctivæ* propoſitiones ſunt, in quibus eſt conjunctio disjunctiva; ut, *Amicitia pares aut accipit, aut facit.* Ut hujuſmodi Propoſitiones ſint veræ, nihil eſſe debet medium, aut tertium. Si quis

dicat;

dicat: *Homines sunt necessariò aut rubri, aut cærulei*, fallitur; quia sunt alii colores, præter cæruleum & rubrum. Harum contrariæ sunt, in quibus negatur disjunctionis veritas; ut, *Amicitia nec pares accipit, nec facit.*

8. *Conditionales* sunt, quarum partes conditionali particulâ *si* copulantur; ut, *Si sol stat, terra movetur.* Prior pars vocatur *antecedens*, posterior *consequens*. Consequentiæ veritas hîc sola spectatur, quæ potest esse recta, licèt utraque pars falsa sit; eâ enim ratione ad absurdum reducitur principium falsum, ut, *si Deus plectit innocentes, est injustus.*

9. Consequentia autem est *proxima*, vel *remota*. *Proxima* est, ubi ex priore parte, nullâ aliâ interpositâ ideâ, posterior sequitur. In propositione modò adlata, non est consequentia proxima, quia ut admittatur ejusmodi Propositio, statuendum injustitiam esse punire innocentes; quo ignorato, obscura est consequentia. Hæc ergo consequentia *remota* vocatur. *Proxima* est in hac propositione, ubi nihil subintelligitur: *si numerus est septenarius, est minor denario.* Ex sola comparatione duarum harum idearum, consequentiæ elucescit veritas.

10. Contrariæ hisce propositiones sunt, in quibus negatur veritas consequentiæ; ut, *si Deus plectat innocentes, non propterea injustus est.*

11. *Causales* Enunciationes dicuntur, in quibus occurrunt causales particulæ *quia*, vel *ut*. Sic, *Homo creatus est, ut Deus ei benefaceret*; vel *quia Deus ei benefacere voluit.* Ut ejusmodi propositiones sint veræ, oportet ut quod exprimitur eâ parte, ante quam est *ut*, vel *quia*, seu ad quam causalis particula pertinet, sit causa ejus quod exprimitur parte alterâ. Ita nisi beneficentia Dei causa esset creationis hominis, falsa esset propositio adlata. Ideóque contrariæ harum Enunciationes negant tantùm id esse causam, quod causa dicitur.

12. Ad hasce Propositiones, referuntur quæ dicuntur *reduplicativæ*, in quibus adhiberi solent particulæ *qua*, aut *quatenus*, vel aliæ similes; ut, *Homo, quatenus homo, rationalis*; *quà homo, mortalis est.*

13. *Rela-*

13. *Relativæ* Propositiones dici solent, quæ aliquam comparationem, seu relationem complecti censentur; ut, *tanti sis quantum habeas.* Sed adcuratè loquendo, omnes Propositiones complectuntur relationem, ut *Cap.* IV. P. 1. & *Cap.* 1. hujus secundæ Partis ostendimus. Omnium Propositionum veritas nititur veritate relationis, quæ est inter ideas; quæ in iis comparantur, non minùs quàm veritas harum Propositionum, quibus comparatio disertè expressa *relativis* nomen fecit. Contrariæ omnium Propositionum, ut & harum, sunt, in quibus negatur relatio, quæ inter ideas esse statuitur.

14 *Discretivæ* dicuntur, quæ varia judicia continent, ita ut varietas illa adversativis particulis *sed, tamen* &c. notetur, nisi subintelligantur; ut *Romani victi sunt ab Annibale præliis plurimis, sed non bello: Romani exercitus disciplinâ, non numero militum, vincebant.* Debet esse inter membra harum Propositionum oppositio, ut sint veræ, aut sensum aliquem fundant. Inepta esset hæc Propositio: *Romani strenui quidem erant, sed loquebantur Latinè,* nam Latinus sermo nihil huc facit.

15. Contradicitur hisce Propositionibus, tribus modis; ut, *Romani exercitus vincebant non disciplinâ, sed numero*; & hæc est directa contradictio; obliquiores sunt: *Romani exercitus vincebant neque disciplinâ, neque numero*: &, *vincebant cùm disciplinâ, tum numero.*

CAPUT V.

De Propositionibus Exponibilibus, seu sensu Compositis.

1. SUnt, uti diximus Capite superiore, § 2. aliæ Propositiones compositæ, quarum tamen compositio disertè expressa non est. Ideò, ut adpareat, expositione indigent, proptereàque *exponibiles* dicuntur. In quatuor classes dividuntur; sunt, nimirum,

Exclusivæ, Exceptivæ, Comparativæ, Inceptivæ, & Desitivæ.

2. *Exclusivæ* dicuntur eæ, in quibus prædicatum soli subjecto convenire adfirmatur; ut, *sola felicitas æterna est propter se optanda.* Hæc propositio constat hisce duabus: *optanda est felicitas, & ea quidem felicitas quæ æterna est.* Contradici potest tribus modis, 1. si negetur prædicatum subjecto convenire, ullâ ratione: 2. si dicatur etiam aliis convenire: 3. si utrumque hoc conjunctim dicatur.

3. *Exceptivæ* sunt, in quibus aliquid de quapiam re adfirmatur, excipiendo quampiam ejus proprietatem, aut partem, aut aliquod ex subjectis inferioribus, quæ illi rei subsunt. Ita dicimus, *hominem in errorem non delapsurum, nisi abuteretur libertate sua*; *hominem esse immortalem, si corpus excipias*; *homines esse albâ aut fuscâ facie omnes, exceptis Æthiopibus.* Ceterùm *Exclusivæ* ab *Exceptivis*, solâ phrasi differunt; ideóque iis eodem modo contradicitur.

4. *Comparativæ* sunt, in quibus fit comparatio inter duas aut plures res, quarum una, aut plures majores aut minores aliquo sensu aliis dicuntur; ut, *Achilles Hectore fortior fuit*; *Patroclus Hectore inferior erat fortitudine.* Continentur in hisce Propositionibus duæ aliæ: *Achilles fortis fuit, imò ipso Hectore fortior: Patroclus fortis quidem fuit, sed non æquè ac Hector.*

5. Contradicitur hisce Propositionibus, cùm Propositionem subintellectam & latentem negando, tum ipsam comparationem impugnando. Ceterùm cavendum ne putemus positivum gradum ejus comparativi, qui in Propositione adhibetur, utrique ideæ convenire. Ita interdum dicimus; *Melior est honesta paupertas malè partis divitiis*, nec tamen volumus dicere malè partas divitias bonas esse, seu laudabiles. Igitur in hac propositione non sunt quærendæ hæ duæ: *bonæ sunt divitiæ malè partæ: melior tamen est paupertas*; sed hæ; *honesta paupertas non est mala, seu vituperanda: at vituperandæ sunt divitiæ malè partæ.*

6. Cùm aliquid dicimus incipi, aut desinere, duo continentur in Enunciationibus, judicia; quorum

rum unum respicit ad statum, in quo res ante id tempus quo incepit, aut desiit, erat: alterum ad eum in quo est, ab eo tempore. Propositio *inceptiva* dicitur, exempli causâ, hæc: *Lingua Latina à Tiberii principatu corrumpi cœpit*; idem enim est ac si diceremus, *Linguam Latinam ante Tiberium puram fuisse, sed corrumpi cœpisse ejus ævo. Desitiva* verò hæc: *Romana lingua desiit esse pura, ab eo tempore, quo innumeri peregrini Romanâ civitate donati sunt.*

7. Mirum est à Philosophis non esse additam hisce Propositionem *continuativam*, quæ tria complecteretur judicia; ut si quis dicat: *sub Augusti principatu, pura remansit Lingua Latina:* hac enim propositione tria significantur, 1. ante Augustum puram fuisse Linguam Latinam: 2. sub eo puram remansisse: 3. sequentibus ætatibus corruptam fuisse.

8. Inceptivis & desitivis contradicitur, duabus Propositionibus, quas continent, contradicendo; continuativis verò contradiceretur tripliciter, negando tres Propositiones quæ in iis latent. Verùm hæc omnia, licèt vera, aliquem fortè usum habent in intelligendo sermone alieno, & suis cogitationibus ad normam Artis exprimendis; at in investigando vero exiguum, aut pænè nullum.

9. Eodem pertinet observatio, quæ ad omnes memoratas in hoc Capite propositiones spectat, nempe, licèt multifariam eis contradici queat, attamen cùm simpliciter negantur, exclusionem, exceptionem, comparationem, inceptionem, desitionem, aut continuationem censeri negativâ conjunctione adfectas, nullâ latentium propositionum ratione habitâ. Ita si dicam *sub Tiberii principatu Linguam Latinam corrumpi cœpisse*, idque simpliciter negetur; negationis hîc sensus erit, *non cœpisse eam tunc corrumpi.*

CAPUT

Caput VI.

De Propositionibus Complexis, & Incidentibus.

1. CUM definierimus Propositiones Compositas, eas quæ multiplex habent subjectum, aut prædicatum; sequitur eas simplices esse omnes, quæ unicum habent prædicatum ac subjectum, quantumvis hæc complexa sint. Ita Propositio hæc simplex habetur: *quicumque virtuti constanter adhæret, neque hominum sermones curat, est beatus*; quia quæcumque præcedunt copulam EST, unum subjectum constituunt, non minùs ac si esset, loco tot vocum, vocabulum *Pius*. Nempe, hìc spectatur animus loquentis, qui non est adfirmare quempiam constanter virtuti adhærere, aut ab eo contemni sermones Vulgi: hæc non spectat hìc, sed ponit. Vult tantùm adfirmare eos, qui ita se gerunt, esse beatos.

2. Atque hæc observatio locum habet in omnibus ejuscemodi Propositionibus, quacumque tandem ratione sint conceptæ; seu sint nomina adjectiva quæ substantivo conjunguntur, ut *Cæsar, Impp. Romanorum maximus, Pompeium vicit*; seu pronomen *qui* intercedat, ut, *is Cæsar, qui Pompeium acie fudit, fuit vir doctissimus*, seu alio quovis modo.

3. Propositiones porrò complexæ sunt duûm generum; nam aut in *materia* Propositionis, hoc est, in prædicato, vel subjecto; aut in *forma*, hoc est, in copula, complexio est. Facile est fingere Propositiones in materia complexas; in forma verò complexæ hoc est exemplum: *Ego adfirmo terram esse mobilem*; huc enim redit hæc Enunciatio; *Ego* sum adfirmans *terram esse mobilem*. Voces autem *sum adfirmans*, quæ copula sunt, complexum quid denotant, quod neque ad prædicatum, neque ad subjectum pertinet. Atque ejusmodi sunt omnes Propositiones, in quibus copula exprimitur verbo activo, quod casus aut infinitivus sequitur.

4. Pe-

4. Peripatetici inter Propositiones complexas quoad formam, quatuor species potissimùm considerant, quas *modales* vocant, quia adfirmatio certâ ratione in iis *modificatur*. Nempe, aliquid dicitur esse *possibile*, *contingens*, *impossibile*, aut *necessarium*. Sic possumus dicere: *Cæsarem erat possibile à Pompeio vinci*, vel *non erat possibile*. *A Pompeio erat contingens Italiam deseri*; hoc est, poterat hoc fieri, aut omitti. *Necesse erat, terrâ interpositâ, Eclipsin Lunæ creari*. Multa subtiliter de hisce modis observant Peripatetici, quæ ut supervacanea, aut alibi commodiùs tradenda omittimus.

5. In complexis Propositionibus quoad materiam, occurrunt Propositiones quædam, quæ à nobis *incidentes* vocabuntur; quia inter loquendum earum *incidit* mentio, quasi rerum cum ea, quam præcipuè dicere volumus, connexarum. Sic dicimus: *Cæsar, qui fuit summus Imp. Pompeium, qui & ipse egregius Imp. erat, vicit.* Præcipuus hujus Propositionis finis est dicere, à Cæsare victum fuisse Pompeium; & dum hoc dicitur, virtutis utriusque bellicæ incidit mentio.

6. Hîc porrò ad animum revocandum quod diximus suprà P. I. C. xi. § 3. de significatione pronominis QUI, QUÆ, QUOD, quod modò est *determinativum*, modò *explicativum*.

7. Cùm pronomen hoc dumtaxat explicativum est, tum subjectum potest ejus loco substitui: ut, *Alexander qui fuit filius Philippi, bis Darium vicit.* Possumus enim dicere: *Alexander fuit filius Philippi.* Nempe, τὸ *qui* explicativum ibi tantùm occurrit, ubi prædicatum Propositionis incidens adfirmatur de toto subjecto præcipuæ Propositionis.

8. Contrà verò, ubi pronomen determinativum est, subjectum præcipuæ Propositionis non potest loco pronominis substitui; quia non de toto subjecto præcipuæ Propositionis adfirmatur. Ita cum dicere queam: *Corpora, quæ pellucida sunt, habent poros*, non possum tamen dicere de corporibus in genere: *Corpora sunt pellucida*, neque enim omnia talia sunt.

9. Si

9. Si quis quærat, quî ſcire queamus pronomen relativum eſſe δεικτικὸν aut ἐξηγητικὸν? nihil eſt quod reponamus, niſi hoc pendere ex cognitione animi loquentis, quæ aliunde haurienda eſt, quæque ſola ambiguè dicta clariora facit; ut pluribus in locis *Critices* noſtræ P. II. S. I. obſervavimus.

10. Similiter agendum in aliis Propoſitionibus complexis, in quibus incidentem diſtinguere ſæpe aliter à præcipua non poſſumus, quàm ſi ſciamus quis ſit ſcopus loquentis. Ita ſi animus mihi ſit dicere, gravia ſponte deorſum, terram versûs tendere, & ita mentem meam exprimam: *Omnes Philoſophi docent res graves deorſum ſponte tendere*, prior pars erit incidens, (*omnes Philoſophi docent*) & addita ad confirmandam adfirmationem ſequentem. Verùm ſi mihi tantùm animus ſit exponere ſententiam Philoſophorum, tunc priores tres voces ad præcipuam Propoſitionem pertinebunt, ſeu partem unius Propoſitionis complexæ, ſine *incidente*, conſtituent.

11. Propoſitionibus, quæ multipliciter complexæ, & in quibus plures occurrere poſſunt incidentes Propoſitiones, recenſendis non immorabimur. Etenim, ut probè intelligantur, ſunt dividendæ eæ Propoſitiones complexæ in ſimplices, & expendendæ ut aliæ, de quibus egimus.

12. Poſſent hîc quædam addi, *de veritate* ac *falſitate* incidentium Propoſitionum, non inutilia; verùm pertinent potiùs ad Criticen, & huc potiſſimùm redeunt; veritatem & falſitatem incidentis Propoſitionis non pendere à veritate & falſitate præcipuæ. Poteſt eſſe præcipua vera, licèt ſit falſa incidens, & vice versâ. Itaque hæ Propoſitiones Complexæ, non niſi cum diſtinctione, negari, aut admitti poſſunt.

Ca-

CAPUT VII.

Quid ſint Veritas & Falſitas, atque an detur certum utriuſque diſcrimen.

1. POſtquàm hiſtoriam Propoſitionum abſolvimus, prout in varias claſſes à Scholaſticis rediguntur, majoris rem momenti expendendam ſeries tractationis oſtendit. Agendum de veritate ac falſitate in genere omnium Propoſitionum, ut verum à falſo ſecernere diſcamus; quam in rem adſequendam Philoſophi omnes ſummopere laborarunt. Atque hic etiam eſt hujus Artis ſcopus, etenim bene ratiocinando ad veritatis cognitionem pervenire conamur.

2. Vera dicitur Propoſitio, cùm naturæ rei, de qua quidpiam adfirmatur vel negatur, conſentanea eſt. Ita cum dico 4 *eſſe* $\frac{1}{4}$ *numeri* 16, ea Propoſitio eſt vera, quia conſentanea eſt naturæ horum numerorum. Si dicam *bis* 4 *eſſe æqualem bis* 3, Propoſitio erit falſa, quia non eſt horum numerorum naturæ conſentanea

3. Quicumque ſeriò & prout ſentit, loquetur, ſe credere neceſſariò nihil medium eſſe, inter verum & falſum, fatebitur. Sanè omnis Propoſitio in ſe conſiderata nobis videtur aut falſa aut vera; ſunt enim res *contradictoriæ, conſentaneum eſſe, & non conſentaneum eſſe cum natura rerum.* Sunt quidem Propoſitiones veriſimiles, aut falſitatis ſuſpectæ; at hoc ad naturam Propoſitionum, quæ eſt in ſe vera aut falſa, non pertinet; ſed ad cognitionem noſtram, quæ, quod adtinet ad hujuſcemodi Propoſitiones, nondum ſatis magna eſt, ut certò pronunciare queamus. Qua de re poſtea agemus.

4. Fuere olim Philoſophi, qui hoc unum certum eſſe hominibus contendebant, *nihil eſſe certum*, præter hoc ipſum eorum Axioma; veritatémque nullum habere indicium, quo à falſitate in ceteris rebus diſtingueretur. Verùm cùm diffiteri non poſſent, quidquid vitilitigarent, ſe hoc Axioma: *nihil*

hil certum est, verum existimare, oportet in hoc Axiomate fuerit, secundùm eos, aliquod *κριτήριον* veri, propter quod id reliquarum propositionum omnium incertitudini eximebant. Ac sanè in eam delapsi erant sententiam, quòd se in iis quæ ab aliis Philosophorum sectis adfirmabantur, indubitata incertitudinis indicia invenisse existimarent. Igitur, dum videri volunt de omnibus dubitare, de omnibus certa judicia ferunt, cùm judicant incerta esse omnia quæ ab aliis dicuntur. Itaque necesse non est ut oppugnemus *Pyrrhonios*, aut *Academicos* (nam verbis potius quàm re, dissentiebant) quasi negantes notam prorsus esse veritatem; qui se verè de omnium rerum incertitudine judicare putabant, nec minùs *Dogmatici*, quàm ceteri Philosophi erant.

§ 4. *Cum judicant*, &c.] Vide *Ciceronem* Acad. Quæst. L. IV. c. 9. ubi rectè Lucullus ait, hoc fuisse postulandum ab Academicis, *ut hoc unum saltem percipi nihil posse, perceptum esse dicerent*.

5. Verùm ut nobismet ipsi satisfaciamus, quærendum unde, quod adfirmamus de rebus, id earum naturæ esse consentaneum sciamus. Animadvertimus, si in nos descendamus, quædam esse, quæ necessariò adsensum exprimunt; alia verò, de quibus judicium cohibere possumus. Ubi inter duas ideas certam relationem videmus perspicuè, fieri nequit quin in ea perceptione adquiescamus, aut ut diutiùs de ea quærendum putemus. Ita inter bis quatuor & octo, adeò manifesta est relatio æqualitatis, ut an hoc ita se habeat, dubitare nequeamus.

6. At si quis adfirmaret *esse incolas in Luna*, diu pensitatâ hac Propositione, deprehenderemus nos nequaquam necessariò ei adsentiri; cujus rei ratio est, quòd nullam videamus necessariam relationem inter Lunam & incolas. Relationem autem eam in dubium, donec evidens animo nostro facta sit, revocare possumus.

7. Hinc colligere est, *evidentiâ* solâ, nobis omne dubium eximi. Superest quæramus, an ex eo quòd de Propositione nullâ ratione dubitare possumus, sequatur eam esse veram?

8. Primùm, circa hanc quæstionem observandum, eam esse inter Homines planè supervacaneam; quia

quia quodcumque tandem de ea judicium feramus, naturam noſtram non mutabimus. Evidentibus ſemper neceſſariò adſentiemur, & poteſtatem in nobis dubitandi de obſcuris ſentiemus. Ea quæſtio agitari poſſet inter Naturas alias Rationis participes, de nobis confabulantes; ſed hominibus planè inutilis eſt.

§ 8. *Evidentibus*, &c.] Cicero Acad. Quæſt. I. 13. *Ut necesse eſt lancem in libra, ponderibus impoſitis, deprimi; ſic animum perſpicuis cedere.*

9. Secundò, ſi evidentia reperiretur in Propoſitionibus falſis, neceſſariò in errorem conjiceremur, quandoquidem neceſſariò evidentiæ adſentimur. Hinc ſequeretur Deum, qui nos fecit, eſſe errorum noſtrorum auctorem, quandoquidem in errorem nos ineluctabiliter impelleret. At facere ut fallamur, non eſt niſi maleficæ naturæ, quod de Deo ſuſpicari nefas. Atque huc redit etiam reſponſio antè adhibita; nempe, ſi quis quærat, quare fallere maleficæ eſſe naturæ putemus, aut quapropter id in Deum cadere non credamus? aliud ut ſentiamus fruſtra à nobis impetrare nitamur.

10. Tertiò, veritatem neceſſariò amamus, errorémque odimus; nemo enim non cupidus eſt cognoſcendæ veritatis, nemo ſponte fallitur. Quis autem à ſe impetrare queat, ut ſuſpicetur ita nos à benefico Numine creatos, ut id vehementiſſimè amemus, quod aut conſequi nequimus; aut, ſi conſequamur, id nos adeptos nullâ arte cognoſcere queamus?

11. Quartò, ſi in evidentibus erraremus, ut in aliis; deprehenderemus aliquando inter evidentes Propoſitiones repugnantias, quæ occurrunt paſſim inter eas, quæ de rebus obſcuris agunt. At contra, evidentia evidentibus ſemper conſentanea ſunt; cùm paſſim evidentia ab obſcuris diſſentiant. Unde colligere eſt Evidentiam non eſſe fallacem, atque in Obſcuritate ſola errorem latere poſſe.

12. Igitur Evidentia veritatis eſt κριτήριον, eáque demum vera cenſere nos oportet, quibus neceſſariò adſen-

adſentimur. Nam hoc eſt quoque Evidentiæ proprium κριτήριον, ut adſenſum neceſſariò eliciat. Quæcumque ergo evidenter cernimus conſentanea eſſe rebus, de quibus agimus, ea vera eſſe cenſenda ſunt. Contrà ubi Propoſitionem eſſe contrariam naturæ rei, de qua ſermo eſt, evidenter videmus, eam falſam meritò dicimus.

13. De iis verò, quæ obſcura ſunt, judicium ferre temerarium eſt, ut obſervatum P. I. C. ix. *de obſcuritate & perſpicuitate idearum*, ubi quæ à nobis dicta ſunt non repetemus. Ceterùm quia ſæpe temerè evidentia dicuntur, quæ reverâ obſcura ſunt; quicumque in eum errorem incidere nolet, eum oportet judicium cohibere quoad poteſt, & cavere ne adfectu ullo præpediatur, ubi veritati rerum cognoſcendæ incumbit. Tum demum obſcuris, adeóque falſis, numquam adſentietur.

Caput VIII.

De Perſpicuitatis gradibus, deque Veriſimilitudine.

1. Quoniam omnia quæ credimus non nituntur evidenti cognitione, Philoſophi varios in iis quæ novimus obſervarunt gradus; qui ad hoſce tamen duos poſſunt referri, *Scientiam* & *Opinionem*.

2. *Scientia* eſt cognitio ex ipſius rei, de qua agitur, introſpectione petita, & quæ omnem dubitationem excludit. Poteſt autem oriri ex ſimplici intuitione idearum, ut cum conſidero hanc Propoſitionem: *totum eſt majus ſuâ parte*, & ſimiles, quarum veritas ſolâ evidentiâ, ſine ratiocinatione, cognoſcitur: aut ex principiis evidentibus certa deducendo conſectaria, etiam remotiora: quales ſunt Geometrarum Demonſtrationes innumeræ, per longam ratiocinationum ſeriem ex primis principiis neceſſariò deductæ.

3. *Opinio* eſt adſenſus animi præbitus Propoſitionibus non evidenter primo intuitu veris, neque ex veris neceſſariâ conſequentiâ deductis, ſed quæ ſpeciem veri præ ſe ferre videntur. Ita veriſimile eſt Scriptores vitæ Alexandri ejus res geſtas nimium extuliſſe. Amazonum Reginam ullam ab eo exceptam fuiſſe, aut ab eo Caucaſum montem umquam conſpectum, veriſimile non eſt.

4. Solent nonulli hiſce addere *Fidem*, quæ eſt adſenſus præbitus rem dicenti, quam ipſi non vidimus, neque ratiocinatione invenimus. Verùm aut illa Fides nititur collectione neceſſariâ ex evidenti ratiocinatione deducta, aut tantùm opinione veriſimili; ideóque ad ſuperiorum alterutram referri poteſt.

5. Hiſce adjici poſſet *dubitatio*, vel *dubius adſenſus*, quamquam hic quoque eſt Opinio, ſolétque generali nomine Opinionis contineri. Tunc eſt dubius adſenſus, quando levis eſt veriſimilitudo; quæ, cùm magna eſt, firmam Opinionem parit. Verùm ut hæc meliùs intelligantur, gradatim progrediemur à veriſimilitudine incipiendo, donec ad evidentiam devenerimus.

6. Cùm, ut in antecedente Capite vidimus, veræ Propoſitiones eæ dicantur, quæ ſunt conſentaneæ naturæ rerum, de quibus efferuntur; veriſimiles ſunt, quæ videntur naturæ rerum conſentaneæ. Ea veriſimilitudo poteſt eſſe major, aut minor; ac proinde Opinionem firmiorem, aut infirmiorem gignit. Nititur autem alienâ auctoritate; rei naturâ; cognitione, ac experientiâ noſtrâ, ſeu verâ, ſeu falsâ; animíque noſtri adfectione & ratiocinationibus.

§ 6. *Nititur*, &c.] *Cicero* de Inventione Lib. I. cap. 29. *Probabile eſt id quod ferè fieri ſolet, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad hæc quamdam ſimilitudinem, ſive id falſum eſt ſive verum.*

7. Ut à minima veriſimilitudine ad maximam eamus, primò obſervandum infimum gradum veriſimilitudinis niti alienâ narratione, ubi ſola hæc occurrit credendi ratio; in qua tamen variæ ſunt circumſtantiæ conſiderandæ.

8. Si

8 Si qui aliquid narrat, prorſus nobis ignotus ſit; licèt quod narrat ſuâ naturâ incredibile non ſit, attamen quia nobis non conſtat aliis experimentis, an ſit fide dignus, prorſus adſentiri non audemus; ubi aliæ non occurrunt circumſtantiæ, quæ ejus dictis pondus addant. At ſi ſit leviter notus, procliviores ſumus ad ei fidem habendam, præcipuè ſi ſit vir celebris, auctoritatis magnæ apud pleroſque; licèt experientiâ nobis non liqueat, an eam famam, auctoritatémque meritò adeptus ſit. Imò homini diviti, licèt ceteroquin animi dotibus deſtituto, potiùs credimus, quàm pauperi: quòd, nempe, eum cum rerum peritioribus verſari, non pauperem, ſuſpicemur. Facies honeſta, & ſermones probi, ceteroqui leviter noto, faciunt ut non ægrè adſentiamur.

§ 8. *Potiùs credimus quam pauperi.*] *Menander:*

Πένης λέγων τ' ἀληθὲς οὐ πιστεύεται.

Philemon:

Πρόσεστιν ἀεὶ καὶ τῷ πένητ' ἀπιστία,
Κἂν σοφὸς ὑπάρχῃ, κἂν λέγῃ τὸ συμφέρον,
Δοκεῖ τι φράζειν τοῖς ἀκούουσιν κακῶς.
Τῶν γὰρ πενήτων πίστιν οὐκ ἔχει λόγος.
Ἀνὴρ δὲ πλουτῶν, κἂν ἄγαν ψευδηγορῇ,
Δοκεῖ τι φράζειν τοῖς ἀκούουσ' ἀσφαλές.

In Grot. Excerp. p. 779.

Paupertas etiam hominibus deducit fidem,
Nam pauper quamvis catus, & quod negotium
Facto conſuadens, gravis eſt auditoribus,
Quia caſſa pondere incpis eſt oratio.
At dives plenus falſis ſalſimoniis
Ita auſcultatur, quaſi res compertas ferat.

9. Si notior aliquis nobis quidpiam narret, quò notior eſt, hoc eſt, quò plura veracitatis ejus habemus documenta, eò promtiorem apud nos invenit fidem; quamvis quin fieri poſſit eum in ea re fallacem eſſe, dubitare nequeamus. Ægrè nobis perſuademus nos falli ab eo, quem ſcimus ut plurimùm veracem fuiſſe; quia rariùs fit ut qui veracitatis habitum contraxit, aut alium quempiam, contra indolem ſuam agat.

§ 9. *Veracem fuisse.*] *Natura auctoritas,* ait Cicero in Topicis cap. 19. *in virtute inest maximè. In tempore autem multa sunt quæ adferunt auctoritatem : ingenium, opes, ætas, fortuna, ars, usus, necessitas, concursio etiam nonnumquam rerum fortuïtarum. Nam & ingeniosos, & opulentos, & ætatis spatio probatos, dignos quibus credatur, putant ; non rectè fortasse, sed vulgi opinio mutari vix potest, ad eámque omnia dirigunt, & qui judicant & qui existimant. Qui enim his in rebus, quas dixi, excellunt, ipsâ virtute videntur excellere.*

10. Sunt præterea variæ circumstantiæ, quæ vim addunt testimonio aliorum, ut si res fuerit ejus generis, in qua difficillimè falli potuerint ; ut si homines non vani se aliquid vidisse, tetigisse, diligenter expendisse, non leviter atque ὡς ἐν παρέδῳ observasse testentur. Præterea augetur verisimilitudo, si qui loquuntur, nullam ex fide, quam iis habent alii, utilitatem trahant ; aut etiam summum adeant periculum, dum se aliquid vidisse dicunt, quod periculum silentio vitarent. Si addatur etiam testium numerus amplior, tum tanta inde nascitur verisimilitudo, ut, nisi rei natura obstet, vix adsensum cohibere possimus.

§ 10. *Nullam ex fide, &c.*] *Facit etiam necessitas fidem, quæ cùm, à corporibus, tum ab animis nascitur. Nam & verberibus, tormentis, igni fatigati, quæ dicunt, ea videtur veritas ipsa dicere ; & quæ à perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundiâ, metu, quia necessitatis vim habent, adferunt auctoritatem & fidem.* Cicero in Topicis. c. 20. Vide & Scriptorem ad *Herennium* Lib. II. c 2. & 3.

11. Secundum, quod hîc animum nostrum adficit, est ex ipsa rei natura, simúlque experientia nostra ductum. Si res planè impossibilis proferatur, ut postea dicemus, quicumque eam narret, dum impossibilis videbitur, numquam credetur. Hoc enim est indicium falsi.

12. Necesse est ante omnia, ut id quod dicitur, fieri posse putetur ; si tamen numquam id viderimus, nec ab aliis experientiâ compertum audiverimus, licèt res non sit impossibilis, exiguam apud nos fidem inveniet. Exempli gratiâ, si quis nobis narraret se vidisse apud Indos adamantem nitidissimum, qui crassitie caput humanum æquaret ; quamvis in ea re animus noster nihil videat planè impossibile,

poſſibile, aut repugnans; attamen vix crederemus; quia nec ipſi umquam tantæ magnitudinis adamantem vidimus, nec ab alio ullo conſpectum fando accepimus. * Hoc olim vidit *Empedocles*, cùm dixit, ea quæ neque conſpecta ſunt, neque audita ab hominibus, mentem non ſubire.

Οὕτως οὔτ' ἐπιδερκτὰ τάδ' ἀνδράσιν, οὔτ' ἐπακουστά,
Οὔτε νόῳ περιληπτά.

Idem quoque dixerat:

Αὐτὸ μόνον πεισθέντες ὅτῳ προσέκυρσεν ἕκαστος.
Hoc tantùm unumquemque perſuaderi, quod probat.

Eleganter etiam † *Plinius*: *Varia opinio ex ingenio cujuſque, vel caſu.*

13. Quando ſimile quid vidimus, aut ab aliis viſum accepimus, conſideramus præterea quàm rarò, aut quàm frequenter id acciderit; quò enim frequentiùs viderimus, aut ab aliis oculis uſurpatum reſciverimus, eò faciliùs credemus; & vice versâ, quò rariùs, eò difficiliùs. Ita ſi quis dicat ſe pontem vidiſſe lapideum, fluvio impoſitum, centum aut ducentos paſſus longum, haud ægrè adſenſum noſtrum impetrabit; ſed difficiliùs credemus narranti ſe vidiſſe pontem ex ſolido marmore æſtuario marino oppoſitum, ad quatuor paſſuum millia porrectûm; & alium pontem uno tantùm quadringentorum pedum fornice ſuffultum; quales apud Sinas eſſe dicuntur.

14. Ex eadem experientia, ad examen revocamus circumſtantias rationis, quâ quidpiam factum eſſe dicitur, perſonarum, loci, temporis, quæ ſi cum iis quæ novimus conſentiant, vim addunt narrationi. Conſideramus etiam quæ potuerint eſſe cauſæ, quæ ad actionem, quæ nobis narratur, edendam, eum, cui tribuitur, impulerint. Si enim agatur de re planè inuſitata, ſine gravibus rationibus facta eſſe credi nequit; quæ rationes ſi prorſus ignorentur, res nimirum dubia in animo noſtro remanet. Si

 verò

* *Apud Laërtium in Pyrrhone.*
† *Hiſt. Nat. Lib.* VII. *c.* 16.

verò graviſſimæ rationes animo obverſentur, propter quas id fieri oportuerit, non dubitamus, aut certè facilè credimus rem eveniſſe; ſi modò conſtet, aut conſtare videatur eas cauſas Agenti non fuiſſe ignotas. Sic haud ægrè Hebræorum priſcis Hiſtoriis, portenta plurima inter Hebræos à Deo edita fuiſſe, credimus; quia graviſſimi momenti erat, ſaltem unam Gentem ab Idololatria incorruptam ſervari, quod ſine illis miraculis fieri non potüit. Sed ægerrimè credimus Deum, poſtquam Chriſtiana Religio altas radices egit, prodigum miraculorum fuiſſe, propter res nihili; qualem eum deſcribunt & anteriorum ævorum Monachi, & noſtri temporis Pontificii.

15. Tertium, quo ad credendum quidpiam adducimur, in nobiſmet ipſis quærendum. Sunt enim quidam eventus, quorum veritas conſtare non poteſt, niſi iis qui animum priùs certâ cognitione imbutum habuerint. Exempli causâ, hi ſunt eventus priſcæ Hiſtoriæ: *fuit Macedoniæ Rex, qui Alexander vocabatur, à quo ſubacta eſt Aſia, devicto Perſarum Rege Dario.* Homini in Græcorum & Romanorum Hiſtoriis verſato hæc uſque adeò conſtant, ut in dubium ea revocare nequeat; Hiſtoriæ verò imperito, an vera ſint, non liquebit. Nimirum, prior plurimos Hiſtoricos ea de re legit, variorum temporum, & populorum; inter quos omnes, de ſumma rei convenit. Seriem totius Hiſtoriæ, cum qua hæc ſunt connexa, novit, & ad eam cognitionem gradatim multiplici lectione pervenit. Itaque ſi velit idem alteri perſuadere, oportet ad eam veritatem per eoſdem gradus, per quos ad eam pervenit, deducat; alioqui pertinaciori numquam fidem faciet.

16. In hac porrò veriſimilitudine rerum ab alio narratarum, quo plures aut pauciores ex memoratis circumſtantiis occurrunt, eò minor aut major eſt. Imò ubi contingit omnes, aut longè plurimas occurrere, tanta eſt vis conjunctarum; ut animos noſtros æquè adficiant, ac maxima evidentia. Exempli gratiâ, qui legit Hiſtorias rerum à Romanis geſtarum

ſtarum, non magis an fuerit *Julius Cæſar*, ánve *Pompeium* vicerit, quàm an lineæ à circumferentia circuli ad centrum ductæ ſint æquales, dubitare poteſt. Qui natus eſt in cultioribus Europæ partibus, in dubium revocare nequit an ſit urbs Roma, aut fuerit ſaltem hoc ſæculo, uſque ad ætatem noſtram; nec ſeciùs credit, quàm triangulum conſtare tribus lineis rectis.

17. Quemadmodum autem in rebus theoreticis, & quæ à ratiocinatione pendent, evidentia veritatis eſt κριτήριον: ita in rebus, quæ *facti* dicuntur, concurſus tot circumſtantiarum indicium veri indubitatum eſt. Certè hiſce circumſtantiis non magis reſiſtere licet, quàm ſummæ evidentiæ; ideóque aut verum ſuadent, aut ita à Numine creati eſſemus, ut neceſſariò falleremur.

§ 17. *Concurſus tot circumſtantiarum*] Cicero in Partit. c. 11. *Veriſimilia partim ſingula movent ſuo pondere; partim, etiamſi videntur exigua per ſe, multùm tamen, cùm ſunt coacervata, proficiunt. Atque in his veriſimilibus inſunt nonnumquam etiam certæ rerum & propriæ notæ.* Vide & ſequentia.

18. Veriſimilitudo nititur quoque ſolis noſtris ratiocinationibus, ſoláve noſtrâ experientiâ ſine aliorum interventu, & omiſſis reliquis, quas antè enumeravimus, circumſtantiis; atque hîc etiam varii gradus diſtingui ita queunt, ut ubi ad ſummum ventum eſt, jam non ampliùs veriſimilitudo, ſed explorata veritas habeatur, & adſenſum noſtrum neceſſariò eliciat.

19. I. Ubi agitur de rebus, quas novimus quidem aliquatenus, ſed perſpectas non habemus, poſſumus veriſimilia quidem de iis ferre judicia, potiùs quàm ſi planè eſſent nobis ignotæ; attamen vacillat ejuſmodi veriſimilitudo, facilè enim nos erraſſe perſuaderi poſſumus. Sed ubi res eſt nobis experientiâ perſpecta, certiora multò feremus judicia de quapiam ejus proprietate, licèt ipſa non ſit nobis perfectè nota. Sic aurifaber, qui ſæpiùs aurum liquefecerit, & variè tractaverit, poteſt certiùs judicare de quibuſdam ad aurum pertinentibus, quæ non vidit; quàm alius, qui circa aurum exercitus numquam fuerit.

 20. II. Ve-

20. II. Verisimilius est eum de re quapiam rectè judicare, qui priùs de ea dubitaverit, nec judicarit, nisi post serium & longum examen; quàm qui de re, diu non versatâ, præceps judicium tulerit. Sanè nobismet ipsi magis credimus, postquàm diligens examen adhibuimus, quàm ubi judicium nimis citò ferendum fuit. Diligens autem examen non id dumtaxat dicimus, post quod nullum supersit planè dubium; neque enim natura rerum, de quibus judicium ferendum est, semper patitur se ita introspici, ut omne dubium nobis eximatur; sed examen, quale adhiberi circa rem ejusmodi potest. Sic paucas substantias, imò potiùs nullas, possumus ita expendere, ut certò plerasque proprietates earum nobis esse notas constet. Hinc fit ut Physica tota, exceptis iis quæ experientiâ cognoscuntur, conjecturalis sit.

21. III. Si antequàm judicium de re feramus, exercitati sumus in ejusmodi investigationibus, & sæpiùs judicia similia de aliis rebus tulimus, quæ veritati consentanea erant; inde sumtâ quadam inveniendi veri fiduciâ, faciliùs speramus nos rem acu tetigisse, quæ tamen fiducia sæpe fallax est.

22. IV. Prout nuper aut olim de re judicavimus, post examen institutum, judicia eo tempore, quo eorum recordamur, sunt nobis certiora, aut incertiora. Etenim ubi recens est memoria examinis, & totius rationis quâ institutum est, verisimiliora judicia nostra nobis videntur. Sed cùm tenuis tantùm examinis illius superest memoria, tum facilè subit de diligentia in examine adhibita dubitatio, nec audemus nostra judicia audaciùs tueri.

23. V. Cùm experientiâ notum sit, in ea re quam expendimus esse certas proprietates, vulgo ignotas & solâ ratione cognoscendas; divinasse nobis videmur eò verisimiliùs, quò cum notis proprietatibus meliùs consentiunt. Si quæratur, quæ Hypothesis circa dispositionem Solaris Vorticis, in quo Terra nostra est, sit similior vero? *Ptolemæi*, *Tychonis*, aut *Copernici*? hujus Hypothesis aliis præferetur, quia ejus ope ratio omnium φαινομένων, seu eorum

quæ

quæ circa nos in Planetis & Stellis fixis adparent, reddi poteſt, cùm ex aliis ſuperſint plurima planè ἄλυτα. In ſimilibus inveſtigationibus, magnum etiam pondus habet Hypotheſis ſimplicitas. Quò enim pauciora ponuntur, ad reddendam τῶν φαινομένων rationem, eò plauſibilior eſt Hypotheſis, modò ejus ope omnibus ſatisfiat.

24. VI. Ubi agitur de re, quæ ſenſibus obnoxia eſt, poſtquàm ſenſus rectè diſpoſitos adhibuimus; tum non ampliùs ſimplex probabilitas, ſed indubitata veritas animo obverſari videtur. Sunt tamen cautiones adhibendæ, quas hîc non memorabimus, cùm earum examen ad Phyſicam potiùs pertineat. Præterea obſervandum ſenſus non ad objecta penitus cognoſcenda, ſed tantùm quatenus ad vitam hancce tuendam cognitu neceſſaria ſunt, nobis eſſe datos.

25. Ceterùm quibuſdam ſenſibus magis credimus, quàm aliis, ut viſui magis quàm auditui; quia magis adficimur iis quæ ope oculorum nobis innoteſcunt, quam iis quæ per aures ſubeunt. Sed quando plures ſenſus concurrerunt in re deprehendenda, ut cùm vidimus, tetigimus, audivimus, tum prorſus convincimur, neque ullatenns nobis dubitare licet, utrum aliquid ante oculos noſtros verſatum fuerit. Ita ſi amicum vidimus, audivimus loquentem, complexi ſumus, dubitare non poſſumus, quin re verâ is ſit: uti dubitare non licet an linea curva, quæ à certo puncto ad aliud porrigitur, longior ſit lineâ rectâ, quæ inter duo illa puncta duceretur. Igitur ejuſmodi convictio ex ſenſibus orta, evidentiæ ratiocinationis æquiparatur; quoniam illi, quàm huic, non magis licet reſiſtere.

26 Ex hiſce omnibus liquet hoc diſcrimen inter tenuiorem veriſimilitudinem eſſe, & ſummum ejus gradum: quòd huic adſenſum negare nequeamus, illâ verò animo noſtro obverſante, judicium cohibere poſſimus, ſi velimus, aut etiam adſentiri.

27. Alius eſt autem Propoſitionum veriſimilium uſus, in vita communi; alius in rebus philoſophicis, ac merè theoreticis. In vita communi, rarò evidentibus nitimur ratiocinationibus ad agendum,

satis est modò sit verisimilitudo haud spernenda, ut adducamur ad aliquid faciendum. Si enim immoti staremus, donec evidentissimè nobis constaret quid esset agendum, nobis foret brevi pereundum. Attamen non oportet nos ita gerere, aut levissimâ verisimilitudine commóveamur in omnibus. Quoad ejus fieri potest, omnia sunt diligenter expendenda, & is habitus contrahendus judicandi rectè, ut celeriter sine periculo judicare queamus. Sæpissimè etiam ex duabus rebus, non omnino certis, eligenda est ea quæ minus periculum, si fallamur, secum trahit. Verùm hæc ad Ethicam pertinent.

28. In Philosophicis verò, pro gradibus verisimilitudinis, etiam moderandus adsensus, ita ut levi verisimilitudini levis tantùm fides, majori firmior, & ei quæ evidentiam æquat plenus adsensus præbeatur. Alioqui si obscuræ adhuc Propositioni, propter speciem aliquam veritatis, quam præ se fert, pleno animi adsensu quasi evidenti adsentiremur; in periculum erroris manifestum, ut à nobis alibi observatum est, nos conjiceremus.

29. Ceteroquin, in omnibus *Evidentiam Mathematicam* exigere non debemus; quandoquidem ea tantùm habet locum in ideis abstractis & adæquatis, quarum omnes relationes & partes novimus. At in rebus *Facti*, *Evidentia Moralis*, qualem in hoc Capite descripsimus, seu summus verisimilitudinis gradus, cui necessariò adsentimur, ex circumstantiarum concursu exsurgit; in quo adquiescere par est.

CAPUT IX.

De Propositionibus Dubiis, Falsitatis suspectis, & Falsis.

1. LUstravimus in antecedente Capite, varios gradus, quibus ab infima verisimilitudine ad veritatem indubitatam ascendimus; in hoc verò per similes gradus, qui à dubitatione sunt ad persuasionem

suasionem usque evidentem, quâ falsum aliquid esse statuimus, descendemus.

2. *Dubia* in genere sunt ea, in quibus nulla occurrunt evidentia veri aut falsi indicia; qualia quæ leviter verisimilia sunt. Interdum in iis pauculas circumstantias, quibus solet verisimilitudo effici, sine ullis quæ excitent in nobis suspicionem falsi, cernimus. Ejusmodi sunt antiquæ nonnullæ Historiæ, quas nec rejicere possumus, propter aliquam speciem mendacii; nec etiam admittere, quasi indubitatas, quòd non sint in iis sat multa indicia veri. Ita quod Sinæ de antiquissimis suis Regibus, & præsertim de *Fohi*, qui haud multò post Noachum vixit, neque certum haberi, neque quasi mendacii suspectum traduci à nobis potest. Similiter si quis rerum Universitatis esse multò plures incolas, quàm sunt homines; esséque alios Planetas felicioribus, aut infelicioribus colonis occupatos, adfirmaret, hoc rejicere quasi falsum, aut credere quasi verum nequiremus.

3. Interdum sunt quædam circumstantiæ, quæ mendacium comitari solent, aliis haud improbabilibus permistæ; sed ita ut hæ posteriores majori sint numero, aut majoris ponderis. In fabulis Græcorum, quæ sunt antiquissima Græciæ fama, sunt plurima mendacia manifesta; attamen, si adcuratè expendantur, occurrent circumstantiæ plurimæ, quæ ostendent verisimillimum esse priscis Græciæ colonis plurima accidisse, quæ fabulis occasionem dederint; atque adeò quæ narrantur à Poëtis, non esse omnia falsa; sed verum à mendacio secernere, saltem ubique, difficile est.

4. Sunt alia, in quibus occurrunt totidem rationes credendi quidpiam esse falsum, ac sunt ejusdem rei quasi veræ admittendæ. Hoc multi judicium ferant de * Gigantibus, ac Giganteis ossibus, quæ in variis locis reperta narrantur. Ejus generis sunt plurima, quæ passim de Dæmoniorum apparitionibus dicuntur. Eodem quoque loco haberi queat quæstio, an sit nexus naturalis inter voluntatem nostram

* *Vide Theod. Ryckii Orationem de Gigantibus.*

noſtram & motus quarumdam partium corporis, ut brachiorum, pedum, &c. an verò ſit res ab divino pendens arbitrio, quod veluti vinculum rerum naturâ diverſarum ſit?

5. Secundò, ſunt *falſitatis ſuſpectæ* Propoſitiones, in quibus plura & graviora indicia falſi, quàm veri ſunt; licèt ea indicia neceſſariò adſenſum non eliciant. Indicia autem hæc ſunt oppoſita ſignis veriſimilitudinis, unde poſſunt facilè colligi, ne eadem repetere hîc neceſſe ſit. Ita oſtendi poſſet hîc longa ſeries Regum Aſſyriorum, quam ex *Cteſia* habent Vett. nonnulli Hiſtorici, plura habere ſigna mendacii, quàm veritatis; licèt ἀποτόμως negari nequeat. Quod dicit *Carteſius*, de ratione quâ tonitrua formantur, concurſu nivoſarum nubium, quæ inter ſe exhalationes ac vapores collidunt, ejuſmodi eſt ut videatur falſum eſſe; nec tamen prorſus rejici queat, ut in Phyſica oſtendemus.

§ 5. *Plura & graviora, &c.*] Hujuſmodi eſt quod *Antias Valerius* ſcripſerat de rumore Romæ ſparſo, quo P. & Lucius Scipiones capti, Legioneſque Romanæ in Aſia deletæ ab Antiocho ferebantur. *Rumoris hujus*, inquit Livius, Lib. XXXVII. c. 48. *quia neminem alium auctorem habeo, neque affirmata res meâ opinione ſit, nec pro vana prætermiſſa.*

6. Eadem hîc ſervanda cautio, quam circa veriſimiles Propoſitiones tradidimus. Nempe, de dubiis, dubitandum; de falſi ſuſpectis, ſuſpicio eſt animo fovenda. Temerarium eſſet eas confundere cum falſis prorſus, non minùs ac ſi compertæ veritatis haberentur. Nec inter ſe etiam ſunt confundendæ, quaſi ubicumque occurrit dubitandi levis occaſio, falſitatem ſubeſſe ſuſpicaremur neceſſe eſſet.

7. *Falſæ* denique à nobis dici meritò poſſunt Propoſitiones, aut *evidentiæ Mathematicæ*, aut *Morali* oppoſitæ. Sic falſum eſt corpus humanum, aliquot pedes longum, poſſe intra fruſtum panis tenuiſſimum contineri. Falſam Propoſitionem proferret, qui numquam fuiſſe urbem, quæ *Roma* vocaretur, diceret.

8. Verùm licèt hæc natura ſit falſarum Propoſitionum, non ſemper perinde eſt nota; ideóque liber-

libertate noſtrâ, quâ poſſumus obſcuris adſentiri, abuſi, ſæpe quod falſum eſt ſtatuimus eſſe verum. Attamen non poteſt evenire, ut id cujus falſitas nobis nota eſt, à nobis ſimul habeatur pro vero; hoc enim repugnat, *verum, & non verum habere idem.*

9. Univerſalis, & quâ omnes aliæ continentur, origo *Erroris*, quo falſum exiſtimamus eſſe verum, eſt is abuſus, quem diximus, libertatis; quo fit ut obſcuris adſenſum præbeamus, quaſi perſpicuis. Sed ſunt quædam erroris occaſiones, paullò minùs generales; quæ dignæ ſunt quæ à nobis, ut ab iis caveri poſſit, recenſeantur.

10. Primùm, aliquando deſunt rationes ſeu argumenta, quæ poſſent quidem haberi, ſed judicaturis eo tempore non ſuppetunt. Si judicium tunc feratur, periculum eſt ſummum erroris. Ita ſi quis ſine inſtrumentis neceſſariis, quæ Poli ſit altitudo, quam aliunde non acceperit, judicare adgrediatur; falli poteſt, nec veritatem niſi caſu inveniet. Si quis, ſine Hiſtoriarum lectione, judicare velit de quapiam gente, quam non vidit, ſummopere periclitatur. Idem ſubit periculum, qui de re quapiam decretorium judicium ferre adgreditur, licèt neceſſaria documenta à nemine poſſint comparari; ut ſi quis dicat in ſubſtantia nihil eſſe, niſi quod in ea videt, is ſe manifeſto exponit periculo erroris, quod nullâ arte poſſit certior fieri an idea ſubſtantiæ illius, quæ idea animo ejus obverſatur, adæquata ſit, nec ne. Quàm multa de divina natura, Deíque decretis dicta ſunt; ad quorum veritatem cognoſcendam, neceſſaria nobis deſunt ſubſidia? Deficientibus omnibus Hiſtoricis Monumentis, Hiſtoria Gentis cognoſci nequit, nec quidquam verum niſi caſu de ea dici. Quot conjecturæ inanes circâ Hiſtoriam Sacram, & Eccleſiaſticam, quaſi certæ adferuntur, quæ multò majorem Hiſtoriarum poſtularent lucem, ſi de iis quidquam certi ſtatuendum eſſet?

11. Secundò, erroris occaſio eſt imperitia eorum qui ratiocinantur, & qui ſæpe ingenium ac judicium ſuum numquam excoluerunt. Licèt rationes

validæ

validæ adferantur, quibus periti commoverentur, non adſentiuntur; quia nec uſu didicerunt bene ratiocinari, neque ad Artis regulas umquam animum adplicuerunt. Sic pleroſque homines qui Artibus Mechanicis, ad vitam ſuſtentandam, operam dant, extra ea quæ experientiâ nôrunt, ſtultè ratiocinari, inepta argumenta quaſi ſolida admittere, & ſolida quaſi inania repudiare quotidie videmus. Hoc præſertim in Religione obſervare licet, de qua portenta quævis plebecula, quaſi demonſtrata, credulis auribus bibit. Imò qui honeſtioris ſunt ordinis, ipſi etiam ſummates, qui in voluptatibus vitam terunt, ita judicium ſuum negligunt, ut, præter ea quæ à ſtultorum Magiſtra Experientia didicerunt, nihil pænè teneant, & à peritioribus, aut fraudulentis hominibus nullo negotio in abſurdiſſimas opiniones conjiciantur. Cujus rei nimis ſunt frequentia exempla, & antiqua & recentia.

12. Tertia erroris cauſa in eo ſita eſt, quòd argumentis veri aut falſi, quæ alioqui nota ſunt, aut cognoſci poſſent, ſæpe homines uti nolint; quod oritur ex variis adfectibus. Impatientia laboris, exempli causâ, impedit quominùs longum ratiocinationum nexum expendere, aut ſat multa experimenta exſpectare velimus: facítque ut citiùs judicemus, quàm cognoverimus. Cupiditas famæ, quâ quamprimùm frui optamus, dum eruditi volumus videri, antequàm ſimus, judiciorum præproperorum de rebus non ſatis notis cauſa eſt. Odium hominis, aut ſectæ, facit ut inauditos damnent qui ſunt eo adfectu præpediti; néve adverſariorum, aut inimicorum argumenta expendant, impedit. Cujus rei, ne exempla apud Ethnicos ſolos exſtarent, degeneres Chriſtiani Veteres & Hodierni operam dedere.

13. Quarta denique cauſa Erroris ſita eſt in fallacibus regulis veriſimilitudinis, quæ ad quatuor potiſſimas claſſes referri queunt, & quarum aliquot obiter notavimus, ubi de veriſimilitudine egimus.

14. Prima eſt *opinionum dubiarum*, quæ poſtquàm quaſi indubitatæ admiſſæ ſunt, innumeros alios errores

rores pariunt, quando falsas esse contingit. Ita posito verè contigisse innumera, quæ à superiorum sæculorum Monachis narrantur, miracula, ad sepulcrum aut signum sancti cujuspiam viri; inde sequitur rectè eos facere, qui Religionis causâ ea sepulcra adeunt, aut imagines venerantur; aliáque ejusmodi haud pauca indidem consequentur.

§ 1. *Opinionum dubiarum*] Cicero pro Roscio Comœdo: *sic est vulgus, ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat.* C. 10.

15. Secunda est *receptarum Hypothesium*, quæ quasi certæ statuuntur, quòd ab infantia viderimus eas admitti ab omnibus inter quos viximus, & ab iis etiam quos amamus, aut colimus. Cùm enim à teneris unguiculis aliquâ opinione, quam tunc expendere nequibamus, imbuti fuimus; haud facilè ab animo nostro evellitur, aut etiam dubia redditur. Sæpissimè autem opiniones receptæ universè à maximis gentibus falsissimæ sunt; unde etiam numerosa figmentorum, per consequentias, nascitur propago. Ita cùm Romanorum plerique crederent Romulum & Remum à lupa nutritos, cùm ipsa illa in re fallebantur, tum etiam animum ad similes credendas nænias parabant. Hujus rei exemplum est *Trogus Pompejus*, qui cùm quemdam *Habidem*, antiquissimum Hispaniæ Regem, cervæ lacte nutritum fuisse accepisset, non audebat in dubium revocare; quòd alioqui etiam dubitandum fuisset de θηλοτροφίᾳ, ut sic loquar, Romuli & Remi, cùm non esset major ratio credendi unius, quàm alterius. * *Hujus casus*, inquit de Habide Justinus, *fabulosi viderentur, nisi & Romanorum conditores lupâ nutriti, & Cyrus Rex Persarum cane alitus proderetur.*

16. Tertia est *adfectuum*, qui nos ad fidem habendam parant, aut contrà animum nostrum obstruunt quibusdam opinionibus. Verisimile sæpe aliquid nobis videtur, quia nostrâ interest, ut verum sit, aut

* Lib. XLIV. cap. 4. Vide simile quiddam in Panegyrico Nazarii Constantino dicti. Cap. XV.

aut videatur. * *Quæ volumus, & credimus libenter, & quæ ſentimus ipſi, reliquos ſentire ſperamus.* Hoc quotidie obſervare eſt, cùm nos aut vicini, ſociíve bellamus. Clades noſtrorum exercituum, aut peccata ducum, ſi quæ nuncientur, non credimus. Contrà victorias noſtrorum credulitate nimiâ amplificamus, & imperitiam aut ignaviam hoſtium augemus. Idem quem modo laudavimus, Scriptor de Æduis falſo nuncio deceptis: *impellit alios avaritia, alios iracundia, & temeritas, quæ maximè illi hominum generi eſt innata, ut levem auditionem habeant pro re comperta.* Lib. VII. B. G. cap 42. Atque hac in re tanto agimur adfectu, ut illis vehementer indignemur, qui audent oſtendere quàm levi talo nitantur noſtræ Opiniones. Nec deſunt etiam qui pignora deponant, ea amiſſuri, niſi ſui conſtitutâ die victores evaſerint. Cùm metus eſt ingens, quæ metui conſentanea ſunt, etiam à levibus auctoribus perſuadentur. Sic Tyriis ab Alexandro obſeſſis, & rerum ſuarum trepidis, cùm neſcio quis dixiſſet oblatam eſſe per ſomnum ſibi ſpeciem Apollinis urbem deſerentis; *quamquam auctor levis erat, tamen ad deteriora credenda proni metu, aureâ catenâ devinxere ſimulacrum,* ut narrat *Curtius,* Lib. IV. cap. 3.

* *Cæſar* de Bell. Civil Lib. II c. 27. Quem imitatus eſt *Lampridius* Heliogabali c. iii. ubi de bona ſpe ex ejus principatu concepta: *ſtudioſè credentibus, ut ſeſe habent vota hominum ad credulitatem feſtinantium, cùm quod optant, verum eſſe deſiderant.*

§ 16. *Adfectuum.*] *Cicero* de Oratore Lib. 2. cap. 42. *Plura multò homines judicant odio aut amore, aut cupiditate, aut iracundiâ, aut dolore, aut lætitiâ, aut ſpe, aut timore, aut errore, aut aliquâ permotione mentis; quàm veritate, aut præſcripto, aut juris normâ aliquâ, aut judicii formulâ, aut legibus.*

Ibid. *Veriſimile,* &c.] Spem, ſeu Cupiditatem & Metum eo modo animum adficere obſervavit *Seneca* in *Hercule furente,* verſ. 313.

——MEGARA. *Quod nimis miſeri volunt;*
Hoc facile credunt. AMPHIT *Imò quod metuunt nimis,*
Numquam amoveri poſſe, nec tolli putant.
Prona eſt timori ſemper in pejus fides.

Ovidius Ep. Phyllidis ad Dem.

——*Tardè quæ credita lædunt*
Credimus.

Ibid. *Cùm metus eſt ingens.*] De eo quod nobis nocere poteſt adtentiùs cogitamus, quàm de eo quod prodeſt. *Cicero* pro *P. Quin-*

tio

tio § 2. *Omnes, quorum in alterius manu vita posita est, sæpimus illud cogitant, quid possit is cujus in ditione ac potestate sunt, quàm quid debeat facere.*

17. Ubi agitur de dogmatibus speculativis, ea credimus etiam esse vera, quorum veritate positâ, melius nobis est, aut esse putamus. Multi sunt & fuerunt, apud plurimas Ethnicorum, Judæorum, Muhammedanorum, imò & Christianorum familias, qui ea se credere profitentur, & credunt re ipsâ, quorum fides ipsorum commodis conducit. Quæcumque dubia in animo nascuntur circa dogmata, quibus, sine molestia aut periculo, fidem detrahere non possunt; ea veluti nascentia, animum ad alia avertentes, suffocant. Quod suis honorificum, id facilè sibi persuaderi sinunt, difficiliùs quod indecorum est. Imò interdum sermone ita eum animi adfectum produnt homines, ut licèt veritatem se videre profiteantur; tamen indicent se paratos contrarium credere, si qua esset quâ se possent tueri auctoritas. Ita *Livius* Lib. XXI. cap. 46. ubi loquitur de Scipione Africani parte Pœnis erepto: *Servati* inquit, *Consulis decus Cælius ad servum natione Ligurem delegat.* MALIM *equidem de filio verum esse, quod & plures tradidere auctores & fama obtinuit.* Vide eumdem Lib. VIII, 18. *Curtius* de deleta, per temulentiam, ab Alexandro Persepoli: *Pudebat Macedones tam præclaram urbem à comessabundo Rege deletam esse. Itaque res in serium versa est, &* IMPERAVERUNT *sibi, ut crederent illo potissimùm modo fuisse delendam.*

18. Admisso præ adfectu dogmate, idem adfectus facilè suadet ea quæ dogmati consentanea sunt, possúntque ad id confirmandum prodesse, esse verissima. Admissâ superstitiosâ opinione de prodigiis, Romani facillimè quod nunciabatur verisimile credebant, præsertim difficilibus temporibus; quod idem, cujus verba modò adtulimus, *Livius* observavit Lib. XXI. c. 61. *Multa eâ hyeme*, inquit, *prodigia facta; aut, quod evenire solet, motis semel in Religionem animis, multa nunciata & temerè credita sunt.* Ita Pontificii, admisso semel imaginum cultu, exempli

pli gratiâ, aut summâ Episcopi Romani auctoritate, avidè adripiunt quæcumque ad hæc tuenda dogmata apta sunt. Monumenta conficta, primorum sæculorum Christianis supposita, quasi genuina defendunt, ubi ex iis aliqua pro illis suis opinionibus argumenta deducere queunt. *Martinus Lutherus*, ceteroqui vir insignis & de re Christiana bene meritus, rejecit Epistolam Jacobi, Apostolico spiritu plenam; quòd adversaretur opinioni temerè conceptæ, de inutilitate bonorum operum. Veritate quapiam meritò admissâ, quia eam non semper ut veritate dignum esset, sed cæco adfectu defendimus, quidquid ad eam sartam tectam servandam conducere posse videtur, non satis adcuratè expensum sæpe adripimus. Scripturæ divinæ unica, in dirimendis Christianorum controversiis, summo jure propugnatur auctoritas; at propterea aut nulla esse in ea Librariorum vel levia menda, aut puncta Hebræorum vocalia à Prophetarum manu esse, quosdam pertinaciter contendere par non erat. Atque ejusmodi errorum, ex adfectu natorum, exempla sunt innumera.

19 Quarta verisimilitudinis mala ratio est ex *auctoritate*, cui temerè confidimus, petita. Passim videmus homines, quibus sanè humanum ingenium & humanæ facultates deberent notissima esse, alii, quasi certò sibi compertum esset eum non falli, credere; cùm nonnisi inanes temerariæ suæ fidei rationes habeat. Certè hominibus, cùm de re agitur, quam aliter, nisi ex eorum narratione, cognoscere non possumus, ubi eorum narratio habet indicia veritatis, de quibus in Cap. antecedente diximus; numquam simplici auctoritati, rationibus destitutæ, adsentiendum. Ita qui credunt Ecclesiæ, sine rationibus adfirmanti, & putant eamdem Ecclesiam esse ἀναμάρτητον, non propter rationes, sed quia ita edocti sunt, & ad illam opinionem, quasi ad scopulum quemdam è naufragio adpellentes, ab infantia adhæserunt, auctoritati temerariam fidem habent.

§ 19. Eò autem nobis à fallace auctoritate diligentiùs cavebimus, quò magis viam, quâ ad auctoritatem summam sæpe pervenitur, considera erimus. Auditu dignus est hanc in rem *Cicero* in Topicis, cap.

cap. 20. *In homine virtutis opinio valet plurimùm. Opinio autem est non modo eos virtutem* (adde & scientiam) *habere qui habeant, sed etiam qui habere videantur. Itaque quos ingenio, quos studio, quos doctrinâ praeditos vident, quorúmque vitam constantem & probatam, ut Catonis, Laelii, Scipionis, aliorúmque plurium, rentur eos esse, quales se ipsi velint. Non solùm eos censent tales esse, qui in honoribus populi, réque publica versantur; sed & Oratores, & Philosophos & Poëtas, & Historicos, ex quorum & scriptis & dictis saepe auctoritas petitur ad faciendam fidem.*

20. Denique, circa haec omnia observandum, ut plurimùm esse quamdam συμπλοκὴν causarum, quae nos in errorem conjiciunt; ac rarò, propter unicam, nos in errorem delabi. Inopia argumentorum; imperitia in iis expendendis, quae suppetunt; eorumdem neglectus, quo fit ut ea ne considerare quidem velimus; fallaces verisimilitudinis rationes, dubia dogmata pro compertis habita, opiniones vulgò receptae, perturbationes animi, auctoritas malè tuta; omnia interdum confertim in animos nostros simul irruunt, interdum divisis, ut ita dicam, copiis nos adgrediuntur & transversos nullo negotio agunt.

21. Contrà haec una generalis cautio est, jam adlata; si nulli Propositioni, firmo animi judicio, adsentiamur, dum est obscura, seu dum sentimus nos posse, ei adsensum negemus; verisimilitudini verò eatenus, quatenus ad verum accedit, credamus.

22. Sed sunt praeterea singularia remedia adhibenda, petita ex consideratione causarum, quae nos in errores conjiciunt. Ubi, nimirum, expendenda est Propositionis veritas, aut falsitas, videndum anxiè annon ad eam admittendam aut rejiciendam proclives fortè simus, propter aliquam ex memoratis causis. Si quid simile in nobis esse suspicemur, quàm diutissimè fieri potest, cohibendum judicium, res altiùs investiganda; interdum etiam alios, in quibus eaedem praeconceptae Opiniones non sunt, consuluisse profuit.

23. Exempli causâ, si deprehendamus à nobis Opinionem animo admissam, eò quòd à magno virorum doctorum numero recepta fuerit; quod animadvertemus, si severè nosmet ipsi interrogantes,

nullam

nullam aliam rationem ob quam dogma quodpiam animo noſtro inſederit, proferre poſſimus; ſi, inquam, nos ſolo numero ſic opinantium niti ſentiamus; tum utile erit cogitare alias ſectas Philoſophorum aut Theologorum, quorum numerus ſæpe minor non erit, interdum etiam major, contraria, aut diſſimilia adfirmaſſe; quòd, nempe, viri plurimi, eorum judicio præſtantes, eaſdem ſententias foviſſent. Hinc nobis opinionis noſtræ quàm infirmum ſit fulcrum, liquebit; ſi vel minimùm amantes veritatis ſimus. Atque eadem ratione in ceteris agendum erit, niſi malimus in perpetuo erroris periculo, quàm in certa veritatis luce verſari.

CAPUT X.

De Fide.

1. CApite VIII. § 4. Fidem poſſe aut ad Scientiam, aut ad Opinionem referri oſtendimus, ideóque quæ de hiſce duabus hactenus diximus, poſſent etiam Fidei accommodari. Verùm quia res eſt maximi momenti, propter Chriſtianorum controverſias, paucis ſingulari Capite ea de re agendum duximus.

2. *Fides* in genere dicitur Adſenſus Propoſitioni præbitus ab alio prolatæ, cujus veritatem ratiocinatione aut experientiâ ipſi noſtrâ non deprehendimus, ſed ab alio deprehenſam credimus. Poteſt diſtingui in *cæcam* & *oculatam*. *Cæca* fides eſt, quâ Propoſitioni prolatæ ab aliquo, à quo verum dici nullâ certâ ratione nobis conſtat, adſentimur; atque hic adſenſus homine ſapiente prorſus indignus eſt. *Oculata* eſt quâ propoſitioni prolatæ ab eo, quem neque falli, neque fallere velle certò ſcimus, adſenſum præbemus. Quò autem evidentiores ſunt hæ rationes, eò firmior eſt Fides.

3. Diſtingui quoque ſolet in fidem *divinam* & *humanam*. Prior eſt, quâ Deo adfirmanti credimus; poſterior, quâ hominibus. Ubi æquè nobis conſtat

Deum

Deum esse loquutum, ac homines, firmior est fides divina quàm humana; quia ut plurimùm certiores sunt rationes, quæ persuadent Deum neque fallere, neque ipsum falli, quàm quæ idem, ut de hominibus credamus, efficiunt. Verùm ubi dubium est, an Deus aliquid dixerit; aut Deum dixisse credendum, quia ab hominibus aliis narratur, fides credendi rationibus firmior esse nequit At interdum tam validæ sunt credendi hominibus rationes, ut probè intellectæ evidentiam Mathematicam æquent. Tunc temporis fides humana æquè inconcussa est, ac divina; quia æquè necessario utrobique persuademur.

4. Cùm porrò fides divina propriè dicta feratur in ipsum Deum aliquid adfirmantem, nemo ejusmodi fidem jactare potest; nisi sit Propheta, quem Deus ipse adloquutus fuerit. Hodie quidquid est fidei inter Christianos, pendet ex hominum testimonio, quos vera quidem dixisse certissimis rationibus liquet, sed quarum vis pendet ex cognitione Historiæ; nam sancti viri, quos Deus suo ipsius adloquio dignatus est, dudum terris erepti sunt.

5. Hinc videmus cùm omnis fidei, tum etiam hujus nostræ, fundamentum unicum esse ratiocinationem: quæ non fallit, ubi necessarium elicit adsensum. Deo crediderunt ii quibus ipse voluntatem suam patefecit, propter certas rationes, non cæco adsensu. Iis hodie credimus, aut potiùs eorum Scriptis; propter rationes, quarum vim non aliter noscimus, quàm quemadmodum novimus quare indubitatis aliis Historiis adsentiamur. Verùm hodie plurimi hæc omnia rejicientes, quæ de rationibus credendi diximus, aiunt se firmisissimè persuasos à Spiritu Sancto, licèt planè ignorent rationes credendi. At iis quidem licet sibimet ipsis gratulari; sed quoniam sui ἐνθουσιασμοῦ nulla adferunt argumenta, de eo dubitare aliis licitum sit oportet.

6. Hinc quoque liquet Propositionem, quam quispiam à Deo ipso se accepisse putat, non posse nisi stultè ab eo admitti, quasi indubitatum fidei ob-

objectum, si cui cognitioni evidenti contraria sit. Nimirùm, licèt certissimum sit Deum non posse falli, neque fallere; tamen fieri nequit ut is, ad quem directa est revelatio, evidentiores rationes habeat ei credendi, quàm evidentes veritates amplectendi.

7. Verùm revelatio, quam à Deo ipso esse manifestò liquet, potest admitti, licèt contraria sit verisimilibus Propositionibus; quia tunc rationes, quæ revelationem eam à Deo manare suadent, firmiores sunt iis, quibus Propositiones verisimiles nituntur.

8. Si autem revelationem divinam, quâ ipse Deus quid vellet patefecit, contrariam esse evidenti veritati per Rationem cognitæ, credere nequeamus; minùs certè revelationem hominum ministerio ad nos delatam, si contraria sit evidenti veritati, admittere possumus. Nam licèt indubitatum sit Deum non esse fallacem, attamen scire non possumus pari evidentia ejusmodi revelationem verè à Deo profectam, quâ novimus veritates manifestas.

9. Præterea Propositionum, quæ olim revelatæ dicuntur, æquè evidenter cognoscere sensum nequimus; ac novimus veritates manifestas, quas operâ Rationis cognoscimus. Itaque posito Propositionem olim revelatam fuisse, propter validas rationes; attamen sæpe adhuc non levis potest superesse difficultas, in sensu Propositionis inveniendo, nec tam certò nos eum adsequutos, quàm unum & plura differre, exempli causâ, scimus.

10. Hinc ulteriùs colligimus, quidquid est fidei, id solâ Ratione niti, cùm sola Ratio nos doceat quis sit revelationis aliis factæ sensus. Unde enim scimus Apostolos quampiam Propositionem à Christo accepisse, aut Christum ipsum à Deo, eo sensu quo nos eam intelligimus, nisi ratiocinatione? Certè priusquam hoc sciamus, & inconcussâ fide teneamus, oportet nos Linguis operam sat diu dedisse, aut aliis qui eas norunt credere, propter certas rationes, quæ nonnisi ratiocinatione cognoscuntur.

11. Hæc eò certiora videbuntur, quò adcuratiùs expendentur; præsertim si reputemus, revelationem ad homines missam non fuisse, ut omnia eos edoceret, quasi nihil prorsus scirent; aut quod revelatur adeò novum non esse, ut nullam connexionem, neque similitudinem habeat, cum iis quæ jam noverant. Contrà revelatio statuit nobis plurima esse nota, neque enim accepimus Systema omni ex parte perfectum, & cujus solâ lectione, sine ullo consectariorum usu, voluntatem divinam cognoscere possimus. Ponit revelatio & res plurimas notas esse iis ad quos pertinet, & certum etiam sermonis usum, ex quo concepta est, & ex cujus regulis intelligenda; quod iis quibus sermo ille non nisi studio innotescit, quàm iis quibus vernaculus erat, difficilius est.

12. Multa possent hanc in rem adferri, quæ neque injucunda, neque inutilia essent; sed quæ pertinent ad alias disciplinas, Theologiam putà & Criticen. Hîc satis habemus ostendere de veritate & sensu Propositionum, quæ revelatione innotescunt, iisdem subsidiis, judicium certum ferri, ac de Propositionibus ceteris omnibus, de quibus narratione tantùm certiores simus.

Caput XI.

De Propositione, quæ Divisio *dicitur.*

1. Ubi de re aut idea composita agendum est, partes ejus sigillatim considerandæ; quod nî fiat, dum confunduntur partes aut proprietates distinctæ, necessariò nascitur obscuritas. Vitatur autem *Divisione*, quæ partes rei, circa quam meditatio nostra versatur, enumerat

2. Divisio definitur: *distributio totius in omnia quæ continet.* Apud Philosophos autem vox *Totum* duplicem sortita est significationem, unde etiam duplex distinguitur divisio.

3. To-

3. Totum eſt, quod conſtat partibus *integrantibus*, quales ſunt ſubſtantiæ, quæ componuntur variis partibus; ut corpus humanum, quod poteſt in plura membra dividi. Hæc diviſio à Philoſophis propriè *partitio* adpellatur.

4. Eſt & aliud *Totum*, aliter Latinè *Omne* vocatum, quod eſt propriè idea quædam abſtracta, quæ pluribus rebus communis eſt, qualia ſunt Univerſalia; aut idea compoſita, quæ complectitur ſubſtantiam & accidentia, aut ſaltem plura accidentia. Partes hujus Totius vocantur *ſubjectivæ*, aut *inferiora*.

5. Tripliciter hoc Totum dividitur. Prima diviſio eſt, quando *Genus* dividitur in *ſpecies* aut *differentias*; ut quando *ſubſtantia* dividitur in *Corpus* & *Spiritum*; in *extenſam & cogitantem*. Secunda, ubi res quæpiam in varias claſſes diſtribuitur, ſecundùm accidentia oppoſita; ut quando Stellæ diſtribuuntur in eas quæ lucem ex ſe emittunt, & eas quæ opaco corpore lumen ſolare reflectunt. Tertia eſt, quando accidentia ipſa dividuntur ſecundùm ſubjecta quibus inſunt; ut quando bona dividuntur in bona animi, corporis, & fortunæ.

6. Tres à Logicis conditæ ſunt bonæ diviſionis Regulæ. Hæc eſt prima: *Membra diviſionis debent exhaurire totum diviſum.* Itaque quando numerus omnis dividitur in *Parem* & *Imparem*, recta eſt diviſio; quia nullus prorſus eſt numerus, qui non ſit par, aut impar. Sed ſi divideretur in denarium & ſeptenarium, ridicula eſſet diviſio; quia infiniti ſunt numeri, qui ad neutrum referri poſſunt.

7. Secunda hæc eſt Regula: *Diviſionis membra debent eſſe oppoſita*; ut numerus impar pari eſt oppoſitus. Ea autem oppoſitio poteſt fieri ſimplici negatione, ut *corporeum, non corporeum*; vel membris poſitivis, ut *extenſum, cogitans*. Atque hæc poſterior diviſio melior habetur alterâ, quia ex ea diviſi natura meliùs innoteſcit. Qui enim dicunt Entia omnia eſſe corporea aut *incorporea*, non docent quæ ſit incorporeum naturâ; ſed tantùm quâ re careant; nempe, corporis proprietatibus.

† 8. Ter-

8. Tertia Regula hæc eſt : *Membrum unum diviſionis non debet ita in altero contineri, ut alterum de eo adfirmari queat*, licèt alioquin aliquatenus eo includi, ſine diviſionis vitio, poſſit. Ita extenſio Geometricè conſiderata poteſt dividi in *lineam, ſuperficiem*, & *ſolidum* ; quamvis linea includatur in ſuperficie, ſuperficies in ſolido ; quia, nempe, ſuperficies dici non poteſt ſolidum, neque linea ſuperficies, quòd abſtractè ſpectatæ idem non ſint. Sed malè divideretur numerus in *parem, imparem* & *denarium*, quia denarius eſt par.

9. Cùm diviſio inventa ſit, ordinis & perſpicuitatis causâ, cavendum eſt ne eam ita concipiamus, ut confuſionem & obſcuritatem pariat. Ubi inquiritur natura alicujus rei, *non debet diviſio in nimis magna membra, aut nimis generalia fieri*; etenim ſic res diſtinctæ confunduntur. Ita ſi quis, naturam corporum nobis notorum inquiſiturus, ea diſtingueret in ea quæ ſunt in Terra hac noſtra, & quæ extra ſunt ; deinde, ſine ulla alia ſubdiviſione, eorum naturam inveſtigare adgrederetur, ſine dubio confunderetur.

10. *Membra etiam non oportet eſſe, niſi res hoc neceſſariò poſtulet, nimiùm inæqualia.* Ejuſmodi eſt diviſio eorum, qui dividunt Univerſum in *Cælum* & *Terram*, cùm Terra, præ eo quod vocatur Cœlum, ſeu immenſis illis ſpatiis, in quibus Stellæ erraticæ & fixæ continentur, ſit minor puncto. Manifeſtum eſt ejuſmodi diviſione, ſeu veritatem ſibi ſoli quærat, ſeu eam repertam aliis explicet, animum turbari. Sic fit ut vulgò homines hanc noſtram glebam, cui innitimur, æquiparent, aut etiam præferant toti rerum Univerſitati.

11. Verùm cavendum etiam, *ne dum æquare partes volumus, vim, ut ita dicam, rerum naturæ inferamus, conjungendo ſeparata, & conjuncta ſeparando.* Ita ridiculè ſe gereret Anatomus, qui corporis humani deſcriptionem traditurus, aut ejus diſpoſitionem indagaturus, corpus divideret in inferiorem & ſuperiorem partem, quam inferiori prorſus æqualem faceret ; oporteret enim ab eo expendi dimidiam

partem variorum membrorum corporis, & partem cohærentem differre in aliud tempus; unde fieret ut totius cordis, exempli causâ, aut lienis deſcriptionem non traderet, ſed tantùm dimidiorum; quâ diviſione impediret ne ipſe, aut audientes uniuſcujuſque membri integram ſtructuram diſtinctè intelligerent. Igitur eſt habenda ratio connexûs, ne quæ arctè nexa ſunt violenter divellantur; néve conjungantur quæ nullum habent inter ſe connexum.

12. Dum diligentiam oſtentant quidam Scriptores, in partes *adeò minutas quod expendunt dividunt, ut numerus partium conturbet memoriam, & obtundat adtentionem.* Hoc quoque vitium eſt diviſionis, quod adcuratè ratiocinantibus cavendum Hujuſmodi ſunt diviſiones Diſciplinarum, quæ extant apud *Diogenem Laërtium* in *Platone*, atque huic Philoſopho tribuuntur. Sunt enim adeò multiplices, & tam ſubtiles, ut vix memoriæ mandari queant. Hanc rationem dividendi in minutiſſimas partes, ſecundùm varia exigui momenti accidentia, ab eo ſumſit *Ariſtoteles*, cujus opera etiam diviſionibus & ſubdiviſionibus ſcatent.

§ 12 *In partes adeò.* &c.] Rectè Seneca Ep. 89. ſive Lib. XIV. prima: *Quidquid in majus crevit, faciliùs agnoſcitur, ſi diſceſſit in partes, quas, ut dixi, innumerabiles eſſe & parvas non oportet. Idem enim habet vitii nimia, quod nulla diviſio; ſimile confuſo eſt quidquid uſque in pulverem ſectum eſt.* Vide & *Quintilianum* Lib. IV. c. 5.

13. Cavendum quoque ne in ſcopulum impingamus, in quem idem *Ariſtoteles* & Veterum non pauci impegerunt. Nempe, *dum res dividere ſibi videbantur, ſæpe ſignificationem vocabulorum dumtaxat dividebant*; nam res planè diverſas, quòd eodem nomine inſignirentur, ſub unam claſſem referentes, tot eſſe rerum ſpecies, quot erant vocabuli notiones, dicebant. Ita ubi agit περὶ τῶν μετὰ τὰς κατηγορίας §. 5. περὶ τοῦ ἔχειν *de habendi generibus*: τὸ ἔχειν, ait, *dicitur variis modis. Dicimus enim aliquem habere* (ἔχειν) *virtutem; aut quantitatem qualis, eſt magnitudo quam aliquis habet, aut tria quatuórve cubita aut circa corpus, aut veſtem; aut in parte, ut in digito annulum;*

lum ; *aut instar partis, ut manum, pedem* ; *aut in vasculo, ut testa vinum* ; *aut instar possessionis, ut domum, agrum. Dicitur etiam vir habere uxorem, & uxor virum.* Meritò addit : *Fortè & alii quidam videbuntur esse habendi modi*, οἱ δ' εἰωθότες λέγεσθαι, σχεδὸν ἅπαντες κατηριθμηνται, *sed soliti dici ferè omnes enumerati sunt* ; nam reverâ hæc est tantùm observatio sermonis Græci, cùm in aliis Linguis illi habendi modi non occurrant ; neque enim Latinè, exempli causâ, testa dicitur *habere vinum*, ut Græcè οἶνον ἔχειν λέγεται τὸ κεράμιον, teste *Aristotele*, Grammatico optimo.

Caput XII.

De Propositione, quæ Definitio *dicitur* ; *& primùm quidem de Definitione Nominis.*

1. Duplex est Definitio, una *rei*, altera *nominis*. Prior exponit quam rei naturam esse existimemus : altera quam significationem voci, seu nomini cuipiam tribuamus. De posteriore hoc in Capite agemus, de priore postea dicturi.

2. Quandoquidem nobis solis semper non cogitamus, sed sæpe etiam verbis aut pronunciatis, aut scriptis, animi nostri sensa aliis patefacere nos oportet ; aut ab aliis, eadem ratione, discere quod ignoramus ; possemus aliis, aut alii nobis, errandi occasionem præbere, ambiguitate verborum, nisi, quid verba ambigua significent, aliis non ambiguis explicaretur. Possunt hanc in rem aut nova vocabula fingi, qualia plurima à Veteribus Græcis, & Recentioribus Scholasticis ficta sunt ; aut jam usitatis, additâ novâ definitione, novæ significationes tribui. Ita si velim probare *Animos* esse immortales, dicam me voce *Animus* intelligere *id quod in hominibus cogitat, quidquid sit* ; ne qui me audiunt loquentem, fortè putent me, voce *Animus*, ventum intelligere, qui facilè dissipatur.

§ 2. *Possemus aliis* &c.] Ipse *Epicurus*, disciplinarum alioqui Mathematicarum spretor, crebrò dicebat, *diligenter oportere exprimi, quæ vis subjecta sit vocibus*, aut auctor est *Cicero*, Lib. de Finibus II. n. 6.

3. Definitione nominis definitio usûs, ſeu ſignificationis, quam voces uſu obtinent, notatio hîc non ſignificatur. Non quærimus enim quo ſenſu alii utantur voce quapiam; ſed quis futurus ſit apud nos, ejus uſus, exponimus. Definitio ſignificationis uſitatæ potiùs ad Criticam, quàm ad Logicam, pertinet.

§ 3. *Definitio usûs.*] Hujus meminit Cicero de Invent. Lib. II. n. 53. ubi de controverſia nominis: *Primus*, inquit, *accuſatoris locus eſt, ejus nominis, cujus de vi quæritur, brevis & aperta & ex hominum opinione definitio.*

4. Igitur hac miſsâ, primò definitionem ſignificationis, quam voci cuipiam tribuere conſtituimus, prorſus pendere ex arbitrio noſtro obſervabimus. Licèt enim nobis ſono, qui per ſe nihil ſignificat, prout libet, ideam adnectere. Rei verò, ſono ſignificatæ, definitio non pendet à nobis, nam cùm ejus natura certa & eadem ſemper in ſe ſit, nullam in eâ mutationem verba noſtra facere poſſunt. Ita mihi *circulum*, in meo ſermone, ſignificare figuram planam tribus lineis rectis conſtantem, dicere liceret. Sed quando quidem aliorum ſermo à meo non pendet, non poſſum id quod alii *circulum* vocant, eſſe ejuſmodi, quam dixi, figuram adfirmare; aut conſpectum circulum ita definire.

5. Secundò, cùm definitio nominis ſit noſtri arbitrii, non poteſt ab ullo in litem vocari. Neque enim ullus nos cuipiam voci certam ſignificationem dediſſe, quando eam à nobis datam adfirmamus, negare poteſt. Si definiiſſem circulum, prout dixi, nemo id in controverſiam trahere poſſet; nec quidquam quod quereretur haberet, ſi modò conſtans ea in definitione eſſem.

6. Tertiò, quandoquidem oppugnari nequit definitio nominis, ſequitur eam poſſe inſtar Axiomatis indubitati adhiberi; quòd faciunt Geometræ, qui omnium maximè ejuſmodi definitionibus utuntur. Verùm ne putemus propterea aliquid de idea, quæ adfixa eſt definito nomini, adfirmari, quod in dubium revocari nequeat, cavendum. Principium

eſt

eſt indubitatum, aliquem ita definiiſſe vocem quampiam; ſed non eſt principium indubitatum id quod de re cogitat, quam vocabulo illo adficit. Ita ſi quis definierit *calorem, id quod eſt in corporibus quæ nos calefaciunt, & ſimile eſt calori quem ſentimus*; nemo quidem poterit eam definitionem oppugnare, quatenus exprimit quod voce *calor* intelligit; ſed nihil obſtat quominus negemus eſſe aliquid, in corporibus calefacientibus, ei ſimile quod nos in nobis ſentimus.

7. Scholaſtici duobus præcipuè modis, contra haſce obſervationes, peccant. Primò, res ipſas definiunt, prout libet, dein nolunt ſuas definitiones oppugnari; cùm hoc tantùm juris habeant definitiones nominis. Satis malè hominem definiunt *Animal ratione præditum*, quam tamen definitionem ſi quis admittere nolit, quaſi prima principia negaret, indignantur. Ejuſmodi definitione, ſi non accuratior, certè candidior eſt, quà Veterum quiſpiam jocans utebatur: *Homo eſt quod omnes novimus.* Secundò, raro definitionibus nominum utuntur, undè ſumma obſcuritas in eorum ſermonibus naſcitur, & innumeræ λογομαχίαι, dum eadem dicentes aliis verbis, ſe invicem non intelligunt. Hinc olim controverſiæ *Eutychianæ* & *Neſtorianæ*, de Perſona & Naturis Chriſti, natæ. Nam dum Eutyches *Naturam* vocat quod alii *Perſonam*, & Neſtorius contra, *Perſonas* quod alii *Naturas*; excitata ſunt diſſidia ingentia in Oriente, inter eos qui reverâ, quoad ex eorum Scriptis conjicere licet, idem ſentiebant.

§ 7. *Homo eſt quod omnes novimus.*] Ἄνθρωπός ἐστιν ὃ πάντες ἴσμεν. *Democritus* apud *Sextum Empir.* Pyrrh. Hypot. Lib. II. cap. 5.

8. Ex iis quæ diximus, liquet, Definitionis Nomine, in ſermone Philoſophico, uſum eſſe ingentem. Attamen inde omnia vocabula debere, aut poſſe definiri, colligi nequit. Sunt enim quædam, quæ & clara ſunt (Linguam, nempe, qua utimur, intelligentibus) & ejuſmodi ut definiri nequeant. Ea ſunt nomina idearum ſimplicium, ut *cogitare*, *eſſe*,

ſentire, &c. qua de re egimus ſuprà Cap. II. § 11. P. 1.

9. Præterea, ubi jam ſunt receptæ definitiones, ſatis perſpicuæ, non ſunt mutandæ; quia qui ſunt recepto jam uſui adſuefacti meliùs nos intelligunt; & ipſi etiam non ſumus in tanto inconſtantiæ, in definitione non ſervanda, periculo. Manifeſtum eſt meliùs intelligi vocabula, quibus dudum adſueti ſumus quaſdam adfingere ideas, quàm ea quibus novæ ſunt alligandæ. Ipſi quoque meliùs recordamur ſensûs unius, quàm duorum. Ita olim in controverſia de Arbitrii libertate, *Auguſtinus*, propter mutatam definitionem vocis *libertas*, obſcurus evaſit multis, nec ſibi ſatis conſtitit. Antea libertas vocabatur, ut nunc vulgò, *facultas faciendi aut non faciendi*. Ille verò *ſpontaneitatem* ſimplicem, in qua non eſt coactio, intellexit. Attamen quia uſum receptum, ex animo ſuo, ipſe prorſus eliminare non potuit; ſæpe ut alii, ſæpe peculiari ſenſu loquitur.

10. Hinc ſequitur etiam, ſi neceſſe ſit ab uſu recepto abire, quàm minimùm ab eo recedendum. Facilius enim adſueſcimus ſignificationibus vicinis iis, quæ jam admiſſæ ſunt; quàm planè remotis, aut etiam uſui prorſus contrariis. Hinc vituperantur meritò Chymiſtæ, qui cum è vulgo petitis vocabulis uti poſſent, ea cane pejus & angue refugerunt, ut inuſitata vocabula in Artem inferrent. Nec ſæpe alia de cauſa obſcurum ſermonem claro prætulerunt, niſi ut fucum credulis & imperitis, qui facilè ſub obſcuris verbis res pulcherrimas latere ſuſpicantur, facerent.

11. Verùm ante omnia, quod jam ſubinnuimus, obſervandum; nempe, ab definitione ſemel conſtituta, numquam recedere oportere. Qui enim Auditor aut Lector ſcire nos abire à definitione ſemel allata, niſi moneatur, poteſt? Dum autem hoc ignorat, quid nobis velimus, cùm videt à nobis adfirmari quod definitioni adlatæ contrarium eſt, aut neſcit, aut nos in contradictionem incautos delabi putat. Si adhibeamus autem vocabula, quorum

rum ſignificatio ſæpe mutetur, moleſtum eſt, quotieſcumque occurrunt, definitionem proferre. Itaque nihil rectius, aut commodius fieri poteſt, quàm ſi conſtanter in una definitione hæreamus.

Caput XIII.

De Definitione Rei.

1. CUM Definitio nominis à nobis pendeat, Definitio rei non eſt juris noſtri; neque enim nobis id eſſe in re aliqua, ſeu in ejus quæ nobis obverſatur idea, quod in ea non eſt, adfirmare licet. Solet autem Definitio diſtingui in adcuratam & minùs adcuratam. Prior *Definitio* propriè dicitur, poſterior *Deſcriptio*.

2. *Definitio* propriè dicta eſt, quæ aperit naturam rei definitæ, enumeratione præcipuorum adtributorum, quorum quæ rei definitæ communia ſint cum aliis, *Genus*: quæ verò pertinent tantùm ad rem definitam, *Differentia* dicuntur. Genus oportet eſſe *proximum* & differentiam *ſpecificam*. Ita Circulus definiri poteſt: *Figura plana, cujus circumferentia undequaque æqualiter diſtat à centro. Figura plana* erit Genus, eſt enim adtributum commune Circulo cum omnibus figuris *planis* ſpecie differentibus; reliqua verò erunt Differentia, iis enim circulus ab omni aliâ figurâ differt.

§ 2. *Quæ rei definitæ,* &c.] *Cicero* in Topicis ad Trebatium, Cap. 6 ita rem egregiè exponit: *Cùm ſumſeris ea quæ ſunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, uſque eò perſequare, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri poſſit; ut hoc: Hereditas eſt pecunia, commune adhuc, multa enim genera ſunt pecuniæ. Adde quod ſequitur: quæ morte alicujus ad quempiam pervenit; nondum eſt definitio, multis enim modis, ſine hereditate, teneri mortuorum pecuniæ poſſunt. Unum adde verbum, jure; jam a communitate res disjuncta videbitur, ut ſit explicata definitio. Sic: Hæreditas eſt pecunia, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure.*

3. *Deſcriptio* verò eſt enumeratio plurium adtributorum, etiam quæ accidentalia ſunt; ut ſi de-

ſcribatur aliquis, ex quibuſdam quæ geſſit aut dixit; velut, ſi pro Ariſtotele, *Philoſophum, qui regnum ſolus in Scholaſticos obtinuit*, dicamus.

4. A Philoſophis nihil eſſe definitum præter *ſpecies*, nulla verò *individua*, ut jam alibi notavimus, animadvertendum eſt; quod ſibi *genus proximum* & *differentiam ſpecificam* ſpecierum eſſe notas putent, ſed non audeant individuorum proprietates eſſentiales, quibus ab ejuſdem ſpeciei aliis differant, ſibi compertas jactare.

5. Revocandum etiam eſt in memoriam, quod in ſuperiore parte, nempe, Subſtantiarum intimam naturam eſſe ignotam, adeóque non poſſe definiri, oſtendimus. Verùm eas definierunt Philoſophi ex iis quæ norant, quibus totam ſubſtantiarum eſſentiam fruſtrà contineri exiſtimarunt. Hinc liquet etiam, ſecundùm ea quæ alibi à nobis obſervata ſunt, ſolos Modos, quorum tota natura nobis nota eſt, poſſe certâ, & propriè dictâ definitione deſcribi.

6. Tres Regulæ Definitionis vulgò adferuntur. Prima eſt, *Definitionem oportere eſſe adæquatam definito*; hoc eſt convenire omnibus iis, quæ ſpecie, quæ definitur, continentur. Itaque à Peripateticis tempus male definitur, *Menſura motûs, per partes priores & poſteriores*, quia tempus poteſt etiam menſurare quietem; res enim quieſcens, per certum tempus quieviſſe, non minùs quàm ſi mota eſſet, dicitur.

7. Secundò, *Definitionem oportet propriam eſſe definito*, hoc eſt, nulli alii ſpeciei, præter eam quæ definitur, convenire. Cùm enim definitio adhibeatur, quò rem aliquam ita cognoſcamus ut à ceteris omnibus diſtingui poſſit, ſoli rei definitæ convenire oportet definitionem. Malè ergo definitur Materia Prima à Scholaſticis: *Quod neque eſt quid, neque quale, neque quantum, neque quidquam eorum quibus Ens denominatur*. Hac enim Definitione, Materia Prima vix à mero Nihilo ſecernitur. Idem dixeris de omnibus definitionibus merè negativis, hoc eſt, quæ docent non quid res ſit, ſed quid non ſit.

8. Ter-

8. Tertiò, quoniam Definitio adhibetur, ut aliis nota fiat res antea ignota; *Definitionem esse claram, & faciliorem intellectu re definitâ oportet.* Atque hinc colligere est plerasque Aristotelis definitiones, quoniam sunt obscurissimæ, esse parum commodas. Exempli gratiâ, quis non meliùs intelligat quid sit motus, sine definitione, quàm hac definitione auditâ: *Actus entis in potentia, quatenus in potentia?* Quis non æquè sciat quid sit Anima, si vel minimùm adtendat, ac si Philosophum dicentem: *Actus primus corporis naturalis organici, potentiâ vitam habentis*, audiat?

9. Hîc iterum non erit supervacaneum monuisse, cavendum esse ne definitionem usûs recepti, circa aliquam vocem, cum definitione rei confundamus. Plurimi enim, imò omnes qui non satis adtendunt res ipsas, sibi satisfieri definitione usûs, ubi quærunt quid res sit, patiuntur. Ita quærenti quid sit *tonitru?* respondetur, esse *sonitum in nubibus excitatum*; quæ responsio ostendit quidem in genere quænam res eo nomine soleat vocari, sed nequaquam quid sit tonitru; nisi is qui responsum accipit aliunde quid sit *sonitus*, seu quæ sit natura ejus rei, quæ sonitus vocatur, & unde nascatur, norit. Aliquando etiam rei naturam notam nobis opinamur, si rem quam vocabulo quodam adpellari audimus, oculis usurpaverimus. Ita quærenti *quid sit vitrum*, ostenditur id quod ita vocatur, & sibi rem notam esse censet, quia pauculas proprietates ejus, & quo nomine vocetur, novit.

10. Eadem de ratione, Definitio rei verbis planè synonymis constare nequit; ut, si quis quærat quid sit *summum Numen?* & respondeatur *supremus Deus*. Hisce enim posterioribus verbis, fortè quidem priora explicantur eorum usitatam significationem ignoranti; sed divinam naturam ex iis meliùs cognosci nemo dixerit.

11. Hisce observatis, satis liquet definitionem locum dumtaxat habere in ideis compositis; & esse enumerationem præcipuarum idearum simplicium, quibus constant. Ideæ verò simplices nequeunt

queunt definiri, ut alibi obſervavimus; quia in earum deſcriptione, enumeratio nulla ejuſmodi fieri poteſt. Qui neſcit quid ſit quod vocamus *calorem*, hoc aliter non diſcit, niſi experientiâ, aut ſynonymo ejuſdem, aut alius Linguæ vocabulo, vel circumloquutione quâ res indicatur quidem, non verò definitur; ut ſi diceremus *eſſe ſenſationem, quam experimur ubi igni adſidemus, aut ſole lucente ambulamus, &c.* indicaremus quæ res ſit, cui id nomen tribuimus, at ejus naturam non explicaremus. Si quis enim eo ſenſu careret, qui neceſſarius eſt ad calorem percipiendum, non magis intelligeret quid diceremus; quàm intelligit cæcus natus quis ſit color viridis, cùm ei dicimus eum eſſe quem perverſus, ubi gramen nobis obſervatur.

Secundæ Partis Logicæ Finis.

LOGICÆ PARS TERTIA.

De Methodo.

Caput I.

De Methodo, eáque Analytica & Synthetica.

1. Postquàm Perceptiones nostras simplices, itémque varia Judiciorum nostrorum genera contemplati sumus, & docuimus quâ ratione circa illa, ut vitetur error, versari necesse sit; superest ostendamus, quo modo judicia nostra debeant disponi, ut tutiùs ac citiùs ad veritatis cognitionem perveniamus. Atque hæc Logices Pars *Methodus* à Dialecticis dici solet; & paucis tractatur, præ ea parte in qua de *Syllogismo* agitur, quòd haud paullò plus in animo ad disceptationem, quàm ad veritatis indagationem, muniendo laborent. Nos contrà Methodum diligentiùs, quòd nobis multò magis cordi sit veritatis inquisitio, quàm disceptandi libido, quæ veritatis cognitioni ferè obest, excutiemus.

§ 1. *Haud paullò plus in animo*, &c.] Hinc apud *Ciceronem* Lib. 2. de Orat. cap. 38. Antonius negat *in hac arte ullum esse præceptum, quo modo verum inveniatur; sed tantùm esse quomodo judicetur* contendit.

2. Cùm pleræque veritates inquirendæ nitantur aliarum cognitione, ex quibus per quamdam consectariorum seriem deducuntur; non satis est tradidisse Regulas, quarum ope cognoscere queamus quibus Propositionibus adsentiri nos oporteat singillatim consideratis. Ostendendum etiam est quâ ra-

ratione inter se disponendæ sint, ut per eas, quasi per gradus, ad veritatem in puteo, ut fert dictum vetus, latentem descendamus.

3. Duplex autem est Methodus; una est *Analyseos*, seu *resolutionis*, quâ ut plurimum veritas investigatur: altera est *Syntheseos*, seu *compositionis*, quâ veritas inventa docetur.

4. In Analytica methodo, ex veritate particulari nota, ad alias quæ pertinent ad rem aliquam singularem progredimur. In Synthetica verò methodo, generales quasdam veritates proponimus, ex quibus veritates singulares deducimus.

5. Si in Analytica methodo, quæpiam Axiomata proponantur, id non fit statim initio, & simul ac semel; sed prout necesse est iis uti, ad veritatis investigationem. Contrà in Synthetica omnia simul initio, priusquàm iis opus sit, proponuntur.

6. Hæ methodi inter se eodem modo differunt, ac differrent rationes inquirendæ Genealogiæ, descendendo à majoribus ad posteros; aut contrà, à posteris ad majores adscendendo. Ita posset quæri genus *Alexandri* Macedonis, nominato ejus Patre *Philippo*, & ab retrogrediendo ad *Caranum* usque *Heraclidem*; quæ ratio investigandi cum Analysi convenit Atque eo modo esset progrediendum, si *Alexandri* majores ignoti quærendi essent. At si jam inventa Genealogia tradenda esset, tunc ab *Hercule* aut *Carano* initium fieri deberet; quâ ratione progreditur Synthetica Methodus.

7. Verùm utraque Methodus pariter ex re nota ad ignotam, progressionem communem habet. Quæ nota sunt, priora utrobique proponuntur, ut ex iis per consequentias ad ignota perveniri queat; deinde omnis hæc series consectariorum, in utraque, Propositionibus inter se connexis constat.

8. In utraque hæc quoque, ut vitetur error, summatim postulantur. Primò nulla Propositio, quasi vera, cui adsensum negare possimus, seu quæ non sit evidens, admittenda est. Deinde in unoquoque progressionis gradu, nexus Propositionis sequentis cum antecedente debet esse evidens, seu ne-

necessarius. Alioqui si in longa Propositionum serie, Propositionem, aut consequentiam dubiam, aut falsam admitteremus vel unam; quidquid inde directè deduceretur, necessariò dubium esset, aut falsum.

9. Ut exemplo res clarior fiat, priùs exemplum Analyticæ Methodi, deinde etiam Syntheticæ tradam. Proponi fingamus hanc quæstionem: *an positâ hominis existentiâ probari queat Deum esse?* Hoc ut scire possimus, ita progredimur. 1. Humanum genus, quod nunc est in terra, non semper fuit; quod historiæ omnes ostendunt, quæ humano generi initium fuisse produnt. Non tantùm enim hoc disertè testantur, sed etiam eorum quæ narrant serie significant; nulla enim est quæ res gestas plurium quàm sex mille annorum, aut circiter, comprehendat. 2. Si humanum genus non semper fuit, sed initium habuit, oportet aliquam exsistendi fuisse causam; nam è nihilo nihil emergit. 3. Quæcumque sit ea causa, oportet in ea saltem fuisse proprietates, quas in nobis videmus; nam nemo dat quod non habet. 4. Præterea oportet in ea causa esse proprietates quæ in nobis non sunt, cùm potuerit facere, id quod nos non possumus; nempe, ut homo, qualis antea non erat, exsisteret, seu ut Mens & Corpus ejus inciperent esse; quam potentiam in nobis non deprehendimus. 5. Videmus autem in nobis esse vim intelligendi, & volendi, & corpus quod variè moveri potest. 6. Igitur oportet esse eas facultates in causa humani generis, & alias etiam præstantiores; qualis est vis producendi è nihilo, seu faciendi ut aliquid, quod antea non erat, exsistat. 7. Hæc autem causa vel est adhuc, vel non est. 8. Si sit adhuc, est Deus. 9. Si non sit etiamnum, non fuit ab æterno; quod enim ab æterno fuit, neque à se, neque ab alio in nihilum redigi potest. 10. Si non fuisset ab æterno, oporteret ab alia creatam esse, quidquid enim habet initium, ab alio procreatum est. Tum rediret eadem quæstio de procreante, quæ posset sic summatim solvi. Omnibus aut initium fuit, aut non fuit. Quibus fuit, ea habent causas, quæ nullum

lum initium habuerunt; itaque si est aliquid, sunt causæ æternæ. 11. Igitur esset fatendum esse Ens æternum, quod habeat omnes proprietates quas habemus, & plures etiam; seu ipsum nos per se, seu per aliam Naturam creaverit, quæ alia est quæstio, quam hîc non adtingimus. 12. Si sit adhuc humani generi causa, eáque æterna; ex eo quod est humanum genus, necessariò sequitur esse *Deum*, seu *Causam* æternam, quæ per se, aut per aliam, id creaverit.

10. Ita Analyticâ Methodo exsistentiam Dei probamus, vel potiùs invenimus. Veritatem inventam deinde methodo Syntheticâ docere possumus, hac ratione; 1. Omnia Entia initium habent, aut nullum. 2. Nihil est quod per se queat è nihilo emergere, aut incipere exsistere, cùm antea non esset. 3. Itaque quæ initium habent, procreata sunt omnia ab aliqua initio carente causa. 4. Humanum genus habet initium. 5. Igitur procreatum est à causa æterna. 6. Causam illam vocamus *Deum*, ideóque *humanum genus à Deo procreatum est.*

11. Omnes hæ Propositiones, ut jam diximus, debent in utraque Methodo diligenter expendi, ut nulla pro comperta admittatur, quæ non sit; neque ulla irrepat consequentia, non necessaria; quo peracto, veritatem à nobis inventam, aut doceri certò scire possumus.

12. Quædam subsidia possunt ad id faciliùs præstandum adhiberi, quæ sunt pensiculatiùs docenda, quia inde tota ratiocinationum facilitas & certitudo pendet. Primùm, quî debeat esse, ad feliciter inveniendam veritatem, animus adfectus; secundo loco, regulas Analyticæ Methodi: tertiò, quæ ad Syntheticam pertinent, trademus.

Caput II.

De Adtentionis necessitate, & subsidiis quibus comparari potest.

1. EST quidem evidentia, ut plus semel diximus, unicum veritatis κριτήειον. Verùm non satis hoc est novisse, ad investigationem veritatis; quia evidentia semper præstò non est, nec animo nostro, nisi post longum laborem, interdum obversatur. Quærendum itaque quâ ratione eam, in cognitionibus nostris, nanscisci possimus.

2. Quemadmodum non satis est esse objecta extra nos, eáque luce illustrata, sed præterea oculi sunt ad ea convertendi, ut ea cernamus: ita non satis est omnium rerum, quæ animo concipi queunt, posse formari ideas, ut eas res noscamus; aciem, ut ita dicam animi, ad illas ideas converti, & hunc adtentum in earum contemplatione est necesse est, si eas probè nosse cupiamus.

3. In prima & secunda Parte, ostendimus Judicia nostra esse, perceptiones relationum, in quibus perceptionibus Mens adquiescit; erroréſque nostros inde oriri quod adquiescat in obscurè perceptis, quasi essent clara, priusquàm rem satis expenderit. Ut enim cùm oculis leviter aliquid lustravimus, aut è longinquo, aut in obscuro loco vidimus, sæpe id credimus nos conspexisse quod non vidimus: ita quando Mens, post levem rei considerationem, in observationibus suis adquiescit, sæpe id à se animadversum, quod nequaquam ei est obversatum, censet.

4. Ut caveamus errorem, qui ex oculorum usu nascitur, levi considerationi non credimus; cùm objectum obscurum, aut remotum est, facem adhibemus, propiùs accedimus, denique diu & diligenter consideramus. Nulla quoque alia est certior ratio vitandi erroris, in Mentis judiciis, quàm si ea cohibeamus, donec diu & adtentè, pro rei natura, id quod investigatur contemplati fuerimus. Hinc

satis

satis constat quàm sit necessaria *Adtentio*, quàm rectè definiveris, *diuturnam, neque intermissam, aut aliis cogitationibus interpellatam ideæ considerationem.*

5. Itaque is operam non malè collocabit, qui artem augendæ Adtentionis quæsiverit. Videmus autem nos adtentiores multò esse, & faciliùs etiam ad eas res quæ interventu sensuum nos adficiunt, quarum imagines quædam figuratæ animo obversantur, & quæ adfectum aliquem in nobis excitant; quàm quæ absque hisce Menti nostræ sese ingerunt. Ita in spectando corpore luce illustrato; in imagine rei corporeæ Menti oblata lustranda; in consideranda denique re unde ad nos commoda redire, aut incommoda queunt, quæ metum aut desiderium in nobis excitant, adtenti sumus. Hoc adeò manifestum est, ut probatione non indigeat.

6. Non minùs certum experientiâ est, nos difficiliùs animi aciem ad abstractas ideas, exempli causâ, convertere, & diu defixam tenere. Hoc quicumque de hisce cogitare conati sunt, præsertim priusquàm adsuefierent meditationi, experti sunt. Discrimen illud inde nascitur, quod in aliis Mens, interveniente corpore, adjuvetur, & vividis sensationibus aut imaginibus adficiatur, quas vel invita animadvertit: contrà verò contemplationibus abstractis, & nihil è corporibus ducentibus, corporei motus officiant, dum ad corpora Mentem revocant; nec quidquam Menti obversetur, quòd eam valdè adficiat, atque adtentionem ejus alliciat. Imò dum eâ contemplatione Mens occupatur, oportet eam omnes corporeas imagines, sponte sese ipsi oggerentes, summâ vi amoliri; quod sine dolore fieri nequit, quia hæc Lex est naturæ, ut, cùm vis infertur corpori, Mens doleat.

7. Hoc posito, videndum annon ope sensuum, facultatis imaginandi, aut adfectuum, etiam in rebus merè incorporeis, Adtentionem augere possimus. Atque hoc eâ arte fieri potest, quam postea indicabimus; verùm est ante omnia cavendum, ne inde nascatur incommodum, quod sequi animi per sensus, imaginationem, aut adfectus, commotiones ut plu-

plurimùm ſolet. Nempe, ubi animus paullò vehementiùs eſt adfectus, adeò ad id objectum quo adficitur convertitur, ut nihil aliud animadvertat. Tunc temporis tantùm abeſt, ut is motus Adtentionem ad ideas rerum incorporearum adjuvet, ut contrà eam impediat.

8. Hinc deducitur hoc, in veritatis inquiſitione, maximi momenti conſectarium; nempe, iis qui volunt ſeriò veritatis inveſtigationi incumbere, vitandas eſſe, quoad ejus fieri poteſt, omnes ſenſationes vehementiores, quales ſunt ingens ſtrepitus, lumen vividius, dolor, voluptas, &c. Cavere etiam debent, ne vehementiùs ipſorum commoveatur imaginatio ullo objecto, quod eam ita inficiat, ut inviti de eo cogitent; hoc enim fit ut Adtentio ſubinde interpelletur. Inprimis motibus adfectuum validioribus non debent adſuefieri, qui enim ſæpe iis perturbantur ita adficiuntur, ut vix de ulla re, niſi de adfectûs objecto, aut de iis quæ cum eo conjuncta ſunt, cogitare poſſint. Attamen quia horum nemo poteſt eſſe immunis prorſus, propter rationes, quas hîc non adtingimus; conandum eſt ex hiſce inevitabilibus incommodis, qualecumque ad veritatis indagationem ſubſidium petere.

§ 8. *Senſationes vehementiores*] Propterea finxerunt Democritum Philoſophum *luminibus oculorum ſuâ ſponte ſe privaſſe, quia exiſtimaret cogitationes, commentationéſque animi ſui, in contemplandis naturæ rationibus vegetiores & exactiores fore, ſi eas videndi illecebris & oculorum impedimentis liberaſſet*, &c. Verba ſunt A. Gellii Lib. X. c. 27. Falſum eſſe Plutarchus, in libro περὶ πολυπραγμοσύνης, contendit.

9. Senſus prodeſſe poſſunt Adtentioni, ſi iis utamur ut Geometræ, qui inconſpicuas quantitates lineis, numeris & litteris exprimunt. Hac enim ratione fit, ut faciliùs animus in ea quæ quærit adtentus ac defixus hæreat; dum enim oculi in figuras defixi ſunt, animus rem cujus ſunt ſigna, contemplatur. Atque hoc fit eò meliùs, quòd nullum ſit periculum ne figuras cum re quam quærit confundat, cùm nulla ſit inter eas relatio, niſi quam ipſe inſtituit. Ita celeritas & duratio motûs poſſunt in-

inquiri, descriptione aliquot figurarum, quas numquam credet id esse quod quærit Geometres.

10. Possumus & hac ratione, sine periculo, sensibus nostris uti in ratiocinatione. Nempe, ne multitudine relationum considerandarum obruamur, possunt ordine in charta vocibus aliquot exprimi. Præterea faciliùs Propositiones jam expressas & chartæ commissas, quàm earum ideas adtendimus. Sæpiùs & faciliùs, in longis ratiocinationibus, vestigia nostra, ubi eorum in charta notæ hærent, quàm ubi memoriæ tantùm infixæ sunt, relegere possumus.

11. Pueri propterea multa faciliùs discunt ex imaginibus, & figuris, quàm si ea millies dici audiant, aut ad cogitandum iis de rebus excitentur. Si videant Virtutum Emblematicas imagines, multò faciliùs intelligunt, adtendunt, & dicta memoriâ tenent : quàm si vocabulis, quæ sunt abstractarum idearum signa, quibus ideis non sunt adsueti, edoceantur. Attamen debent hæc spectari quasi adminicula quædam, quæ initio quidem adhiberi possunt, sed adultioribus non sunt offerenda ; ne nimium iis adsuescant, neu quidquam possint, nisi interventu imaginis corporeæ, intelligere.

12. Facultas, quâ fit ut imagines rerum corporearum Menti objiciantur, arctissimè est cum sensibus conjuncta ; ideóque & ad hanc quæ de sensibus dicta sunt pertinent. Attamen peculiare etiam subsidium, ad juvandam Adtentionem, confert. Unicuique experientiâ notum est, res incorporeas meliùs intelligi ope comparationis è corporibus petitæ ; quorum imagines Menti obversantur, Imaginationis operâ. Ita ubi quæro quâ ratione Mens mea objectas ideas videat, & quo modo aut ab errore caveat, aut in errorem incidat ; & inveni, acri meditatione, ideas esse nescio quæ objecta quæ extra Mentem sunt (exceptis sensationibus) & Menti, postquàm diu ideam contemplata est, perceptionem claram ejus fieri, aut obscuram remanere ; cùm autem obscura est, Mentem posse judicium cohibere, contra verò cùm clara est, in ea ne-

necessariò adquiescere; ubi, inquam, hoc inveni, idem comparatione, ex re corporea desumtâ, exprimere conducit. Memoriæ meliùs sic mandatur, faciliùsque & clariùs Menti se res inventa objicit. Exempli causâ, mecum tacitâ meditatione conferre ideas cum objectis externis & corporeis possum, Mentem cum oculo, & similia in oculorum operationibus animadvertere, ac in Mentis actionibus.

13. Si quod inveni, sit aliis explicandum, illi etiam faciliùs comparationem, quàm nudam rei expositionem adtendent, citiùs quod dicam intelligent, & tenaciùs memoriæ mandabunt. Hinc nata erat antiquissimorum temporum utendi fabulis, apud rudes populos, consuetudo, quam apud Orientales diu viguisse ex veteribus monumentis constat.

14. Verùm hîc cavendum à peccato, in quod Veteres potissimùm inciderunt. Nempe, dum nimium captant imperitorum Adtentionem, tot figuris & loquutionibus ex rebus corporeis petitis usi sunt, ut nullas penè præter corporearum rerum ideas eorum animo offerrent. Adeò est sub iis figuris oppressa veritas, ut planè lateat, & vix etiam à peritis inde possit erui; qua de re egimus in *Critica* nostra, P. II. Sect. I. Cap. XV.

15. Cavendum est etiam ab alio scopulo, in quem illiserunt plurimi Veterum & Recentiorum, qui temere Comparationem, aut aliam ejusmodi Figuram, quâ res illustrantur, esse argumentum quo probantur crediderunt. Figuræ hujusmodi adhibentur, ad res in majore lumine collocandas, unde *lumina orationis* dicuntur; sed nihil quidquam probant.

§ 15. *Nihil quidquam probant.*] Τὸν διὰ παραβολῆς λόγον ἀνῄρει *Euclides* Megaricus, ut auctor est *Diogenes* Laërtius, Lib. II. § 107. λέγων ἤτοι ἐξ ὁμοίων αὐτὸν ἢ ἐξ ἀνομοίων συνίστασθαι. καὶ εἰ μὲν ἐξ ὁμοίων, περὶ αὐτὰ δεῖν μᾶλλον ἢ οἷς ὅμοιά ἐστιν ἀναστρέφεσθαι. εἰ δὲ ἐξ ἀνομοίων παρέλκειν τὴν παράθεσιν: *dicens eum sermonem constare aut ex similibus, aut ex dissimilibus; si ex similibus, circa ipsa oportere potiùs, quàm circa similia versari; si ex dissimilibus inutilem esse collationem.*

16. Quin

16. Quin Adfectus noceant paſſim veritatis cognitioni, nemo inficias iverit, & nos ſuperiùs oſtendimus; at multi an aliquando proſint, multùm fortè dubitent. Attamen cùm ſint inter ea, quæ naturâ ſuâ mala non ſunt; poſſunt, ſi quis eis probè moderetur, multùm ad augendam Adtentionem prodeſſe; imò fortaſſe numquam eſt, ſine adfectu aliquo, acrior Adtentio.

17. Certiſſimum eſt, gloriæ cupiditatem multis unicam cauſam fuiſſe, ob quam Veritatis inveſtigationi operam darent; at nec minùs verum eos, dum inveniſſe videri volebant quod nondum invenerant, multa quaſi comperta, quæ tamen explorata non erant, protuliſſe. Nihilominùs gloriæ ſtudio uti feliciter poſſumus, ſi ei, ut par eſt, moderemur. Utilis eſt honor & exiſtimatio, ut commodiùs ipſi vivamus, & aliis prodeſſe queamus; ſed non eſt fama captanda, quaſi aliquid ſit quod propter ſe concupiſci debeat. Itaque eò contendendum eſt, quatenus licet per Veritatem & Virtutem, quæ propter ſe amandæ ſunt. Si quis ergo gloriæ ſtudio teneatur, quod ſit cum Veritatis & Virtutis amore vehementiſſimo conjunctum: dubium non eſt quin eâ honoris cupiditate multùm adjuvari in inveſtigatione veri, poſſit. Tunc ſibi honorem proponere licet, quaſi præmium Veritatis inventæ: ut Opifici licet operæ ſuſceptæ ſibi mercedem proponere. Quemadmodum etiam Artifex non debet mercedem ullam poſcere, quam operâ non commeruerit: ita nec gloriam ſibi non debitam, æquus Veritatis indagator tribui poſtulabit.

18. Semper eſt recordandum eum adfectum, ſi ſolus ſit, noxium eſſe; itaque in nobis excitandi alii adfectus, qui, ne nos gloriæ ſtudium ſolum tranſverſos agat, impediant. Ejuſmodi eſt cupiditas ipſa veri cognoſcendi, quæ eſt in omnium hominum animis; nemo enim falli amat, nemo ignorantiâ delectatur.

19. Veri autem cognoſcendi cupiditas multùm poteſt augeri, ſi cogitemus quantam voluptatem perceperimus, ubi veritas antea ignorata nobis innotuit

notuit, præsertim si diu eam quæsivissemus. Sanè tanta est in Veritatis cognitione voluptas, ut qui in ea investiganda operam ponunt, nihil in vita jucundius se experiri testentur, quàm ubi aliquid, quod sibi latuerat, retegunt.

20. Verùm hoc quoque cavendum, ne judiciorum nostrorum causa sit solus etiam inveniendi veri adfectus. Adfectus enim nulli facem judicio præferunt; animum tantùm ad quærendum, quod nostra novisse interest, incendunt. Itaque hoc quoque adfectu utendum, ut ad veri investigationem impellamur; sed tum demum ferendum judicium, ubi id cohibere non possumus ampliùs, quando de rebus meditamur, quæ evidenter cognosci queunt.

Caput III.

De Mentis Capacitate, ejusque augendæ ratione.

1. *Capacem* animum vocamus, non quòd eum putemus esse instar vasis, quod *capax* dicitur à *capiendo*, eò quòd intra ejus latera continetur; sed metaphoricè, quod uno tempore plures ei obversentur ideæ. Eò autem capacior est, quò plures distinctè complecti potest: eò arctior, quo pauciores. *Capacitas* itaque Mentis augetur, quando consuetudinem plurium simul idearum, sine confusione, considerandarum contrahit. Cùm autem dicimus *simul*, aut *uno tempore*, hoc non est ita intelligendum quasi unico indivisibili momento, & unicâ Mentis perceptione multa posse ita intelligi velimus; nam sanè perpauca distinctè simul capiuntur. Sed quod dicimus, aliquâ latitudine debet capi, & de brevissimo tempore intelligi; quod tamen voce *simul* expressimus, quòd tam celeriter Mens ab una cogitatione ad aliam se conferat, ut nulla sit mensura externa temporis, quâ possit in partes dividi.

§ 1. *Capacitatis*, &c.] *Cicero* Tuſcul. Quæſt. Lib. I c. 25. *Utrum capacitatem aliquam in animo putamus eſſe, quò tanquam in aliquod vas, ea quæ meminimus infundantur? Abſurdum id quidem, qui enim fundus aut quæ talis animi figura, intelligi poteſt, aut quæ tanta omnino capacitas?*

2. Si quis à nobis petat an omnes omnium hominum Mentes æquè naturâ ſuâ ſint capaces, adeò ut quidquid diſcriminis inter eas animadvertitur, id omne ab educatione manaverit? nullum reſponſum hîc à nobis feret, niſi nobis non liquere, ſed duo eſſe experientiâ certiſſima.

3. Unum eſt, quorumdam ingenia eſſe adeò infelicia ut Propoſitionum duarum nexum ægrè capiant; niſi de rebus, quas experientiâ didicerunt, agatur. Ceterùm in merè theoreticis pænè cæci ſunt, nec diſcrimen ullum inter bonam & malam ratiocinationem vident. Alii rurſus paullò capaciorem Mentem habent, poſſúntque nexum aliquot Propoſitionum, uno animi intuitu, deprehendere; ſed ſi deductio conſequentiarum paullò prolixior ſit, hærent, nec poſſunt ſe explicare. Sunt etiam felicia ingenia, quæ longam Propoſitionum ſeriem, ſi non unico intuitu, ſaltem paucis cogitationibus, brevi tempore, facilè complectuntur. Non fatigantur, neque turbantur numero Propoſitionum, qui alios prorſus obtundit. Pænè dixeris horum animos eſſe ampliſſima vaſa, quæ aliquoties impleta magnam liquoris copiam exhauriant: priorum verò adeò arcta eſſe, ut ſæpiſſimè oporteat ea impleri, ut copiam liquoris exiguam ſucceſſivè exhaurire queant.

4. Secundo loco, experientiâ conſtat, Mentis capacitatem, quadam cogitandi de pluribus adſuetudine, augeri poſſe. Notum enim eſt eos qui Geometriam, Arithmeticam aut Algebram primùm addiſcunt, initio conturbari, idearum ſimul conſiderandarum copiâ; nec poſſe, niſi moleſtiſſimâ adtentione, quæ legunt aut quæ docentur, propter idearum conſiderandarum numerum, intelligere. Exempli gratiâ, qui primùm *Diviſionis Regulam* adſequi

sequi nituntur, multiplici comparatione numerorum *Divisoris* & *Dividendi* conturbantur. Si plures sunt operationes Arithmeticæ peragendæ, ita ut nectantur invicem, nonnisi ægrè intelligunt quî fieri queat ut Magister, qui ipsos docet, possit tam facilè & veluti uno obtutu, aut paucis saltem, nexum tot Propositionum complecti. At iidem, postquàm per aliquot menses ei arti operam dederint, facilè plures animo operationes, quas singulas antea capere non poterant, complectuntur. Hinc ergo posse capacitatem Animi augeri, colligere est.

5. Si quæratur rursus, an omnium hominum capacitas eodem modo augeri possit? respondemus experientiâ quidem constare, omnes qui animum eâ, quam dicemus, ratione excolere possunt, capacioris fieri ingenii. Verùm hîc triplex occurrit discrimen; sunt enim qui in hujusmodi studiis ab initio ne hilum quidem proficere queunt, adeò aut obtusi ingenii, aut infelicis cerebri sunt! Inter eos verò, qui hisce studiis non sunt prorsus inepti, quod ab initio adparet, alii aliis multò faciliùs proficiunt, ulteriúsque progrediuntur; seu hoc ab animi, seu à corporis natura proficiscatur. Qui se nullo modo aptos ab initio sentiunt, si invitâ naturâ cogantur studiis operam dare, nihilo magis proficiunt, quàm si aliud agerent. Hi ergo rectè faciunt, quando ab iis studiis abstinent, quæ ex multa ratiocinatione pendent; & ad eas Artes, quæ experientiâ paullatim addiscuntur, animum adpellunt.

§ 5. *Capacioris fieri ingenii.*] Indoles arte exculta perficitur, Scriptor ad Herenn. Lib. III. cap. 22. *Nihil est*, inquit, *quod aut natura extremum invenerit, aut doctrina primum; sed rerum principia ab ingenio profecta sunt, & exitus disciplinâ comparantur.*

6. Ut ad rem ipsam veniamus, quicumque capacitatem animi auctam sibi optat, debet ante omnia operam dare ut adtentus esse possit, quando vult; quod eâ ratione, quam Capite superiore indicavimus, potest comparari. Etenim qui ne paucis quidem adtentus esse, multò minùs plura simul distinctè intelligere, & multiplicitate objectorum non confundi poterit.

7. Quando-

7. Quandoquidem verò capacitas ingenii, ut vidimus, facultas est quæ nobis naturâ inest; quidquid fieri potest ad eam comparandam, ut hactenus loquuti sumus cum vulgo, huc redit, ut frequenti exercitio usum ejus facilem nobis faciamus. Videndum dumtaxat, circa quæ objecta potissimùm exerceri queat.

8. Sunt objecta duplicis generis; quædam sunt Mathemetica, alia non possunt Mathematicè tractari. Mathematica sunt quæcumque Methodo Geometricâ, quam trademus, ubi de Synthesi agemus, expendi queunt. Atque hujusmodi sunt omnia, quæ possumus penitus cognoscere, hoc est, quæcumque ad Modos pertinent.

9. Consideratione harum rerum, capacitatis ingenii usum adquiri aiunt, quicumque iis animum adpulerunt. Ac sanè in Arithmetica (ut hoc exemplo utamur, ne omnes Matheseos partes sint expendendæ) multiplices objecti partes adeò distinctè notantur, adeò clarè percipiuntur, ut nullum sit periculum ne confundantur, si modò adtentio adhibeatur. Præterea in supputatione, primùm tot objecta sunt quot unitates; deinde unitatum certis collectionibus nomina quædam imponuntur brevitatis causâ, quæ tamen nullam confusionem pariunt, quantavis sit ea unitatum collectio, ut *centum, mille, centum millia, millio, &c.* Denique comparatio longa fit numerorum, quorum numquam unicus consideratur, sed plures simul; nam si addas, aut subtrahas, aut multiplices, aut dividas, quò omnis Arithmetica redit, multiplex consideratur numerus; nisi fortè excipias numerum binarium, qui duabus unitatibus constat, sed in quo arte non est opus.

10. Dum itaque hæc numerandi scientia colitur, exercetur facultas multa simul intelligendi, & quidem distinctè, quam *capacitatem ingenii* appellamus. Nam semper revocandum in memoriam, capacitatem illam oportere cum distincta perceptione conjungi; inutilis enim est capacitas multa simul confusè intelligendi, si quidem ea ad investigandam nihil prodest veritatem.

11. Alia

11. Alia ſunt, quæ Mathematicè expendi non poſſunt, qualia ſunt quæ pertinent ad ſubſtantias, vel, ut clariùs loquar, in quibus de ipſis ſubſtantiis agitur. Hic fruſtrà ſimus ſi, in hiſce conſiderandis, capacitatis ingenii uſum adquirere ſperemus; etenim cùm nec ſingulas ſubſtantias norimus clarè, multò minùs ſubſtantiarum compagem clarè intelligimus. Hoc unum poſſumus, earum proprietates, & relationes quæ inter proprietates intercedunt, conſiderare.

12. Inde colligi poteſt, quod Philoſophi olim crediderunt, ingenium capacius non fieri, conſideratione Generum, & Specierum, in quæ diſtributæ ſunt ab iis ſubſtantiæ; quia eſt tantùm incerta ignotorum objectorum diviſio, ut in prima Parte monuimus.

13. Sed præter ea, eſt interdum conſideranda Modorum tanta copia, eorúmque adeò tenuïum, ut Geometricâ methodo, niſi longiſſimo tempore, quod nobis non ſuppetit, diſponi nequeant. Attamen recta de hiſce ferre judicia, multò magis quàm de Mathematicis inveſtigationibus, noſtrà intereſt. Hujuſmodi ſunt adfectiones animorum, & rerum ad vitam pertinentium; de quibus peritiſſimi Geometræ meliùs aliis non judicant, imò ſæpe pejus. Quæritur, exempli causâ, an aliquod conſilium, ſeu cœptum felicem eventum ſit habiturum? In eo cœpto, ſunt multiplices ideæ, quæ ad exitum, niſi multiplicibus admodum viis, quæ pendent ex circumſtantiis innumeris, perduci nequeunt.

14. Qui adſueti ſunt Mathematicis ideis, quæ facillimè à ſe invicem diſtinguuntur & animadvertuntur; ubi volunt, ſecundùm notæ Artis regulas, de rerum publicarum aut domeſticarum adminiſtratione judicare, ineptiſſima ferunt judicia. Nimirum, abſtractas tantùm poſſibilitates conſiderant, & in ſuis ratiocinationibus diſpoſitiones quaſdam rerum & animorum omittunt, quæ multiplicitate & tenuitate ſuâ ingenii aciem pænè fugiunt. Ut plurimùm etiam evenit, ut qui rectè

de hisce judicant, de rebus Mathematicis inepta judicia ferant, aut eas difficillimas, quòd iis non sint adsueti, putent.

15. Quemadmodum autem, ut Mathematicas quæstiones intelligere & solvere queamus, sunt eæ disciplinæ excolendæ: ita, ut de iis quæ ad Remp. aut familiam pertinent, aliísque similibus, rectè judicemus, possimúsque eas facilè animo complecti, vita sic instituenda est, ut adtenti simus omnibus quæ eveniunt, & memoriæ diligenter quæ cernimus cum omnibus, quantùm licet, circumstantiis, mandemus. Sed quia paucis suppetit sat longa experientia, ut non eveniant eis quotidie plurima, quibus nulla similia viderant; experientia aliorum uti licet, consulendo peritos rerum, & legendo quamplurimas Historias.

§ 15. *Vita sic instituenda est,* &c.] Saluberrimum fuit hanc in rem Pythagoræ præceptum, *μνήμην ἀσκεῖν*, quod fusiùs in Peiresciania excerptis exponit *Diodorus Siculus.* pag. 244. *οἱ Πυθαγορεῖοι* &c. " Pythagorei maximam exercendæ memoriæ curam habebant, & " hujusmodi ferè exercitio utebantur. Nunquam è cubili surgebant, " quin priùs omnia sua pridie facta memoriâ repeterent, à matutino " tempore sumto initio ad vesperam desinentes. Quod si fortè otio " abundarent, quæcumque etiam nudius tertius, quartúsve egerant " in memoriam revocabant, ac retro etiam ampliùs; *τοῦτο πρὸς Ἐπιστήμην καὶ Φρόνησιν, ἔτι δὲ τὴν πάντων Ἐμπειρίαν, τοῦ δύνασθαι πολλὰ μνημονεύειν*: *cùm ad scientiam ac prudentiam & plurimarum rerum memoriam complectendam id conducere existimarent.*

16. Si quis ergo velit sibi capacitatem ingenii, cùm ad theoretica, tum etiam ad res usûs quotidiani quod spectat comparare, eum oportet memorata omnia, ne in quibusdam peritus, in aliis ineptiat, conjungere. Vel si nequeat sibi tantam animi capacitatem polliceri; saltem in iis, quæ maximè suâ intersunt, quàm amplissimam judicandi facultatem adspici, ceteris omissis, conetur. Nam de uno rectè judicare posse, quàm in omnibus vacillare, satius est.

Caput IV.
Methodi Analyticæ Leges.

1. Methodi Analyticæ leges lecturos oportet in memoriam quædam Axiomata, quæ sunt harum Legum fundamenta, revocare. Primum est, quod superiùs indicavimus plus semel: *In omnibus gradibus progressionum nostrarum, in ratiocinationibus, conservandam esse evidentiam,* nisi velimus in erroris periculo perpetuo versari.

2. Alterum est hujus consectarium: *Debere nos de iis tantùm, quorum claræ menti nostræ obversantur ideæ; aut rebus obscuris, quatenus dumtaxat sunt nobis notæ, ratiocinari.* Unde colligere est, omnes nostras ratiocinationes circa proprietates & modos substantiarum ideásque abstractas oportere versari; non circa substantiarum intimam naturam, quæ obscurissima est; quod antehac sæpiùs monuimus.

3. Tertium est: *Nos debere semper incipere à simplicibus & facilibus, & iis aliquamdiu inhærere, priusquàm ad composita & difficilia progrediamur.* Priùs enim sunt percipiendæ simplices ideæ, quàm compositæ; alioquin has numquam sat bene intelligeremus.

4. Atque hæc quidem generalia Axiomata sunt tam Syntheseos, quàm Analyseos, principia; nam in utraque Methodo, æquè postulantur evidentia in progressionis gradibus, delectus eorum circa quæ ratiocinamur, & simplicium cognitio, antequàm ad composita perveniamus; ut patebit ex sequentibus. Verùm hæ sunt Analyticæ Methodi peculiares Leges.

5. Prima est: *Perspicuè intelligendum statum quæstionum propositarum.* Si nobis ipsis quærendum aliquid proponemus, tenendum distinctè animo quid quæramus; ne frustrà per ea, quæ ad rem investigatam nihil adtinent, divagemur. Si ab aliis verbis quibusdam proponatur, non priùs ejus solutionem adgredi nobis licet, quàm constet perspicuè quid singula vocabula, quibus expressa est, significent.

§. 5. *Perspicuè intelligendum,* &c] Hanc & quartam legem ita exponit *Cicero* in Oratore Cap. XXXIII. *In omnibus quæ ratione docentur & viâ, primùm constituendum est quid quidque sit (nisi enim inter eos qui disceptant convenit, quid sit illud de quo ambigitur, nec rectè disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest) explicanda est sæpe verbis mens nostra de quaque re, atque involuta rei notitia definiendo aperienda est; siquidem definitio est oratio, quæ quid sit id de quo agitur ostendit quàm brevissimè. Tum explicato genere cujusque rei, videndum est quæ sint ejus generis sive formæ, sive partes, ut in eas tribuatur omnis oratio.*

6. Postquàm distinctè intelleximus quibus de rebus agatur, & jam sunt ideæ quæ Quæstione continentur comparandæ; altera Lex est: *Esse aliquo ingenii conatu retegendas unam aut plures ideas medias, quæ possint esse instar mensuræ communis, cujus ope inveniantur relationes, quæ intercedunt inter ideas comparandas.* Si quæratur, exempli causa, an prudenter fecerit Cicero, cùm Antonium hostem Reip. à Senatu judicari curavit? Postquam *factum*, ut loquuntur, ex Historia, cum omnibus circumstantiis, cognovimus; invenienda est idea generalis *prudentiæ civilis*, quæ postea singulari illi *facto*, ut videamus utrum ei conveniat, aptanda est.

7. Verùm cùm quæstiones sunt difficiles, & longâ discussione indigent, tertiâ Lege cautum est: *Ut à re, quæ consideranda proponitur, omnia, quæ non necessariò pertinent ad investigatam veritatem, circumcidantur.* Ita in Quæstione modò memorata, non est inquirendum quid sit *Respublica* in genere, ánve melior *Democratia*, aut *Aristodemocratia* quàm *Monarchia?* Status dumtaxat Romanæ Reip. cognoscendus, & videndum utrum quod Cicero fecit salubre ei esset, an verò noxium.

8. Cùm Quæstio est redacta *ad minimos terminos*, ut loquuntur, hoc est, cùm percepimus distinctè qua de re agatur, omissis omnibus aliis ad eam necessariò non pertinentibus, tum quarta Lex jubet *Quæstionem compositam dividi in partes, eásque singillatim expendi, eo ordine ut ab iis incipiamus quæ simplicioribus constant ideis; nec umquam ad compositas deveniamus, nisi postquàm simpliciores distinctè novimus, & faciles nobis consideratu meditatione effecimus.* Sic in Quæ-

Quæstione allata, hæc quæri possunt, 1. Quis fuerit Rom. Reip. status, secundùm leges receptas? 2. Leges, in quibus sita erat Reip. forma. 3. An verisimile fuerit à Proceribus Romanis potuisse eas Leges inviolatas servari, vi & Senatusconsultis contra Antonium agendo? 4. Quæ vires iis fuerint, quæ Antonio? 5. Quæ auctoritas Senatûs, in turbata Republica? 6. Quæ gratia Antonii apud Pop. Romanum, aut apud milites? 7. An hisce collatis verisimile esset Senatum superiorem futurum? 8. An contra omnem spem esset Antonius armis impetendus? *&c.*

9. Cùm meditatione distinctam omnium Quæstionis partium cognitionem adepti sumus, & facilè eas animo versamus, quinta Lex jubet *Idearum quædam signa constitui figuris, aut verbis quam paucissimis comprehensa; eáque signa memoriæ imprimi, aut chartæ illini, ne ampliùs circa hæc laboret Mens.* Si velimus, possumus capita Quæstionis memoratæ in pauciora verba contrahere, ut 1. Resp. Romana. 2. Ejus conservatio. 3. Senatûs vis & auctoritas; 4. Antonii, *&c.* Huic Legi tum potissimùm parendum, cùm Quæstiones sunt difficiles & multis capitibus constant; licèt inutilis non sit, etiam in facilioribus. Ejus ope citiùs ratiocinatio concluditur, quàm si multis verbis, aut aliis signis sit concipienda. Deinde citiùs etiam partium nexus animadvertitur.

10. Postquàm quæ necessariò in Quæstione consideranda sunt, ea nobis evaserunt dilucida, compendiosísque signis notata, & ordine disposita sunt; tum *ideæ*, secundùm sextam Legem, *invicem, aut solâ meditatione, aut arrepto calamo & comparatione verbis expressâ, conferendæ.* Possumus, exempli causâ, vires Senatûs cum Antonii viribus meditando comparare. Aut, si velimus, utrasque ex historia cognitas chartæ consignare. Ubi plura sunt conferenda, memoria & judicium plurimùm scriptione juvantur; alioqui facilè confunduntur, & perturbata malè judicant.

 11. Si

11. Si comparatione factâ omnium idearum, quarum signa chartæ illevimus, nondum sit inventum quod quæritur, septima Lex hoc consilium suggerit: *Abscindendas omnes Propositiones, quas ad Quæstionis solutionem inutiles esse, examine facto, deprehendimus; & in reliquis eodem ordine, qui sex prioribus Regulis traditus est, denuo procedendum.*

12. Si, examine repetito quoties necesse erit, nihil eorum quæ notassemus videretur conducere ad Quæstionis solutionem, tunc fatendum esset Quæstionem, nobis saltem, esse ἄλυτον; quandoquidem quidquid videremus in ejus partibus, ad eam solvendam satis non esset. Itaque aut omittenda, aut consilium alicujus esset quærendum, si fortè alius nobis oculatior, aut investigandi peritior sit.

13. Atque hæ sunt Leges Analyseos, quæ non omnes in omnibus Quæstionibus observandæ; in simplicioribus enim, aut paucis Propositionibus constantibus, una aut altera Lex sufficit. Sed ubi sunt valdè compositæ & intricatæ, sæpe ad ultimam deveniendum, quæ & plus semel repetenda. Easdem copiosiùs, res enim est maximi momenti, singillatim aliquot Capitibus explanabimus.

CAPUT V.

De tribus Axiomatibus, quibus nititur quævis Methodus.

1. DE primo Axiomate, de *Evidentia in omnibus cognitionis gradibus conservanda*, non necesse est quidquam à nobis, præter ea quæ superiùs observata sunt, dici. Hoc tamen in loco memorandum fuit, cùm ut sequentium cum eo nexus adpareret, tum etiam quòd nimis inculcari apud homines, obscuris adsentiri adsuetos, nequeat.

2. Secundum, quod inde sequitur, est: *Nos non oportere de rebus, quarum menti claræ non obversantur ideæ, aut de obscuris, quatenus obscuræ sunt, ratiocinari.* Non est ita hoc Axioma capiendum, quasi negaremus

mus rerum hactenus ignotarum naturam posse quæri. Contrarium hoc esset instituto nostro, quo viam ad ulteriores veritates retegendas aperire adgressi sumus.

3. Verùm de obscuris ratiocinari duplici sensu illicitum Philosopho ducimus. Unus est, eum objecta contemplationum suarum eligere non oportere, quæ demonstrationibus evidentibus constat inveniri non posse. 1. Ita si fieri nequit ut *quadratura circuli*, aut *duplicatio cubi*, quod demonstrasse se putant non pauci Geometræ, inveniatur; hanc legem violaverit, quisquis inquirendis illis tempus triverit. 2. Fieri nequit ut intelligamus quæ sit intima substantiarum natura; hoc unum cognoscere possumus, unà esse in substantiis proprietates quasdam, quod experientiâ didicimus. Ergo est omittenda investigatio substantiarum, nec quidquam præter earum proprietates quærendum. 3. Si nullam substantiam intus cognoscere queamus, ne quidem creatas, multò minùs quæ sit substantia ejus Naturæ, à qua reliquæ omnes procreatæ sunt, inveniemus. Ex iis quæ in Creaturis videmus, possumus colligere, veluti experientiâ, ea esse in Creatore, nemo enim dat quod non habet. Verùm quomodo omnes omnium Creaturarum proprietates reales in Deo sint, intelligere nequimus. Voluntatem ejus partim ex eventu, partim ex revelatione collegimus; sed hanc esse totam ejus voluntatem, non nisi stultè adfirmaverimus. 4. Ex brevissima antiquissimarum rerum Historia, eáque Linguâ haud satis notâ scripta, eam rerum illarum cognitionem haurire non possumus, ut omnibus, quæ circa illas proferri possunt, quæstionibus satisfacere nos posse speremus.

4. Ex tribus hisce posterioribus exemplis, sequitur neque Theologiæ, neque Physices ullum Systema perfectum posse ab hominibus fieri; quia cùm principia rerum Theologicarum, & Physicarum sint maxima ex parte ignota, non possunt inde deduci consectaria, quarum ope solvatur quidquid occurrit difficultatis, sine quo plenum Systema fieri

 nequit.

nequit. Itaque frustra se cruciarunt qui earum rerum accuratam cognitionem ex positis principiis, indéque ductis consectariis, impertiri nobis conati sunt.

5. Alter Axiomatis allati sensus est, ex ignoto, aut incerto principio non posse evidentem consequentiam deduci. Omnes quidem Philosophi Axioma admittunt; nec eò seciùs & Veteres & Recentiores passim in id peccant. Aristotelica principia obscura sunt, & ignota interdum, nec minùs Aristoteles in Physica se posse clara inde deducere consectaria credidit. Exempla adferrem, nisi passim, aperto Peripatetico Syntagmate, occurrerent. Sed, quod mireris, Recentiores ipsi, qui maximè omnium id in Aristotele reprehendunt, in eumdem scopulum impingunt. Statuunt sibi notum esse quidquid est in natura corporum, quod sanè obscurissimum est; unde colligunt, quasi manifestum, ad corporum naturam non pertinere quod in ea non deprehendunt. Ita non videmus, quî corpora possint sponte moveri; seu inter proprietates corporum, quas novimus, nullam quæ aliquem cum spontaneo motu nexum habeat, cernimus. Inde sanè sequitur nos non debere adfirmare, corporibus ullis inesse vim se se movendi; quandoquidem quod ignoramus, adfirmare quasi compertum non licet. Sed non sequitur id non esse, quòd ignorem an sit. Similiter in Mente nostra nihil videmus clarè, præter cogitandi proprietatem, ideóque aliam ei inesse adfirmare non possumus. At nec negare par est, quoniam, ut alibi diximus, multa esse queunt quæ ignoramus. Igitur qui adfirmant, exempli causâ, à Mente moveri corpus, ii plus adfirmant quàm norunt; sed nec minùs peccant qui idem negant, quia eam proprietatem in Mente non animadvertunt. Hac in re peccavit Vir * alioqui laude dignissimus, & ex quo non pauca ad Methodum pertinentia hausimus; in illo ipso capite ubi Axioma, quod nunc intepretamur, profert & exemplis illustrat.

* Scriptor Gallus *de Inquirenda Veritate* Lib. VI. c. 2. P. 11.

6. Ne

6. Ne quis porrò hîc mentem noſtram in alienum ſenſum torqueat, monere neceſſe eſt, quæ diximus non eſſe ita intelligenda, ut inde ſequatur repugnantia negari non poſſe. Aliud enim eſt negare eſſe in ſubjecto quidquam, præter id quod in eo novimus; aliud negare aliquid poſſe in eo eſſe & non eſſe ſimul. Ita non poſſumus adfirmare in Mente nihil eſſe aliud, præter cogitandi vim, quia nihil aliud in ea videmus; ſed poſſumus contendere, ſine erroris periculo, Mentem, dum cogitat, non poſſe eſſe cogitatione deſtitutam, quia clarè alterutram harum Propoſitionum neceſſariò eſſe falſam videmus.

7. Ut hanc ſecundam, quam memoravimus, cautionem obſervemus, neceſſe eſt principia ſemel ponenda expendamus diligentiſſimè, priuſquàm ad conſectaria deveniamus. Tertio Axiomate, docemur *à ſimplicibus & facilibus initium facere, iiſdémque, priuſquàm ad compoſita & difficilia progrediamur, aliquamdiu inhærere.* Si quis vellet Arithmeticam diſcere, & ſtatim leviter quatuor primas Regulas *Additionis*, *Subtractionis*, *Multiplicationis*, & *Diviſionis*, quòd ſint faciles intellectu, delibaret; deinde quàm primùm ad ulteriores Regulas, quales ſunt Regulæ quæ *Trium* & *Falſi* dicuntur, progrederetur; is ſanè tantam in hiſce difficultatem experiretur, ut Arti, niſi denuò à ſimplicioribus inciperet, eaque ita memoriæ mandaret, ut ſemper eſſent in promtu, valedicendum ei eſſet.

8. Attamen, in ſolvendis nodis Philoſophicis, ea Methodus negligitur, ſimplicia & facilia quaſi nota vix delibantur, ac uno, ut ita dicam, ſaltu ſe horum ſtudioſus ad difficilia & compoſita confert; unde fit ut ſudet, hæreat, & ubi quod cogitat effert, nihil præter nugas aliis propinet. Atque hac in re ſummopere peccarunt Veteres Philoſophi, & qui eos ſequuti ſunt. Sed nec planè hujus vitii expers eſt, licèt multò diligentiùs ſibi ab eo caverit, ipſe *Carteſius*. Hinc * vel ejus diſcipuli obſervarunt

* *Franc. Malebranchius* de *Inquirenda Veritate* Lib. VI. P. II. Cap XI.

runt ex regulis motûs, quas tradidit, quartam, ſextam, & ſeptimam falſas eſſe. Hinc quoque iidem eum temerè quieti, quaſi Enti poſitivo, vim reſiſtendi tribuiſſe oſtenderunt. Denique, ut exemplum addamus, quo totum ejus Syſtema Phyſicum concutitur; poſtquàm oſtenſum eſt quietem non eſſe cauſam, ob quam partes ſibi invicem adhærent, neque hoc fieri ob compreſſionem aëris, neque impulſu materiæ ſubtilioris; ſupereſt ut fateamur incompertum eſſe quare corpora ſint extenſa, ſeu habeant partes extra partes. Adde quòd, cùm partis unius ſingularis materiæ nullam ideam habeamus, neſcimus quid nobis velimus, cùm dicimus extenſionem eſſe ſitam in eo quòd corpora partes extra partes habeant. Si *Carteſius* diutiùs prima cogitata preſſiſſet, quo erat ingenio, fortè deprehendiſſet ea incommodis illis laborare, & conficiendi Syſtematis Phyſici conſilium temerarium abjeciſſet. Sed ſe intra terminos continere, quibus excedere poſſe cum gloria nos putamus; aut tam diu ſerere, ut ita dicam, ſine ullius meſſis collectione, difficillimum eſt.

CAPUT VI.

De Prima Analytices Regula.

1. QUandoquidem omnia noſtra judicia ſunt tantùm perceptiones relationum, in quibus perceptionibus adquieſcimus; cùm quidpiam quærimus, quod ignoramus, à nobis nihil præter relationem, quæ an ſit inter duas ideas neſcimus, quæri manifeſtum eſt. Quando igitur in prima Regula, *perſpicuè intelligendum quæſtionis propoſitæ ſtatum* dicimus, idem eſt ac ſi cavendum eſſe ne eam relationem quæri putemus, quæ nequaquam inveſtigatur, moneremus. Niſi enim certa quædam nota inſigniat relationem quæſitam, nec ſciemus quid quæramus, nec inventum agnoſcemus.

2. At

2. At si ejusmodi relatio sit perspicuè nota, inquiet fortè quispiam, quomodo ampliùs quæritur? Verùm relatio quidem abstractè considerata nota est, sed ignoramus an intercedat inter ideas quas expendimus. Nulla quæstio, nisi ejus termini sint aliquatenus noti, solvi potest. Ita quæritur, exempli causâ, *quinam sint duo numeri, inter quos est hæc relatio, ut si unitatem uni detrahas quam addas alteri, futuri sint pares; contrà verò si ei cui detraxisti, addas alteri demtam unitatem, unus duplo major altero sit futurus?* Licèt ignorentur ipsi numeri, inter quos est hæc relatio, attamen nota est relatio, ex qua inventi statim agnoscuntur.

§. 2. *An potest esse rei prorsus ignotæ, &c.*] *Sextus Emp.* adversùs Mathemat. *Pag.* 282. πῶς γὰρ τις καὶ ζητῆσαι δύναται μηδεμίαν ἔννοιαν ἔχων τοῦ ζητουμένου πράγματος; οὔτε γὰρ ἐπιτυχὼν εἴσεται ὅτι ἐπέτυχεν· οὔτε ἀστοχήσας, ὅτι ἠστόχησεν: *Quomodo enim aliquis poterit quærere, nullam habens notionem rei quæsitæ? Eam adsequutus nesciet se adsequutum, nec, si aberrarit à scopo, se aberrasse.*

3. Quando quæstio verbis est concepta, quoad ejus fieri potest, distincta sunt intelligenda; seu optimè noscendæ ideæ, quæ singulis vocibus significantur. Igitur ambiguitas omnis amovenda est, ne pro una quæstione, tot exsurgant, quot erunt Propositionis sensus; nec scire, si ab alio proposita sit quæstio, quem sensum ei tribuat, possimus.

4. Exemplo esse potest quæstio nugatoria puerorum piscatorum, quæ * *Homero* proposita dicitur. Quærebant quid esset, de quo dici posset:

> Ἅσσ' ἕλομεν λιπόμεσθα, ἃ δ' οὐχ ἕλομεν φερόμεσθα.
>
> *Quæ capimus relinquimus; quæ non capimus referimus.*

Negatur Homerus potuisse respondere; nempe quòd omnia hæc verba eo sensu, quo solent à Piscatoribus sumi, intelligenda crediderit; quâ ra-

* *Herodotus in vita Homeri*, Cap. xxxv.

tione,

tione, quæſtio erat planè ἄλυτος. At ſtatim ac pueri dixerunt ſe pediculos intelligere, facillima ſolutu viſa eſt: Poſſemus adferre exempla quæſtionum, ex graviſſimis Diſciplinis; quæ malè ſolvuntur, quod voces ambiguæ non intelligantur. Quæſtiones, quæ proponuntur de ſenſu locorum *Scripturæ Sacræ*, quam plurimæ ſunt ejuſmodi. Verùm hoc extra limites, nobis in Compendio hocce præfixos, nos abduceret. Satis ſit hoc monuiſſe, ut obſervetur.

5. Si nequeamus ſcire omnes ſenſus vocabulorum, quibus quæſtio concepta eſt; an à nobis eo ſenſu, quo propoſita eſt, ſoluta ſit, reſcire non poſſumus; quod in quæſtionibus generalibus, & quarum occaſio ſatis nota non eſt, ſæpe uſu venit. Tunc temporis, de quæſtione propoſita, nihil præter conjecturas proferre licet. Atque ejuſmodi ſunt omnes pænè interpretationes difficilium locorum, quæ ex ſerie orationis explicari nequeunt, apud Scriptores Veteres.

6. Poſtquàm vocabula, quibus quæſtio concepta eſt, quoad potuimus, clara nobis effecimus; adtentio animi convertenda eſt ad conditiones, ſi quæ in ea ſunt, conſiderandas. Niſi intelligantur, obſcura quæſtio remanet; & ſæpe ejus ſolvendæ viam oſtendunt. Si nullæ ſint, neque ullæ ſubintelligantur, tum quæſtio generalis eſt; circa quam ea obſervanda ſunt, quæ diximus. Si verò ſubintellectæ & quidem neceſſariæ non exprimentur; tunc, niſi liceat eum qui quæſtionem proponit interrogare, non poteſt ſolvi. Si inutiles ſunt quæſtioni additæ conditiones, ſunt diſtinguendæ à neceſſariis; niſi enim hoc fiat; quod nullius eſt momenti quærimus, dum neceſſaria interdum omittimus.

7. Poteſt proponi hæc quæſtio: *Invenire duos numeros, quorum unus, deſignatus literâ* A, *ſuperet alterum literâ* B *notatum, duabus unitatibus, ita ut deſumtâ ex numero* B *unitate, numerus* A *eâ additâ ſit duplò major.* Hîc conditio eſt concepta vocibus, *ita ut*, &c. atque hæc maximè adtendenda, quia ſine ea non intelligitur quæſtio. Non enim quæritur, quâ ratione

inveniri

inveniri queat numerus duabus unitatibus alterum superans simpliciter; sed ejusmodi investigantur numeri, in quibus id occurrat quod in conditione ponitur, qui sunt 7. & 5.

8. Omitteretur conditio necessaria in hac quæstione: *An homo possit ita immotus reddi, ut incedere nequeat, modò digitum suum auri inserat, donec digitum ex aure eduxerit?* Quæstio ita concepta negabitur, neque enim, immisso tantùm in aurem digito, quisquam immotus reddi potest. Adfirmatione verò eidem quæstioni respondebitur, si addatur: *Ita eum hominem collocando, ut brachio columnam aliquam immotam complectatur, dum digitum ejus brachii auri inserit.*

9. Interdum etiam quæstioni propositæ adnectuntur inanes conditiones, quæ nihil ad rem faciunt, ut si proponeretur hoc Problema: *Facere ut homo unguentis delibutus, coronáque serteâ redimitus non possit quiescere, licèt nihil quod ipsum moveat cernat.* Si quis hæreat circa hæc: *Unguentis delibutus, coronáque serteâ redimitus,* frustra laborabit, etenim nihil ad rem faciunt. Quod quæritur fiet, si is homo navi à vento actæ imponatur, aut si è turri, vel alio loco excelso cadat; movebitur enim necessariò, quamvis quod eum movet non videat, nam à materia sub oculos non cadente pelletur.

10. Atque hæc non tantùm in quæstionibus, animi gratià, fictis consideranda; similia enim occurrunt in iis quæ ex Critica, exempli causâ, aut Physica, reliquísque omnibus Disciplinis proponuntur. Ita si quæratur, *quid significet vox quæpiam* seorsim spectata? quod respondebitur, licèt verum, rarò ad solvendam quæstionem particularem, *quid significet vox illa in certo quodam loco?* sufficiet. Igitur si quis hoc posterius rescire aveat, eum necesse est non generalem quæstionem proponere; sed locum recitare, in quo vox cujus sensus quæritur occurrit. Nempe, vocibus, pro situ quem obtinent, varia, quæ solæ non designant, significari sollemne est.

CA-

CAPUT VII.
Secunda & Tertia Analyseos Regulæ explicantur.

1. OMnes quæstiones ad duo genera possunt referri; sunt enim omnes aut simplices, aut compositæ. Ad priorum solutionem, nihil aliud postulatur, præter diligentem idearum, quibus constant, comparationem. Ita quando dicitur circulus habere eam proprietatem, ut omnes lineæ, quæ ab ejus centro ad circumferentiam ducuntur, sint æquales; si quis hac de re dubitaret, vellétque inquirere verumne sit an falsum hoc Axioma, ideam circuli cum idea hujus proprietatis dumtaxat conferre eum oporteret.

2. At quæstiones compositæ, nisi ideæ quibus constant cum tertia quadam idea, aut etiam pluribus comparentur, solvi non possunt. Relationes enim ignotas, quæ investigandæ sunt, comparatione immediatâ idearum quæstionis propositæ, cùm ea collatio nequeat fieri, nemo invenerit. Est ergo invenienda una idea, aut plures etiam sunt quærendæ, cum quibus termini quæstionis comparentur. Debent autem ejusmodi ideæ perspicuæ esse, saltem secundùm relationem, secundùm quàm cum aliis comparantur. Atque hinc ducta est secunda Analyseos Regula, quam suprà adtulimus, Cap. IV.

3. Exemplis res perspicua evadet. Quæstio hæc si proponeretur, *An oporteat furem capite plecti?* quoniam *furis* idea non potest immediatè cum *ultimo sup licio* comparari, nullo intercedente inter eas ideas naturali connexu, adeo ut idea furis excitet necessariò ideam hujus pœnæ; non possemus eam quæstionem solvere, nisi interventu tertiæ cujusdam ideæ, cum qua utraque compararetur; nempe, *justitiæ ultricis*, aut *prudentiæ civilis*. Comparatione absolutâ, justitiam, aut bonum Reip. postulare, ut fur capite plectatur, vel contrà mitiore supplicio adficiatur, diceremus.

4. Si

4. Si rursus quæreretur, *an puerum quindecennem furti reum oporteat capitali supplicio plecti?* Hac quæstione prior involveretur, priùs enim quærendum an omnino fur debeat capite pœnas luere, quàm quæramus an ejusmodi furem hac pœnâ adfici æquum sit. Itaque, nisi prior quæstio soluta esset, hæc posterior non posset solvi. Deinde, posito furtum commissum in viro posse puniri ultimo supplicio, secundùm leges; quærendum esset, an eædem pœnæ essent de puero quindecenni sumendæ. Itaque esset hîc rursus alia comparatio, non pueri cum pœna, sed pœnæ puero infligendæ cum *justitia*, aut *prudentia*, instituenda. Hæ enim sunt eædem, in Reip. administratione; verùm hac de re hîc non agimus.

5. In hac eadem quæstione, possunt aliæ ideæ comparandæ occurrere, quia utilitas Reip. non est res simplex; sed hîc, docendi gratiâ, *justitiam* esse ideam simplicem & summæ perspicuitatis statuimus. Statuimus etiam de circumstantiis furti non quæri, quæ plerumque tamen in considerationem veniunt. Verùm si omnia essent hîc accuratè enumeranda, justum inde posset confici volumen.

6. At si quæratur, *quâ pœnâ sit plectendus Titius, qui sine sententia Judicis rem ab alio sibi, ut ait, debitam vi abstulerit?* tunc primâ fronte adparent plurima quærenda 1. Videndum an verè creditor sit alterius, à quo rem abstulit, quam in rem ejus adfirmatio debet comparari cum instrumento, si sit aliquod, aut cum jurejurando, aut cum testibus, *&c.* 2. Videndum an tantam summam pecuniæ crediderit, quantam dicit, quod cognoscere est ex comparatione ejus adfirmationis cum verbis instrumenti, testium, *&c.* 3. Videndum an rapuerit? 4. An vi usus sit, ubi audiendi sunt testes, quorum testimonia cum multiplicibus ideis sunt comparanda, ut constet an sint vera. 5. Videndum an Leges damnent vim quamlibet in illo negotio, ubi comparatio instituenda facti cum verbis Legis. 6. Vim, quæ adhibita statuitur, ubi non intercessit sententia Judicis, quâ pœnâ Leges adficiant. Igitur priusquàm

quàm ſolvatur hæc quæſtio, *quomodo Titius ſit plectendus?* idearum mediarum cum terminis quæſtionis, multiplex eſt inſtituenda comparatio.

7. Si autem in ea comparatione adſumantur ideæ minùs perſpicuæ, ſummum eſt erroris periculum; qui ſi quà irrepat, ſequentes omnes Propoſitiones aut falſæ, aut extra rem ſunt, & concluſio prorſus falſa. Etenim, ex ſuperiore exemplo, ſatis liquet Propoſitiones eſſe invicem connexas, aut iis quædam poni quaſi comperta, híſque omnibus niti concluſionem; adeò ut vel ex una falſitate præmiſſa, concluſionis ſequatur falſitas.

8. Tertia Regula eſt, *à quæſtione, quæ conſideranda eſt, amovenda eſſe omnia, quæ ad inveſtigatam veritatem neceſſariò non pertinent.* Hæc Lex manifeſtæ eſt utilitatis, quoniam qui eam non obſervant, aut vagantur extra oleas, nec inveniunt quod quæritur, aut ex alienis ideis de eo judicant, aut animum fruſtra fatigant. Ita, ſi in quæſtione modò propoſita, quæratur utrum *Titius* ſit civis aut peregrinus, quæ ſint Leges aliarum Gentium de vi raptis, aliáque ſimilia; inde nihil ad quæſtionis ſolutionem hauſtum iri manifeſtum eſt.

9. Hæc cautio adhibetur potiſſimùm in iis quæſtionibus, quæ pluribus verbis ſunt conceptæ, aut ab imperitis, aut datâ operâ, ut intricatiores reddantur, aut quæ hauriuntur ex ſcripto, quod qui exaravit, in animo non habuit ejuſmodi quæſtionem dilucidè proponere.

CAPUT VIII.

Explicantur Quarta, Quinta, Sexta & Septima Leges Analyſeos.

1 POſtquàm ex quæſtione propoſita ſuſtulimus quidquid ad rem quæſitam neceſſariò non pertinet, aut pertinere non videtur; ſi quæſtio tamen compoſita ſuperſit duobus, aut pluribus capitibus; quoniam plura ſimul adtentè expendere non licet,

licet, secundùm quartam Legem 1. *dividenda est quæstio in sua capita: 2. ea capita singillatim expendenda, & eo quidem ordine ut ab iis incipiamus quæ simplicioribus constant ideis: 3. nec priùs ad capita magis composita, quàm simpliciora meditatione perspicua & facilia nobis facta sint, deveniendum.*

2. Manifesta est hujus Legis, in quæstionibus compositis solvendis, necessitas. Primùm enim, si confundamus capita diversa, nunquam eorum distinctas ideas habebimus; confusio enim & distinctio in una sede non morantur. Hinc vix poterimus ideas inter se comparare, ut sunt comparandæ ad veritatem tutò inveniendam; quæ si aliter nobis occurrat, id potiùs casui, quàm sapientiæ imputandum erit. Ut enim is qui oculis plura simul videre vult, nec ea distinctè videt, non potest de singulis satis judicare: ita qui mente plura, quàm potest, complecti nititur, se ipse perturbat, nec certa judicia de pluribus simul ferre potest.

3. De variis ideis, interdum quidem idem fertur judicium; attamen ut plurimùm eadem judicia pluribus consentanea non sunt. Si autem mistim de pluribus judicemus, singulis singillatim non expensis; generale de rebus diversis judicium, quod raro non aliqua ex parte peccat, ferimus. Facile esset exempla virorum celebrium congerere, qui dum quæstionum multis capitibus constantium partes non distinguunt, ab aliis non possunt intelligi, neque ipsi fortè se intellexerunt. Sed sufficiet hoc indicio eos homines designare; nimirum, quando lecto diligenter opere, cujus argumentum aliàs nobis non est ignotum, non possumus ad certa capita contrahere quod in eo habetur, neque ordinem Scriptoris indicare, inde sanè ab eo hanc Analyseos neglectam Regulam liquet. Si quis legat Scripta, non Veterum modò, qui passim hoc vitio laborant, sed Recentiorum plurimorum, hoc experietur. Duos, alioqui Viros Magnos, instar omnium, adpellabimus, *Joannem Seldenum Anglum, Claudium Salmasium Gallum*; qui ita ordinis Regulas omnes negligunt, ut propterea sine molestia legi nequeant.

4. Eadem

4. Eadem incommoda ex neglectu secundæ, & tertiæ cautionis hujus nostræ quartæ Legis oriuntur; & cùm jam egerimus hac de re *Cap.* v. §. 7. *& seqq.* unum hîc addemus; scilicet, postquàm simplicibus quæstionis propositæ principiis adsueti sumus, ita ut distinctè animo obversentur, contraria iis à nobis adfirmari, ubi ad extrema consectaria devenimus, non accidere. Contrà ubi simplicia leviter præmittuntur, & ad composita statim progressio fit, illorum paullatim obliviscimur, ac tandem ultima primis sæpe adversantur.

5. Quinta, sexta & septima Leges rarò in aliis Disciplinis adhibentur, præter *Algebram*, ex qua exempla petita earum usum ostenderent. Sed quia difficiliora sunt non adsuetis,& eosdem Canonas ceteris Disciplinis cum fructu aptari posse censemus, aliunde exempla desumemus.

6. Quando quæstionem propositam solvere, & quod responderi posse videtur chartis adlinere adgredimur, summæ est utilitatis capita quæstionis paucis verbis chartæ committere, præsertim si multa sunt; ne dum de uno cogitamus, cetera animo, ut fit, propter quæstionum multiplicitatem, elabantur. Hac ratione, memoria etiam felix, quæ laborat in pluribus capitibus retinendis, non parum sublevatur; & animus, aliis non impeditus, minore labore singula adtendit. Rarò omnes compositæ & difficilis quæstionis partes, quæ expendendæ occurrunt, simul ac semel animo se offerunt. Plerumque diu meditandum, priusquàm omnes retexerimus; nisi autem eas quas primùm invenimus scriptis mandaremus, facilè memoriâ elaberentur. At quia molestissimum esset multa scribere, ideò quibusdam vocabulis possunt variæ relationes expendendæ exprimi.

7. Hinc etiam duo commoda, nequaquam spernenda, exsurgunt. Unum est, antequàm pleniùs scribamus quod de quæstione quapiam meditatione, cum solâ, tum lectione adjutâ, comperimus; hac arte facilè scribendorum ordinem concipi, & immutari, si quid fortè malè conceptum statim fuerit.

rit. Alterum, ita & ordinem, & partes tractationis memoriæ inſeri, relegendo aliquoties capita chartæ mandata; ut poſtea, ubi ſcriptioni totius Diſſertationis incumbimus, ab ordine non recedamus, neque quidquam ex iis quæ conſideratu digna ſunt, omittamus. Alioquin ubi memoriæ nimiùm fidentes, ordine, & capitibus Mente tantùm conceptis, animum ad ſcriptionem adpellimus; multa, quæ inter ſcribendum occurrunt, adfinia iis quæ cogitavimus, nos interdum ſenſim à recta via deflectunt, faciùntque ut quæ erant agenda non agamus, & quæ ad rem nihil adtinent excutiamus; quod ſæpiſſimè evenit duobus illis Viris, alioqui maxima laude dignis, quos antehac nomine adpellavimus.

8. Poſtquàm, ſecundùm quintam Legem, ordinem conceptum notis quibuſdam expreſſimus, tum unamquamque Propoſitionem expendendam diligenter conſideramus, ſecundum ſextam. Sunt autem duo termini unius Propoſitionis, numquam plures, comparandi; donec quæ ſit, aut non ſit, inter eos relatio viderimus. Hoc inventum paucis rurſus oportet ſcribi, ut memoria exoneretur, & ſine labore veſtigia noſtra relegere poſſimus, ac videre quid hactenus invenerimus, & quis ſit ratiocinationum noſtrarum nexus.

9. Poſtquàm omnes Propoſitiones expendendas ita ſcripſimus, nec tamen quod quærebamus invenimus, ſeptima Lex nos veſtigia diligentiùs relegere; & quæcumque videmus inutilia fuiſſe ad quæſtionem ſolvendam, delere; tum ſi quid ſupereſt quod uſui eſſe queat, id denuo, ex memorata methodo, expendere jubet. Sæpe enim fit, in intricatis quæſtionibus, ut primo intuitu credamus quædam ad ſolvendam quæſtionem planè neceſſaria eſſe; quæ poſtea experimento, comparatione accuratâ idearum, facto, inutilia deprehendimus. Contrà quædam, quæ non ſatis ſtatim excuſſeramus, nobis viam, repetito examine, ad veritatem inveniendam munient. Atque hæc unuſquiſque uſu, potiùs quàm exemplis ab alio allatis, intelliget.

10. Deni-

10. Denique, si, examine instaurato aliquoties, nulla via adparet solvendæ quæstionis, nihil superest nisi ut calamo abjecto quæstionem solvi non posse à nobis agnoscamus; aut si inter expendendas ideas deprehenderimus nullas posse inveniri, quibus solvatur quæstio, eam ἄλυτον esse, ne quis frustra in ejus solutione quærenda animum fatiget, demonstremus.

11. Difficilem fortasse hanc esse methodum quis dicet, at nulla facilior, nec in veritatibus inventu facilibus omnes Canones ad praxin revocantur, sed tantùm in intricatioribus, ut jam monuimus. Sanè veritatem, sine hac methodo, invenire, eamdémque inventam agnoscere; quàm methodo uti, & ex ejus usu certitudinem inventorum colligere, multò difficilius est.

CAPUT IX.

Syntheseos Regulæ traduntur.

1. EX comparatione, quam suprà Capite I. inter *Analyticam* & *Syntheticam* Methodos instituimus, qua in re sita sit *Synthesis*, satis liquet. Postquàm, nimirùm, veritatis cujuspiam, aut totius Disciplinæ principia invenimus, ordo quærendus fuit, quo partium ejus nexus facilè intelligeretur; & ita simul probaretur res ipsa, ut concessis initiis cetera etiam essent concedenda.

2. Nulla autem inventa commodior ratio, nisi ut generalia principia primùm proponerentur, & si necesse esset, probarentur; deinde eorum consectaria ita disponerentur, ut, quantùm licet, posteriora ex prioribus manarent. Præterquàm quòd hac ratione & ordo & vis demonstrationis obtinetur, vitatur incommodum in tradendis Disciplinis non exiguum, repetendi necessitas. Si enim à particularibus seu speciebus initium fieret, ut ad genera postea deveniretur; esset, ubi de unaquaque specie dicendum foret, repetendum quod de ejus

genere

genere innotuit; quoniam, sine generis cognitione, species satis nota non est.

3. Verùm hîc observandum hunc ordinem posse servari in iis tantùm rebus, quarum principia accuratè novimus; qualis est, exempli gratiâ, Geometria, quæ tota sita est in consideratione modorum abstractorum, quorum & perspicuæ & adæquatæ ideæ animo nostro obversantur. At ubi agitur de substantiis, ut in Physica, Synthesis, quia genera substantiarum nobis sunt ignota, nec intimas earum essentias adsequimur, adhiberi nequit. Itaque quicumque Systemata Physica adgredi voluerunt, ii se difficultatibus ineluctabilibus impediverunt; quod facilè, quorumvis principiorum Physicorum examine, si res esset hujus loci, ostenderemus.

4. In solis Mathematicis disciplinis, quarum principia ἀποδεικτικῶς nota sunt, hæc Synthetica Methodus hactenus observata est accuratè; ideòque à nullis meliùs ejus Leges petantur, quàm à Geometris

5 Cùm nihil proponere cui possit contradici animus iis esset, hoc se maximè triplici viâ adsequuturos existimarunt; I. Si nihil proferrent, quod non constaret vocabulis quorum significatio esset perfectè nota; quam ob rem *definierunt* diligenter vocabula, quibus utuntur, qua de re egimus P. *I*I. Cap. 12. II. Si niterentur tantùm *principiis evidentibus & perspicuis*, adeò ut à nemine possent in dubium revocari, si modò ea intelligeret. Itaque ante omnia, ponunt *Axiomata* sua, quæ sibi concedi postulant, probatione quippe non indigentia. III. Si omnia consectaria *demonstrativè probarent*, propter eáque in ratiocinationibus suis dumtaxat Definitionibus, Axiomatibúsque concessis, aut Propositionibus uterentur jam à se demonstratis, quæ ad posteriora quod adtinet sint principiorum loco.

6. Ad hæc tria capita referri potest quidquid à Geometris observatur, in demonstratione veritatum, quas retexerunt. Sed ut meliùs intelligantur, duæ statuuntur Definitionum, una Axiomatum,

tum,

tum, duæ Demonſtrationum Leges; de quibus ſingillatim agemus, poſtquàm eas propoſuerimus.

7. Definitionum Leges ſunt hæ. I. *Nullum vocabulum ſubobſcurum, aut ambiguum, ſine definitione adhibere.* II. *In definitionibus, nullis vocabulis, niſi notiſſimæ ſignificationis, aut jam explicatis, uti.*

8. Axiomatum Lex eſt: *Nihil Axiomatis inſtar, quod non ſit evidentiſſimum, ſtatuere.*

9. Demonſtrationibus hæ Leges poſitæ ſunt: I. *Omnes Propoſitiones ſubobſcuras probare, nec quidquam in iis demonſtrandis adhibere, præter Definitiones conſtitutas, Axiomata conceſſa, Propoſitiones jam demonſtratas, aut Conſtructionem figuræ, de qua agitur, ubi quid ſimile faciendum contingit.* II. *Nunquam abuti ambiguitate vocabulorum, iis non affingendo definitiones quibus explicantur.*

10. Hæc Geometræ neceſſaria obſervatu duxerunt, ut veritates quas probare inſtituunt evidentes, & *ἀναντιῤῥήτως* redderent. Ac ſanè quicumque his Legibus ſteterit, ita ut in eas ne minimùm quidem peccet, is ſe in falſam nullam ratiocinationem delapſurum, quod præcipuè in omnibus Diſciplinis ſpectatur, ſperare ſine temeritate poterit. Neque enim tam bene agitur cum humana natura, ut, non dicam omnia, ſed multa, præ ignotarum rerum numero, noſſe ei liceat; ſatis eſt ſi modò in iis ſaltem, quæ nobis nota eſſe putamus, non erremus. Pauca noſſe miſerum, ſed miſerius ne ea quidem pauca ita noſſe, ut te non errare certò ſcias. Itaque in hoc, omnibus ingenii viribus, contendendum.

CAPUT X.

Explicantur Leges Definitionum.

1. EGimus quidem P. II. C. XII. de *Nominum Definitione*; attamen quia res eſt non exigui momenti, & ſine qua Geometrarum Methodus intelligi

telligi nequit, quædam eadem de re, vitatis, quoad licebit, repetitionibus, addemus.

2. Prima Regula vetat *ullum vocabulum subobscurum sine definitione adhibere.* Hujus Regulæ necessitas hisce nititur fundamentis. I. *Ut aliquid evidenter probetur, necesse est id quod dicitur perfectè intelligi*; quî enim evidens esse potest demonstratio, quæ non plenè intelligitur? Non possunt autem perfectè intelligi plurima vocabula, nisi definiantur; cùm usus Linguæ, ex qua petita sunt, iis aut nullum aut obscurum sensum adtribuerit, ut in *Critica* ostendimus. Cùm ejusmodi adhibentur vocabula, in Disciplinis tradendis, potissimùm in Principiis, neque Principia ipsa intelliguntur, neque consectaria, neque ordo ratiocinationum, seu Propositionum nexus; unde fit ut veráne sint quæ dicuntur nécne, cognoscere nequeamus.

3. Ne porrò observatio hæc credatur inutilis, quasi nemo in eam peccet, in animum revocandum est omnes ferè Philosophos gravissimè hoc in negotio peccasse. Innumera vocabula non definita, petita seu ex usu vulgari, seu ex Philosophorum aliorum sermone, seu à se inventa, obscurissima, aut ambigua in Philosophiam intulerunt. Theologi, Philosophos sequuti, immaniter quoque hac in re peccarunt. Priores *qualitatum naturalium* & *occultarum*, ut vocantur, nomina ex usu vulgi acceperunt non definita, eáque obscurissima, qualia sunt *gravitas, levitas, color, odor, sapor, frigus, calor*, &c. Quando ab iis quæritur quid sit *color*, quasi ridiculam quæstionem irrident, cùm reverâ non satis distinguant id quod sentimus, ab eo quod est in superficie objecti, ut ex eorum sermonibus apparet. Accuratiores Philosophi utuntur voce *perfectio* non definitâ, quæ tamen intelligi nequit sine definitione. Theologi ubi de Deo loquuntur, aiunt Deum habere proprietates ἀκαταλήπτους, quibus imponunt nomina aliunde sumta, licèt fateantur nihil esse in rebus creatis simile; nec tamen definiunt ea nomina, nisi definitionibus obscurissimis, quod non est propriè definire, ut posteà videbimus.

Vox

Vox *Persona*, quæ in divinis definiri nequit, aut vox ὑπόστασις, quæ tamen tantos excitarunt dissidiorum fluctus, ejusmodi sunt.

4. II. Definitiones vocabulorum faciunt etiam ut ipsi, in tribuenda eidem vocabulo eadem significatione, constantiores simus. Dum enim ipsi satis distinctè non novimus quid voce significetur, eámque sine definitione adhibemus, facilè fit ut ab ea significatione, quam primò ei adtribueramus, imprudentes recedamus; si præsertim ratiocinationes prolixiores sunt, & de variorum generum rebus sermo est. Quando autem hoc evenit, ne ipsi quidem satis scimus quid velimus, & quæ sit ratiocinationum nostrarum series; nedum ut alii nos intelligant. Si verò definitionem vocabulorum adhibuerimus, significatio altiùs memoriæ inhæret; & si contigisset nos ab ea incautos abiisse, in viam eâ ratione faciliùs rediremus, substitutâ, nimirum, definitione loco definiti; unde illico utrum in pristina significatione hæsissemus, nécne, palam fieret.

5. Hoc ipsum etiam aliis inservit, ut idem experiantur. Ita cùm Euclides definiisset angulum: *Concursum duarum linearum rectarum in eodem plano inclinatorum*; animadversum est ab iis, qui ejus Elementa diligenter legerunt, significationem eam vocis *Angulus* constanter ab eo non esse servatam. Ubi enim docet quâ ratione *Angulus* dividi possit, continuò intelligere est eam vocem illic aliâ significatione sumi; neque enim dividi potest *concursus duarum linearum*, cùm fiat in puncto invisibili. Itaque, ubi de divisione Anguli agit, voce *Anguli* intelligit spatium interceptum inter duas lineas rectas inter se concurrentes, & in eodem plano inclinatas, quod spatium dividi potest.

6. Secunda Definitionum Lex vetat *voces in iis, quarum significatio nota non sit, aut jam explicata, adhibere.* Absurdum est ad definiendas voces obscuras usurpare obscuriores, aut æquè obscuras; cùm definitionem, non nisi ut clariùs sermo intelligatur, addamus. Attamen quantùm hac in re peccaverint

tint Philosophi Veteres, & Recentiores Scholastici, ostendimus, in Capp. *de Definitione*, sub secundæ Partis finem.

7. Liquet ex Regula duo exigi, ut voces sint claræ, aut potiùs duorum alterutrum. Unum est, ut sint usu jam recepto ita certæ cuipiam rei adtributæ, ut ad aliam transferri non soleant, saltem in ea occasione in qua adhibentur; neque nescio quid confusum, sed rem certam designent. Sic vox *exsistere*, in sermone Philosophico, ita est ideæ simplici exsistentiæ adligata, ut neque aliò transferri soleat, neque confusum quid significet. At vox *natura* obscurissima est, quòd de multis soleat dici, & quædam parum nota designet. Ubi de Hominibus usurpatur, significat, exempli causâ, *indolem, id quod à Deo creatione acceperunt*, oppositum ei quod usu adquirunt, *proprietates eorum Mentis & Corporis, affectionem quandam quâ fit ut, nemine docente, aliquid sciant, aut faciant*, &c. Igitur in accurata demonstratione, ea voce non est utendum, nisi definitâ, aut saltem eo loco positâ, in quo vicinæ voces ejus sensum liquidò ostendant.

8. Si verò vocem contra usum usurpemus, aut ipsi fingamus, definienda est. Ea definitio idem præstat ac usus receptus, éstque altera ratio quâ vox clara fit, nec sine ea ulla vox ignoti usûs est proferenda. Ejusmodi est vox ἐνδελέχεια apud Aristotelem, quam singulari quodam sensu, quem nullibi tradidit, usurpat; & quæ crucem ita ejus Interpretibus fixit, ut memoriæ proditum sit *Hermolaum Barbarum* Venetum, virum eruditum, Cacodæmonis opem implorasse ut eam intelligeret.

9. Ceterùm ne sint nimis multæ fingendæ definitiones, numquam adhibendæ sunt voces novæ, nisi ubi nullæ aliæ suppetunt. Alioqui passim definitiones essent adferendæ, & fortè etiam definitiones definitionum. Cùm dixissent Theologi, *Hominem esse naturâ corruptum*, quæsitum est primùm, quid intelligerent voce *corruptus*? Secundò, quid sibi vellent voce *natura*? Tertiò, an voce *homo* intelligerent *corpus*, an *mentem*, separatim, aut utrum-

que ſimul? Inde natæ definitiones plurimæ; quod exemplo unius vocis *corruptus*, oſtendemus, ne prolixiores ſimus.

A. Quid intelligis voce *corruptus?* 1

B. Intelligo *peccatorem.*

A. Quis eſt tibi *peccator?* 2

B. *Violator Legis divinæ.*

A. Quæ *Lex divina* hîc à te intelligitur? 3

B. *Lex Adamo tradita.*

A. Quænam fuit ea *Lex?* 4

B. 1. Præceptum de interdicto fructu non comedendo. 2. Quæ recta ratio Adamo ſuaſit eſſe facienda.

A. Ut hoc reſponſum, quaſi perſpicuum, admittam, quid intelligis voce *violator?* 5

B. Qui *tranſgreditur*, aut *non vult facere* ea quæ dixi.

A. An ergo omnes homines *naturâ* comedunt fructum illicitum? 6

B. Minimè, ſed alius loco eorum comedit antequàm eſſent, & ſtatim ac exſiſtunt cenſentur ipſi comediſſe.

A. Debuiſti ergo dicere, *tranſgreſſorem* à te vocari tam eum pro quo alius tranſgreditur, antequàm ſit, quàm qui pro ſe ipſe peccat. Verùm hoc miſſo, an omnes homines, ſtatim ac exſiſtunt, *tranſgrediuntur ea quæ ratio Adamo ſuaſit eſſe facienda?* 7

B. Tranſgrediuntur.

A. Voluntne ergo contraria iis agere? 8

B. Neſcio an habeant ullum voluntatis exercitium, ac proinde an aliquid agant.

A. Me ergo fefelliſti, quando dixiſti te credere *homines naturâ Legem divinam tranſgredi*; nam tranſgredi, ut ipſe faſſus es, ubi agitur de Lege, eſt *nolle ei parere.* 9

B. At hîc non ita intelligitur, idem eſt enim ac ſi quis diceret, homines, ſtatim ac exſiſtunt, ita eſſe adfectos, ut cùm incipiunt voluntate uti, incipiant velle contraria Legi.

A. Ita-

A. Itaque dicere non debuisti *hominem esse naturâ corruptum*, ut te intelligerem; sed, *Hominem, cum primùm exsistit, censeri comedisse fructum Adamo interdictum; & ita esse adfectum, ut cùm incipit velle, contraria iis, quæ ratio Adamo facienda esse suadebat, velit.* 10

B. At nimis hoc prolixum est.

A. Sed multò prolixiora fuere responsa tua, si omnia colligantur quæ dixisti, ut hoc te velle intelligerem.

Caput XI.

Exponitur Regula de Axiomatibus.

1. Sunt Propositiones tantæ perspicuitatis, adeòque omnibus notæ, ut earum veritas nobis constet, statim ac voces quibus expressæ sunt intelligimus, quales sunt: 1. *Nihilum non potest esse causa alicujus rei:* 2. *Nulla causa dat quod ipsa non habet.* Hæ aliæque ejus generis Propositiones demonstratione non indigent, quia demonstratio iis non potest esse evidentior. Atque hujusmodi oportet esse omnia, quæ sine demonstratione, quasi perspicua, ponuntur. Etenim ex dubiis, aut obscuris Principiis non potest indubitatum elici consectarium.

2. Verùm cavendum ne ea sola clara & certa esse putemus, quibus nemo umquam contradixit. Potest enim fieri ut negatum olim fuerit Axioma evidentissimum, aut quòd verba, quibus erat expressum, non intelligerentur; aut ore tantùm à parum candidis, aut insanientibus Philosophis, quales videntur Pyrrhonii, & Academici fuisse. Ac sanè licèt reliqui omnes mortales negarent *numerum binarium esse majorem unitate,* numquam ut homo sui compos veritatem hujus enunciationis in dubium revocaret, efficerent. Crederet potiùs se ab aliis non intelligi, aut ab iis de industria negari, quod non negarent, si ex animo loquerentur, aut insaniâ omnes laborare, quantumvis hæc videantur

incredibilia; quia contraria æquè evidentia, ac prolatum Axioma, esse nequeunt.

3. Si quis quærat unde nascatur Axiomatum, etiam generalium, evidentia, ut cùm dicitur, *Totum esse suâ parte majus*, cùm non viderimus omnia Tota, ut an partibus suis majora essent experientiâ investigaremus? Respondebimus, eam evidentiam inde oriri, quòd agatur in ejusmodi Axiomatibus de ideis abstractis, quas adæquatè novimus, & immediatè comparamus. Cùm autem hujusmodi ideæ animo nostro distinctè obversentur, simplici intuitione relationem, quæ inter eas est, animadvertimus; nec possumus vel minimùm dubitare, de eo quod animi simplici intuitu novimus. Hinc indubitatò quæcumque inter quæ eadem est relatio, quam inter duas ideas abstractas cernimus, eodem modo se habere inter se colligimus. Itaque non necesse est dici eas ideas nobis innatas esse; imò falsum hoc esse necessariis argumentis ostenderemus, si res esset hujus loci.

4 Quicumque ergo intelligunt quid sibi velint verba, quibus utimur ad Axiomata exprimenda; seu quicumque, verbis illis prolatis, animo comparant easdem ideas, quas comparamus, necessariò eadem de iis ferunt judicia. Ita cùm dicimus *binarium, ternarium, quaternarium, reliquósque numeros majores esse unitate*, quicumque, his verbis auditis, horum numerorum ideas abstractas cum idea unitatis comparabit, illico nobis animo adsentietur; & ore etiam, si ex animi sententia loquatur, adsensum testabitur.

5. Neque inde sequitur, nos ea tantùm quæ animo nostro immediatè obversantur cognoscere; adeóque Disciplinas non circa res ipsas, sed circa ideas versari. Etenim res omnes, inter quas eædem sunt relationes, quas inter ideas nostras videmus, eâdem operâ comparamus; de similibus enim similia feruntur judicia. Ita postquàm consideravi animo ideas abstractas *Totius* & *Partis*, & dixi *partem minorem esse toto*, hoc judicium latum est de omnibus quæ sunt inter se ut Totum & Pars, seu ideæ

abstractæ

abſtractæ Totius & Partis. Igitur ſi Domus eſt pars Urbis, ſequetur Urbem eâ eſſe majorem; ſi Fundamentum pars eſt Domûs, ſequetur à Domo magnitudine ſuperari Fundamentum, &c. Veritas judiciorum, quæ de rebus ipſis ex ideis abſtractis feruntur, pendet ex ſimilitudine rerum & idearum ejuſmodi abſtractarum; quæ ſimilitudo, ſi evidenter nota ſit, evidens etiam eſt Propoſitio quæ eâ innititur.

6. Expoſitâ Axiomatum naturâ, & origine, ut meliùs animo inſigatur quid pro Axiomate haberi debeat, duæ Regulæ factæ ſunt, quibus continetur quidquid ad hanc rem pertinet. Prima eſt: *Quando ut perſpicuè videamus Adtributum Subjecto convenire, quemadmodum videmus Toti convenire ut ſit Parte ſua majus, opus eſt tantùm mediocri conſideratione Adtributi & Subjecti; ita ut nequeant animo obverſari, quin animadvertatur idea Adtributi connexa eſſe ideæ Subjecti; meritò Propoſitio, quâ hoc exprimitur, habetur inſtar Axiomatis.* Poteſt & breviùs concipi: *Propoſitio, quæ exprimit duarum idearum immediatam, ſine tertiæ ſubſidio, comparationem perſpicuam, eſt Axioma.* Nam quando ex immediata duarum idearum comparatione clarè animadvertimus relationem inter eas; demonſtratione, quæ tertiæ ideæ ſubſidio ſit, non indigemus.

7. Eſt autem probè diſtinguenda explicatio vocum, à demonſtratione Axiomatis; nam licèt demonſtratione non indigeat, ſæpe opus eſt interpretatione, apud eos qui voces quibus conceptum eſt non intelligunt. Exempli causâ, ſi apud Græcæ Linguæ ignarum dixerim: τὸ ὅλον τ̃ μέρἰδος μεῖζον, licèt rem intellectam ſit illico agniturus, tamen verba non intelliget, ideòque à me ea priùs verti neceſſe eſt. Ita etiam, in Lingua alioqui nota, plurima verba, quorum ſignificatio omnibus clara non eſt, & quæ ſunt explicanda uſûs ignaris, occurrere poſſunt.

8. Altera Regula, oppoſita priori, his verbis concepta eſt: *Quando ſola conſideratio idearum Subjecti & Adtributi non ſufficit ad perſpicuè deprehendendum Adtri-*

 butum

butum Subjecto convenire, Propositio, quâ hoc adfirmatur, non potest Axioma haberi; sed, adhibitis aliis ideis, debet demonstrari. Breviùs sic tradi queat: *Omnis Propositio ad quam probandam adhibenda est tertia idea, præter Subjectum & Prædicatum, non est Axioma:* Vel: *Veritas, quæ non nascitur ex immediata duarum idearum comparatione, non est Axioma.* Ita cùm dicimus tres angulos Trianguli esse æquales duobus rectis, ea Propositio non est *Axioma*; quia demonstratione indiget, ex comparatione tertiæ ideæ petita; nimirum, linearum parallelarum, quarum ope anguli Trianguli, cum duobus rectis comparantur.

9. Hasce Regulas numquam aut rarissimè violant Geometræ, à quibus petitæ sunt; sed in aliis Disciplinis passim negliguntur, ac conculcantur. Nihil frequentius in aliarum Disciplinarum Syntagmatibus occurrit, quàm Propositiones, quæ quasi evidentes statuuntur, falsæ tamen, aut obscuræ, vel minimùm indigentes aliarum idearum collatione, ut earum veritas adpareat.

CAPUT XII.

Explicantur Regulæ de Demonstrationibus.

1. IN recta Demonstratione duo postulantur; unum, ut omnes Propositiones quibus constat, seorsim consideratæ, sint veræ: alterum ut eæ quæ ex aliis consequentiâ ducuntur, ex iis necessariò fluant; seu ut consequentia omnia in antecedentibus contineantur. Utrumque autem sine dubio obtinebitur, si duæ Leges traditæ Cap. IX. accuratè observentur.

2. Propositiones omnes erunt veræ, si nullæ adhibeantur præter Definitiones, quæ non possunt in litem vocari; aut Axiomata, quæ semper oportet esse evidentia; aut Propositiones jam demonstratas, quæ demonstratione extra omne dubium collocatæ sunt; aut constructionem figurarum, si quæ sint faciendæ, quæ per αὐτοψίαν veritatem nos docent.

Igitur

Igitur si priorem Legem observemus, omnes Propositiones, quibus utemur, extra omnem dubitationis aleam erunt constitutæ; quoniam nihil aliud, præter enumerata, adhibere per Legem licet.

3. Consectaria etiam rectè ducentur, si modò in secundam Legem, quæ ab omni vocabulorum ambiguitate cavere jubet, non peccetur. Etenim vix quisquam mentis compos Propositionem ex alia sequi, aut in alia contineri, si utramque plenè intelligat, falsò crediderit. Falsa consectaria pænè omnia nituntur verbis malè acceptis; si quæ enim alia sunt, adeò inepta esse primo intuitu adparet, ut nemo sanus in ea incidat. Quicumque utetur Propositionibus, quarum vocabula respondent ideis distinctis, & duas ideas ope tertiæ diu ac diligenter comparârit, in eo errare non poterit, ut putet esse inter eas relationem quæ non intercedat. Si quis in manifesta peccata, ubi nulla ambiguitas vocabulorum, nulla obscuritas idearum occurrit, incidit, ei leges ratiocinationis non scribuntur; neque enim sani est cerebri, quod in omnibus, qui hæc studia adgrediuntur, sanum esse statuimus.

4. Atque has quidem Leges satis observant Geometræ, attamen in aliquot alias, quæ ordinem spectant & perspicuitatem, sæpenumero peccant. I. *Passim probant aliquid esse verum, nec tamen rationem ejus veritatis quærunt.* Eorum quidem argumentis nihil est quod reponamus, sed quia non intelligimus veritatum, quas probant, rationem, animus hæret, & vix demonstrationi credere audet. Nimirum, si longior demonstratio fuerit, ne aliquid falsitatis aliquà irrepserit veremur, cùm quomodo fieri queat ut quod probatum videtur, verum sit non capiamus.

5. II. *Probant interdum ea quæ probatione non indigent.* Euclides sine necessitate demonstravit duo latera Trianguli simul sumta esse majora tertio, quod ex sola cognitione naturæ lineæ rectæ, quæ omnium brevissima est inter duo puncta, manifestum est. Ea, nimirum, omnia probatione non egent, quæ continentur Propositione, cujus ideæ

ſunt tantùm inter ſe comparandæ, ſine tertiæ ſubſidio, ut veritas aut falſitas Propoſitionis retegatur.

6 III. *Demonſtrant paſſim ab impoſſibili.* Non retegunt Propoſitionis cujuſpiam Principia, ut eam oſtendant eſſe veram aut falſam; ſed oſtendunt tantùm, ſi aliquid eſſet verum aut falſum, inde ſequi impoſſibile. Hoc autem non prorſus animo veritatis cognoſcendæ avido ſatisfacit; cupit enim, ut modò dicebamus, ſcire quî fiat ut aliquid ſit verum aut falſum. Itaque ejuſmodi demonſtrationes adhiberi, niſi ubi aliæ tradi nequeunt, non oporteret.

7. IV. *Demonſtrant per rationes nimis procul petitas.* Modò ſint argumenta vera, parum curant unde ſint deſumta; cùm tamen nullum delectum habere argumentorum, & è longinquo petere quod propè eſt, incommodum ſit.

8. V. *Ordinem, quo generaliora & ſimpliciora ſpecialibus & compoſitis præponi neceſſe eſt, negligunt.* Modò demonſtrationes ita ſint inter ſe diſpoſitæ, ut poſteriores ex prioribus manent, nullum alium interdum morantur ordinem. Unde fit ut quod ad unum argumentum pertinet, uno loco non abſolvant; ſed prout hoc per inviolabilem demonſtrationis ordinem licet, quod moleſtiſſimum eſt. Atque hoc peccatum, ab *Euclide* admiſſum, jam plurimi ex recentioribus Geometris feliciter emendarunt.

9. VI. *Diviſiones & partitiones, eo qui oportet ordine, non adhibent.* Proponunt quidem in definitionibus varias ſpecies generum, quæ tractare adgrediuntur; ſed non ita ut dicant tot eſſe genera, quæ in tot ſpecies dividantur, de quibus ſint poſtea acturi, quod tamen commodiſſimum eſt.

10. Atque hiſce quidem ampliùs non immorabimur, quia hæc à nobis adtingi, niſi quatenus ad omnes Diſciplinas pertinent, Logicæ inſtitutum non patitur. Hoc dumtaxat inde colligemus, eos qui alias Diſciplinas tradunt, cavere ſibi oportere ne Geometras, in eo quod vitioſum eſt, quod ſæpe tamen evenit, imitentur. Plurimi Veteres ac Hodierni

dierni Scriptores hoc unum curarunt, ut quod dicerent verum esset, ceteroquin ordinis prorsus securi; quasi perinde esset, quocumque modo res collocarentur; & reliqua admiserunt peccata, quæ meritò in Geometris notantur.

11. At multò plures, cùm hæc peccata nequaquam fugerint, id quod in Geometrarum methodo rectum est non observarunt. Voluerunt quidem Syntheticâ methodo uti, sed adeò ejus Regularum fuere imperiti, ut vix unam observarint. Voces rarò definiunt, in definitionibus obscurissima vocabula usurpant; ponunt quasi notas res prorsus ignotas, sæpe & falsas; in probandis opinionibus suis, neque concessa, neque clara adhibent quasi comperta; & ambiguitate vocabulorum passim abutuntur. Ne exempla diu sint quærenda, effecere Philosophi, & Theologi Scholastici, qui in unaquaque pagina laudatissimas hasce Leges conculcant.

12. Verùm hoc est animo infigendum, ubicumque adhibetur Synthetica Methodus, eam eò præstantiorem esse, quò est Geometrarum Methodo vicinior; (exceptis tamen memoratis vitiis) eò deteriorem, quò ab ea magis recedit. Cujus rei ratio manifestò ex ipsis omnis ratiocinationis rectæ fundamentis petita est; ut necesse non sit pluribus rem persequi, postquàm Methodum Syntheticam explicuimus.

13. Hoc tamen non ita intelligendum, ut necessariò prorsus observari in scriptione stylum, & ordinem Geometrarum velimus, adeò ut Definitiones initio ponantur, ab omni ratiocinatione sejunctæ; dein Axiomata, eodem modo, ab omnibus aliis divulsa describantur; postremò omnia in argumenta tribus Propositionibus constantia digerantur, eodémque compendio verborum utamur, ac Geometræ solent: Non adsuetis ea Methodus durior & difficilior videretur. Præterea non posset, sine prolixitate nimia, observari; nam, ut in sequentibus nihil dicatur quod ex anterioribus non probetur, ubi paullò major rerum consideranda est copia, in-

genti circuitu, ut Principia necessaria colligantur, utendum necessariò est. At ita debent omnia concipi, ut in eam Methodum quæ quasi indubitata proponuntur, redigi queant, si necesse sit.

14. Fatemur quædam esse in variis Disciplinis, quæ nequeunt Geometricè proponi; sed eadem nequeunt evidenter demonstrari, ideóque earum Disciplinarum frustra conemur perfecta cudere Systemata, aut ab aliis exspectemus. Ejusmodi sunt Theologia & Physica, inter alias. Verùm quæ certò in iis Disciplinis novimus, possunt Syntheticè proponi, &, si necesse sit, Geometrico ordine enunciari; reliqua fatendum esse dubia, neque quasi comperta Lectoribus obtrudenda.

CAPUT XIII.

Quare in aliis Disciplinis raræ occurrant Demonstrationes, quæ in Mathematicis solæ adhibentur.

1. HAud semel quidem innuimus in iis, quæ hactenus de utraque Methodo diximus, aut Philosophorum culpâ, aut obscuritate argumentorum quæ excutienda suscipiunt, raras in eorum Scriptis occurrere demonstrationes, seu probationes, quæ Syntheticæ Methodi inflexum rigorem ferre queant. At ea res, cui singulare Caput adtribueremus, digna visa est; quia dum rationes quærimus cur tot Propositiones, nequaquam per se evidentes, aut evidentibus nixæ, quasi veræ admittantur, animum ad negandum obscuris adsensum faciliùs adsuefaciemus. Igitur ejus rei rationes sparsim atque obiter in superioribus indicatas, aut intactas prorsus hîc collectim & accuratiùs trademus.

2. Primò, Mathematicæ Disciplinæ circa ideas claras, & distinctas versantur, nec de ulla re agunt, cujus naturam perfectè adsequi nequeamus. Numeri & lineæ ac figuræ, quæ cuivis magnitudini

à

à Geometris adplicantur, ideæ ſunt abſtractæ, adeòque adæquatæ, ut ſæpiùs antehac diximus. In aliis verò Diſciplinis, agimus de ideis ut plurimum admodum compoſitis, & quarum partes aut ignotæ ſunt, aut ægrè enumerari poſſunt, ac proinde obſcuris. Ut exempla inveniantur, aperienda ſunt Theologorum, Juriſconſultorum, Phyſicorum aut Medicorum Syntagmata. Atque hinc factum ut tam acres inter eos ſubinde ortæ ſint controverſiæ, quæ inter Geometras multò rariores ſunt.

3. Secundò, Mathematici ideas ſuas nominibus propriis, adæquatis, & ejuſdem ubique ſignificationis efferunt; adeò ut qui ſemel voces quibus uti ſolent intellexit, auditis eorum verbis, quid ſibi velint illico adſequatur; ac proinde videat an quod demonſtrandum ſuſceperant, probarint. In aliis verò Diſciplinis, nomina parum commoda, rem partim exprimentia, dubia, atque incertæ notionis paſſim occurrunt; unde fit ut legentes aut audientes, nec quid probandum ſuſcipiatur, nec quid probetur ſatis adſequi poſſint. Hinc innumeræ naſcuntur λογομαχίαι, & dubitationes; quæ non aliter ſedentur, quàm ſi, quoad ejus fieri poteſt, ad Geometrarum in loquendo ἀκρίβειαν accedamus.

4 Tertiò, Geometræ nulla adhibent Principia, aut Axiomata, quæ non ſint univerſaliter vera, communique omnium ſuffragio conceſſa; adeò ut quæ inde, neceſſariâ conſequentiâ, colliguntur, adſenſum ineluctabilem intellecta extorqueant. At in aliis Artibus, Propoſitiones, quæ ad alias ex iis deducendas ponuntur, paſſim oppugnari exemplis contrariis poſſunt; unde, ne quaſi falſæ rejiciantur, exceptionibus muniuntur. Interdum etiam non perſpicuitate ſuâ, ſed conſuetudine, quia pudet iis negare adſenſum, quæ à Magiſtris conſecrata ſunt, perſuadent. Nemini ergo mirum videatur, ex ejuſmodi Propoſitionibus nullum manifeſtum, indubitatum, ac univerſaliter verum deduci conſectarium.

* *Hæc partim debemus viro ſummo,* Iſaac Barrow, *qui propoſitam quæſtionem agitat Prælectione Mathem.* IV. *Anni* 1664.

5. Quartò,

5. Quartò, Geometræ præter Definitiones, & Axiomata propriè dicta, interdum quidem sibi aliquid concedi, sine demonstratione, petunt, aut aliquid ejusmodi ponunt, brevitatis causâ; sed Positiones illæ aut Hypotheses sunt faciles in se; perspicuæ, atque in promtu; adeò ùt, sine certandi libidine, negari nequeant. Exempli causâ, ut duo puncta dentur; ut inter ea ducatur, aut ducta ponatur recta linea; ut punctum datum in centrum sumatur, & circa id circumducto in orbem filo circulus discribatur, &c. postulant; quæ nemo non illico, atque ultrò largitur. Verùm in aliis Disciplinis quot obscurissima, aut difficillima factu, imò interdum impossibilia, quasi clara, proclivia, & possibilia credi postulantur? Quidam Theologi à Deo ita *omnia* fieri posse, ut ne repugnantia quidem excipiantur, concedi sibi inverecundè postulant. Alii Deum esse omnium actionum, ne malis quidem exemtis, auctorem statuunt, nec tamen causam peccati dici posse, quasi rem intellectu facilem, aut leve incommodum.

6. Quintò, Mathematici non modò evidentiam & manifestam possibilitatem in Axiomatibus & Postulatis exigunt; sed & utrorumque exiguam copiam adhibent, & in Postulatis præsertim parcissimi sunt. Quemvis exantlare malunt in demonstrando laborem, quodvis tædium devorant potiùs; quàm aut gratuitum adsensum emendicent, aut auditorum in negando frontis mollitie abutantur. Quæ sibi concedi volunt, seorsim exprimentes, apertè & candidè cum Lectore agunt; non ejus adsensum veluti surripiunt. In aliis autem doctrinis, innumera fermè proponuntur Axiomata, Postulatorúmque vix ullus est modus; dum verisimilis quævis aut non prorsus impossibilis Propositio, quasi jure concedenda, ponitur. Hypotheses novæ passim, prout res postulat, adhibentur, ut vix Caput ullum, sine novis aliquot Hypothesibus, conscribatur. Neque hæ disertè & perspicuè proponuntur, ut intelligat Lector quid concedi postuletur; sed furtim, & verbulo interdum uno

aut

aut altero, eòque ambiguo, orationi, & quasi dudum concessæ, inseruntur. Qui ita se gerunt, exemplar, ad quod se componant, sibi videntur eos proposuisse; qui, fœderum verba in suam rem flexuri, inferi quædam, adversariis non satis adtentis, quasi aliud agentes petunt. Quod postquàm obtinuerunt, ubi ad finem perventum est, consectaria maximi momenti ex vocibus, quæ temerè insertæ videbantur, cum summa audientium aut legentium, qui eas non observatas prætermiserant, admiratione deducunt. Ita Theologi quidam, postquàm obiter *Sacerdotes Dei nomine apud homines loqui* dixerunt, quod à Lectoribus negatum ἀποτόμως sibi non iri satis sciunt; inde, multis aliis subjectis & permistis, tandem Sacerdotibus resistere perinde esse ac Deo bellum inferre, colligunt, adversariósque invidiosissimè traducunt.

§. 6. *Quod postquàm obtinuerunt.*] Huc facit quod de Oratoribus observat *Cicero* de Invent. Lib. 1. n. 89. *Sæpe oblitum putant quid concesseris, & id circo id quod non conficitur, quasi conficiatur in conclusione infertur, hoc modo: si ad illum hereditas veniebat, verisimile est ab illo esse necatum. Deinde hoc adprobant* (nempe, hereditatem ad illum venisse) *plurimis verbis, post adsumunt: ad illum autem hereditas veniebat. Deinde infertur: ille igitur occidit. Id ex iis quæ sumserant non conficitur.*

7. Sextò, generationes figurarum, quibus generationibus ad figuras definiendas interdum Geometræ utuntur, & ex quibus harum deducunt proprietates, facillimè intelligimus. Exempli causâ, fili puncto immoto adligati circumductu circulum fieri, atque inde sequi circumferentiam undequaque à centro æqualiter distare, radiósve circuli omnes esse æquales aiunt; quæ plenissimè adsequimur. Et generatio ipsa, & quæ inde deducuntur intellectu facillima, & indissolubili nexu connexa sunt. Eadem non est aliarum Scientiarum ratio, in quibus rerum, de quibus agunt, neque generatio, neque proprietates aut φαινόμενα usque adeò nota sunt. Quis dixerit, exempli gratiâ, quomodo procreata sit materia, seu corpora, & quæ dispositio Universi inde oriri potuerit? Nihil pæne præter conjecturas,

ras, graviſſimis incommodis obnoxias, ut exemplo conſtat *Ren. Carteſii*, qui hoc auſus eſt, in medium hac de re adfertur.

8. Septimò, ordo Mathematicorum Syntheticus unicus eſt, ex quo vis Demonſtrationum animadverti queat, ut ex iis quæ de eo diximus ſatis liquet. In aliis verò Diſciplinis, ſecùs plerumque accidit. Principia in earum Syntagmatibus ſi quæſiveris, aut nuſquam invenies, aut concluſionibus etiam remotiſſimis permiſta deprehendes. Propoſitionum ipſarum aut nullum ordinem, aut exiguam admodum connexionem reperies. Multa à Lectoribus ſuppleri oportere, quæ cùm nuſquam dicantur, nexui tamen planè neceſſaria ſunt, videbis. Hinc fit ut, per ſingularum Progreſſionum gradus, ab infimo ad ſummum adſcendere, ſeu Propoſitionum originem ad Principia uſque perſequi, ac proinde, an quod erat demonſtrandum rectè probatum ſit, cognoſcere nequeamus.

9. Octavò, Geometræ ea tantùm quæ ſibi perſpecta ſunt adtingunt, ignota, aut incerta prorſus prætereunt. Non miſcent demonſtratis veriſimilia, claris obſcura; nec eos pudet ignorationem rerum quas non expenderunt fateri, atque intra arctiſſimos limites cognitionem ſuam coërcere. Qui verò alias Artes profitentur, dubia compertis, manifeſtis obſcura implicant. Innumeras omnis generis Propoſitiones diſcutiendas, quamvis levibus tantùm conjecturis inſtructi ſint, ſuſcipiunt. Quod in Phyſices, Medicinæ, Theologiæque Syſtematibus paſſim videre eſt.

10. Nonò, cùm demonſtrationibus tantùm, omni verborum fuco, omnibúſque externis ad perſuadendum adminiculis omiſſis, utantur Geometræ: alii quod probare nequeunt philoſophicè, id rhetoricâ arte ſtudent perſuadere. Conjecturas ſuas quàm poſſunt eloquentiſſimè in medium proferunt, & nituntur fallacibus Veriſimilitudinis fundamentis, quæ in *P.* II. *Cap.* 12. §. 14 *& ſeqq.* ſubruimus. In Theologia, exempli causâ, tantis adfectibus res agitur; ut vix umquam, ſine periculo,

culo, libera de Dogmatibus judicia proferre licuerit. In partes dudum itum eſt, & quævis factio terrore & minis ſua placita muniit. Hinc factum ut non ſpernenda ingenia à Religione ipſa Chriſtiana, quæ ſi ſibi permitteretur, ſuapte luce animos hominum ſuo Auctori facilè conciliaret, aliena fiant, quamquam præ metu fingunt ſe ei addictiſſimos eſſe; nec ejus quidquam obſervent præter id quod, in factione in qua vivunt, obſervaſſe conducit. Sed hæc mala, ut obſervatu facillima, ita curatu difficillima ſunt, nec tangenda in hoc Opuſculo.

Tertiæ Partis Logicæ Finis.

LOGICÆ
PARS QUARTA.
DE ARGUMENTATIONE.

CAPUT I.

De Natura, Partibus & Generibus Argumentationis.

CUM veritas quæratur non tantùm nobis ipsis, sed ut ejus participes alios faciamus; judicarunt Philosophi, satis non esse, si traderent ejus inveniendæ Regulas, nisi quâ ratione aliis, etiam pertinacibus, probari possit ostenderent. Verùm, ut quod res est profiteamur, nulla melior videtur probandæ veritatis via; quàm si ii, quibus ignota est, per eumdem tramitem, per quem ad eum pervenimus, deducantur. Hoc pacto non modò iis os obturatur, ne eam oppugnare queant; sed etiam luce veritatis Mens illustratur; quæ persuasio multò efficacior est alterâ illâ, quæ vulgari argumentatione creatur; quæque eo tantùm nititur fundamento, quòd quidquid secundùm certas Regulas probatur verum fit, licèt quare verum sit ignoretur. Hujus, nimirum, Artis inventores eam totam, non ad inventionem Veri, aut ejus propagationem; sed ad disceptationem extemporaneam, in qua victoria, ex silentio adversarii, quæreretur, compararunt.

2. Nos quidem Sophisticum hujusmodi institutum non probamus, sed quia per plura invaluit sæcula, & aliquando res homini, alioqui Sophistices minimè amanti, potest esse cum ejusmodi vitilitigatoribus, necesse est saltem principia Artis nosse

nosse; ne Sophistæ de nobis triumphent, ea tantùm de causa, quòd eorum Artis ignari simus. Præterea Canones argumentationis, cùm sint veri, possunt ingenio exercendo inservire, quamvis non magni ceteroquin usûs; modò ne ejusmodi contemplationibus nimiùm indulgeamus.

3. Proprositio, quæ probanda, vel oppugnanda est, vocatur à Dialecticis *Quæstio*; in qua cùm sit subjectum & prædicatum, prius *minorem terminum*, posterius *majorem*, ambo simul *extrema* vocant. Si sit hæc quæstio, utrum *Deus sit natura intelligens?* vox *Deus* minor terminus, *natura* verò *intelligens* major est.

4. Quando quidem non argumentamur de rebus per se manifestis, termini tunc non possunt, ut fit in Propositionibus evidentibus, immediatè inter se comparari. Ideò adsciscitur tertia idea, quæ *terminus medius*, vel *medium* vocatur. Si probanda sit Propositio adlata, quærenda est tertia idea, quæ cum utroque termino comparetur; ex qua comparatione inter eos esse necessariam connexionem colligamus. Hoc possit esse Medium, *aliquid ordine disponere*, & ita concipi Ratiocinatio:

Disponere ordine est naturæ intelligentis;
Atqui Deus (mundum) *ordine disposuit;*
Ergo Deus est natura intelligens.

5. Duæ priores Propositiones vocantur *præmissæ*, quòd *Conclusioni*, quæ est tertia, præmittantur. Prima dicitur *major*, quia in ea major terminus cum medio; secunda *minor*, quia in ea terminus minor cum eodem medio confertur. Non possunt autem plures esse termini hisce tribus, in una ratiocinatione, tribus constante Propositionibus, ubi duæ ideæ comparantur, accedente tantùm tertiâ. Si idea, quæ comparatur cum minore termino, non esset eadem quæ cum majore confertur, non posset ostendi quæ sit relatio inter majorem & minorem terminum; nisi monstraretur quænam sit inter duas ideas medias, quod non potest fieri unicâ trium Propositionum ratiocinatione. Exempli gratiâ, inepta esset hæc ratiocinatio: *Dis-*

Diſponere mundum ordine eſt naturæ intelligentis ;
Atqui Deus mundo eſt antiquior ;
Ergo Deus eſt natura intelligens.

Hìc enim ſunt duo Media *diſponere mundum ordine* & *eſſe antiquiorem mundo.* Nemo quidem ſani cerebri peccat in hanc Regulam, ubi duo Media ſunt diverſis vocibus expreſſa ; ſed ubi vox, quâ Medium exprimitur, ambigua eſt, & peccatur in hanc legem, & decipiuntur incauti.

6. Ex allato exemplo liquet rectam ratiocinationem non poſſe fieri paucioribus, quàm tribus Propoſitionibus, quia Medium debet ſemel cum utroque termino comparari. Sed poſſunt hæ Propoſitiones exprimi omnes, quod cùm fit vocatur, ratiocinatio à Dialecticis *Syllogiſmus* ; vel poteſt minor aut major ſubintelligi, & tunc vocatur *Enthymema* : ut, *Deus ordine mundum diſpoſuit ; Ergo eſt natura intelligens.* Subintelligitur hìc major : *diſponere ordine eſt naturæ intelligentis.*

7. Sed poſſunt eſſe, in longiore ratiocinatione, multò plures Propoſitiones ; quando enim idea aliqua non ſufficit ad oſtendendam, quæ eſt inter terminos, relationem ; poſtquàm eam cum uno comparavimus, ad aliam ideam confugimus, & ſic deinceps. Tum ratiocinatio vocatur *Acervus* vel *Sorites*, quòd veluti coacerventur Propoſitiones. Ita ſi velim probare Mundum initium habuiſſe, ſic potero ratiocinari :

Mundus eſt corporeus ;
Quæ corporea ſunt non poſſunt ſemetipſa movere ;
Quæ non poſſunt ſemetipſa movere, & moventur tamen, mota ſunt ab alio ;
Quæ motum acceperunt ab alio, initium habuerunt ;
Mundus motum ab alio accepit ;
Ergo mundus initium habuit.

Verùm hæ omnes ratiocinationes, quotcumque Propoſitionibus conſtent, ad Syllogiſmorum formam reduci poſſunt.

8. Cete-

8. Ceterùm Syllogiſmi ſunt aut *ſimplices*, aut *conjunctivi*. Simplices dicuntur ii, in quibus Medium cum alterò tantùm terminorum ſimul comparatur. Atque hujuſmodi eſt argumentum ſupra § 4. allatum. Conjunctivi verò appellantur Syllogiſmi, in quibus Medium cum utroque termino ſimul, in alterutra Propoſitionum, confertur ; ut in hoc ;

Si Deus eſt æternus, poteſt homines æterna beatitudine donare ;
Atqui Deus eſt æternus ;
Ergo Deus poteſt homines æternâ beatitudine donare.

Deus enim, & *poteſt æternâ beatitudine donare*, quæ ſunt ſubjectum & adtributum Concluſionis, conjunguntur, in majore Propoſitione, cum voce *æternus*, quæ Medium eſt.

9. Syllogiſmi ſimplices poſſunt rurſus in *complexos* & *incomplexos* dividi. Poſteriores habent Concluſionem conſtantem terminis incomplexis; priores contrà conſtantem complexis. Sed quoniam, ſi rectè Syllogiſmus complexus intelligatur, poteſt ad incomplexi formam reduci, non opus eſt de eo ſeparatim agamus.

Caput II.
Regulæ Generales Syllogiſmorum.

1. Qui audiunt aliquem ratiocinantem de re ipſis perſpecta, & intelligunt linguam quâ utitur ; ſi modo ſani ſint cerebri, & qui loquitur obſcuritatem non captet ; nullis Regulis, ut videant an conſequenter ratiocinetur nécne, indigent. Rei cognitio & adtentio ad animadvertendum ratiocinationum nexum, ſeu verum ſeu falſum, ſufficiunt. At Veteres Philoſophi, qui Diſcipulos ſuos, de rebus quas ignorarent, diſputare docere adgreſſi ſunt, quæſiverunt Regulas ; quarum ope, intelligerent ex verborum ſolorum ſtructura, an rectè ratiocinarentur, an

an ſecùs, ſi fortè in eas peccarent ii quibuſcum res ipſis eſſet. Regulas illas non eodem animo, ſed quia veræ ſunt, & cum ejuſmodi hominibus interdum uſui eſſe poſſunt, trademus.

2. Earum fundamenta ſunt tria Axiomata, quæ iis nituntur, quæ diximus P. II. de Propoſitionibus Adfirmativis & Negativis, Univerſalibus & Particularibus.

Primum eſt, *Propoſitiones Particulares contineri in Univerſalibus ejuſdem naturæ, non Univerſales in Particularibus.* I continetur in A, & O in E, non vice versâ A in I & E in O.

Alterum eſt, *prout ſubjectum Propoſitionis particulariter aut univerſaliter ſumitur, Propoſitionem eſſe Univerſalem, aut Particularem.*

Tertium eſt, *cum Adtributum Propoſitionis adfirmativæ numquam latiùs ſubjecto pateat, id ſumi particulariter, quia nonniſi per accidens univerſaliter ſumitur.*

3. Prima Regula ſic habet : *Medium debet ſemel ſaltem univerſaliter ſumi, non bis particulariter.* Scilicet, Medium, cùm ſit tertia idea, quæ comparatur cum terminis concluſionis, unde colligitur relatio quæ inter eos eſſe poteſt, debet cum utroque termino comparari eadem ratione. Alioqui ſi variis comparetur, nihil certò poteſt colligi; nam poteſt Medium certo reſpectu habere relationem cum termino majore ; aliam cum minore, alio reſpectu. Diverſi illi reſpectus , quibus eſt aliqua relatio Medio cum extremis, quæ ſit iis inter ſe relatio, non docent. Conſiderantur autem varii reſpectus extremorum cum Medio, qui reſpectus nihil commune inter ſe habent, ubi Medium bis particulariter intelligitur. Exempli causâ, ſi hoc utar argumento :

Aliquis homo eſt pius ;
Aliquis homo eſt latro ;
Ergo aliquis latro eſt pius.

Medium *aliquis homo* particulariter utrobique ſumitur, tam in majore quàm in minore, nec quidquam inde concluditur. Nam *homo,* quæ eſt idea media, certo

certo respectu est *pius*, hoc est, eorum qui præceptis divinis parent respectu. *Homo*, alio respectu, nempe, aliquot perditorum, est *latro*. Idea autem hominis variis rationibus cum duabus ideis *latro* & *pius* collata, non ostendit quid relationis hisce intersit. Idem hîc fit ac si quis dicturus an duæ perticæ æquales sit, nécne, uteretur mensuris variis, & reponeret tot esse certas mensuras in una, tot alias in altera. Quid sibi vellet sciri non posset, nisi mensuræ inter se immediatè, aut accedente tertiâ, componerentur.

4. Hæc est secunda Regula: *Termini Conclusionis non possunt universaliùs sumi in Conclusione, quàm in præmissis.* Hujus Regulæ veritas nititur Axiomate primo, quo universalia particularibus includi negantur. Hinc Logici varia consectaria deducunt, quæ ad Theoriam potiùs quàm ad praxin pertinent, quæque ideo omittemus.

5. Tertia Regula ita concipitur: *Ex duabus Propositionibus Negativis nihil concluditur.* Duo termini de idea tertia cùm negantur, idem est ac si negaremus ullam esse inter medium & extremos terminos relationem; unde sequitur Medium illud non esse aptum ad retegendam relationem, si quæ est, inter terminos propositos. Ita si velim probare, *Hispanos non esse superbos*, & sic ratiociner:

Hispani non sunt Turcæ;
Atqui Turcæ non sunt suberbi;
Ergo Hispani non sunt superbi.

Malè ratiocinabor. Verùm ejusmodi error à nemine committitur, nisi ratiocinatio sit valdè complexa ac composita, ut partes ejus ægrè distinguantur.

6. Quarta Regula: *Ex duabus Propositionibus adfirmativis non potest negativa conclusio colligi.* Nam duo termini adfirmativè cùm medio conjuncti, non possunt, per negationem, in Conclusione, separari.

7. Quinta Regula: *Conclusio semper sequitur deteriorem partem.* Deterior pars, respectu adfirmativæ Propositionis, est negativa; respectu universalis, par-

particularis. Itaque ſi alterutra præmiſſarum erit negativa, ejuſmodi quoque Concluſio erit: ſi particularis, erit Concluſio particularis. Nempe, ſi media idea, cujus ope duas extremas connecti oporteret, ſi inter eas connexio foret, negetur de alterutra; non poſſunt adfirmatione, ope ejuſdem ideæ mediæ, inter ſe conjungi. Si particularis ſit una ex præmiſſis, inde non poteſt deduci univerſalis concluſio, ſecundùm Axioma primum; nam Concluſio ex æquo ex utraque præmiſſa deducitur, non ex altera tantùm.

8. Ultima Regula ſic concepta eſt: *Ex duabus particularibus nihil colligitur*; cujus Regulæ eadem eſt ratio ac primæ. Hæc non excutiemus ſubtiliùs, quod ſint exigui admodum uſûs, & alibi rationes harum Regularum fusè expoſitæ inveniri ab iis, quibus hæc placebit inveſtigatio, poſſint.

CAPUT III.

De Figuris & Modis Syllogiſmorum in genere, ac de prima Figura.

1. CONſtitutis Syllogiſmorum Regulis, *Dialectici* eorum *Modos* & *Figuras* tradunt. *Modos* diſpoſitionem Propoſitionum, ſecundùm earum univerſalitatem & particularitatem, quæ notantur literis A, E, I, O: *Figuras* verò diſpoſitionem trium terminorum, ſeu medii cum ſubjecto & prædicato Concluſionis conjunctiones varias, vocant.

2. Demonſtrarunt iidem Dialectici eſſe tantùm novemdecem *Modos*, in quibus Regulæ ſuprà allatæ obſervari poſſint; ſed quoniam hoc meræ eſt ſpeculationis, indicaſſe ſatis erit. Prædicatum verò & ſubjectum Concluſionis poteſt quadrupliciter cum Medio conjungi, in præmiſſis. I. Medium poteſt eſſe *ſubjectum in majore, & adtributum in minore*, quod facit primam Figuram: II. *Eſt adtributum in majore & minore*, quod ſecunda Figura dicitur: III. *Eſt ſubjectum in utraque*, quæ conjunctio tertiam Figuram

ram conſtituit: IV. *Eſt adtributum in majore, & ſubjectum in minore*, unde quarta naſcitur Figura.

3. Figurarum harumce ſunt certæ Regulæ, & certi Modi; quæ ſimpliciter proferemus, non additis rationibus, quæ cùm alibi, tum in Gallica Logica, quæ *Portûs-Regii* dicitur, inveniri poterunt. Iſta enim ſunt merè theoretica, adeóque exigui usûs.

4. Figuræ primæ duæ ſunt Regulæ: 1. *Minor debet eſſe adfirmativa*: 2. *Major univerſalis*.

5. Quatuor ſunt in ea Modi, qui ſolent exprimi vocibus fictis *Barbara*, *Celarent*, *Darii*, *Ferio*, in quibus ad vocales tantùm, quæ, ut diximus, univerſalitatem ac particularitatem ſignificant, adtendendum.

6.	BAR-	*Omnis* A *eſt* B;
	BA-	*Omnis* C *eſt* A;
	RA.	*Ergo omnis* C *eſt* B.
7.	CE-	*Nullus* A *eſt* B;
	LA-	*Omnis* C *eſt* A;
	RENT.	*Ergo nullus* C *eſt* B.
8.	DA-	*Omnis* A *eſt* B;
	RI-	*Aliquis* C *eſt* A;
	I.	*Ergo aliquis* C *eſt* B.
9	FE-	*Nullus* A *eſt* B;
	RI-	*Aliquis* C *eſt* A;
	O.	*Ergo aliquis* C *non eſt* B.

10. Facilè poſſunt hi Syllogiſmi cum Regulis conferri, unde uno intuitu Regulæ veritas liquebit. Propterea obſervavimus, ut eædem litteræ eumdem ubique uſum præſtarent, Medii, aut Extremorum. Hoc commodius viſum, quàm ſi vocibus aliquid peculiare ſignificantibus terminos expreſſiſſemus; quia res hîc in conſiderationem non vocatur, ſed tantùm forma argumentorum. Philoſophi utuntur exemplis ſcatentibus vocibus obſcuris, quales ſunt

ſunt *Animal*, *Vivens*, *Senſibile*, &c, quæ licèt tantùm exemplis formandis inſerviant, tamen ita paullatim animo tironum inferuntur, ut hi tandem ſe aliquid intelligere, in eo quod nullo modo intelligunt, exiſtiment.

CAPUT IV.

De Regulis & Modis trium reliquarum Figurarum.

1. SEcundæ Figuræ hæ ſunt duæ peculiares Regulæ: 1. *Alterutram Præmiſſarum oportet eſſe negativam, ac proinde etiam Concluſionem, ſecundùm VI. Regulam generalem : 2. Major debet eſſe univerſalis.*

2. In hac Figura ſunt tantùm quatuor Modi, ex quibus aliquid concludi queat, quique exprimuntur technicis vocibus, *Ceſare, Cameſtres, Feſtino, Baroco.* Horum hæc ſunt exempla.

3. CE- *Nullus* D *eſt* E;
SA- *Omnis* F *eſt* E;
RE. *Ergo nullus* F *eſt* D.

4. CA- *Omnis* D *eſt* E;
MES- *Nullus* F *eſt* E;
TRES. *Ergo nullus* F *eſt* D.

5. FES- *Nullus* D *eſt* E;
TI- *Aliquis* F *eſt* E;
NO. *Ergo aliquis* F *non eſt* D.

6. BA- *Omnis* D *eſt* E;
RO- *Atqui aliquis* F *non eſt* E;
CO. *Ergo aliquis* F *non eſt* D.

7. In tertia Figura, primò *Minor debet eſſe adfirmativa: 2. Concluſionem oportet eſſe particularem.*

8. In eadem ſex ſunt Modi, hiſce vocabulis ſignati: *Darapti, Felapton, Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon.*

† 9. DA-

9 DA- *Omnis* G *est* H;
RAP- *Atqui omnis* G *est* I;
TI. *Ergo aliquis* I *est* H.

10. DI- *Aliquis* G *est* H;
SA- *Atqui omnis* G *est* I;
MIS. *Ergo aliquis* I *est* H.

11. DA- *Omnis* G *est* H;
TI- *Atque aliquis* G *est* I;
SI. *Ergo aliquis* I *est* H.

12. FE- *Nullum* G *est* H;
LAP- *Atqui omnis* G *est* I;
TON. *Ergo aliquis* I *non est* H.

13. BO- *Aliquis* G *non est* H;
CAR- *Atqui omnis* G *est* I;
DO. *Ergo aliquis* I *non est* H.

14. FE- *Nullus* G *est* H;
RI- *Atqui aliquis* G *est* I;
SON. *Ergo aliquis* I *non est* H.

15. Quartæ figuræ, quæ obliquiſſima eſt probandi ratio, & ad quam rarò devenitur, hæ ſunt regulæ tres: 1. *Quando major eſt adfirmativa, minor ſemper eſt univerſalis:* 2. *Quando minor eſt adfirmativa, concluſio eſt ſemper particularis:* 3. *In modis negativis, majorem univerſalem eſſe oportet.* Reverâ hæc Figura eſt tantùm inverſio primæ; nam cùm in prima Medium ſit ſubjectum in majore, adtributum in minore, in quarta idem Medium eſt adtributum in majore, ſubjectum in minore.

16. Sunt autem hujus quinque modi, *Barbari, Calentes, Dibatis, Feſpamo, Freſiſom.*

17. BAR- *Omnis* K *eſt* L;
BA- *Atqui omnis* L *eſt* M;
RI. *Ergo aliquis* M *eſt* K.

18.	CA- LEN. TES.	*Omnis* K *eſt* L; *Atqui nullus* L *eſt* M; *Ergo nullus* M *eſt* K.
19.	DI- BA- TIS.	*Aliquis* K *eſt* L; *Atqui omnis* L *eſt* M; *Ergo aliquis* M *eſt* K.
20.	FES- PA- MO.	*Nullus* K *eſt* L; *Atqui omnis* L *eſt* M; *Ergo aliquis* M *non eſt* K.
21.	FRE- SI- SOM.	*Nullus* K *eſt* L; *Atqui aliquis* L *eſt* M; *Ergo aliquis* M *non eſt* K.

22. *Ariſtoteles* hanc figuram eſſe negavit, quòd ſit tantùm inverſio primæ; adfirmavit *Galenus*; ſed eſt tantùm λογομαχία, quæritur dumtaxat quæ ſit definitio vocis *Figura*, uterque enim argumenta eſſe legitima concedit.

CAPUT V.

Methodus quâ, an argumentum validum ſit, neglectis Figurarum Regulis, dignoſci poteſt.

1. DIalectici uſum harum Regularum maximè commendant, quippe quæ homini rerum ignaro ſæpe ad ſolvenda argumenta ſufficere, ut illi exiſtimant, poſſint. Nam cùm omnis argumentatio, in qua memoratæ ſervantur Leges generales & particulares, legitima ſit, ad formam quod adtinet; & falſæ omnes in quibus eadem negliguntur: ſatis eſt oſtendiſſe peccatum contra Regulas, ut Syllogiſmi conſtet falſitas.

2. Verùm, quidquid dicant Dialectici, hæ Regulæ inanes ſunt, ſine rei de qua agitur cognitione; quoniam ſæpiſſimè ſenſum vocabulorum intelligere non

non possumus, adeóque an ad Regulas exactum sit, argumentum, dignoscere, nisi rem aliunde noscamus. Contrà, recognitâ, sine Regularum usu, haud difficulter falsitatem ratiocinationis deprehendimus; unde colligere licet inania esse Logicorum pollicita, qui se effecturos spondent ut quispiam, ope solius Dialectices, possit quidlibet defendere & oppugnare.

3. Sanè rarò ab iis qui ratiocinatione pollent, palam contra Regulas hasce, præsertim particulares peccatur, sed passim in aliud delabuntur incommodum, qui malè ratiocinantur; quod si vitetur, aut retegatur, nullum est erroris periculum. Nempe, vocabulis utuntur obscuris, quæ aut ipsi non intelligunt, aut si intelligunt, adhibent de industria, ut eos quibuscum loquuntur, fallant. Deinde ponunt quasi nota, & probata, quæ neque per se nota, neque demonstrata sunt. Hinc fit ut Propositionis, quam probare adgrediuntur, termini non possint distinctè cum tertia comparari idea; & falso fundamento posito, quod fit subsidio obscurarum phrasium, consectaria quæ inde ducuntur, quo rectiora sunt, eò falsiora evadant.

4. Hic est pænè unicus fons falsarum ratiocinationum, in quas incidunt qui non prorsus ineptiunt; nec eas cum veris confundimus interdum, nisi quia iis nimis citò, priùs quàm eas probè intelligamus, adsentimur. Igitur ut argumentum, verúmne an falsum sit, expendamus, primò videndum est quid probari oporteat, deinde quomodo probetur. Conclusio, quæ continet id quod probare adgreditur is qui ratiocinatur, priùs est probè intelligenda; postea Medium, quod propterea adhibetur, clarè est percipiendum; quo peracto, facilè intelligemus comparationem Medii cum extremis, & quid negandum, quid adfirmandum videbimus: modò rem, de qua agitur, aliunde norimus. Nam de re ignota ex tempore ratiocinari, vel defendere aut oppugnare id quòd verúmne an falsum sit nescimus, temerarium est.

5. Exemplo res clarior fiet, ponamus itaque hoc proponi argumentum:

Qui est omnipotens potest facere ut unum idémque corpus sit in pluribus locis simul;
Atqui Deus est omnipotens;
Ergo Deus potest facere ut unum idémque corpus sit in pluribus locis simul.

Primò intelligenda est Conclusio, quæ nisi intelligitur, stultum est ratiocinari ampliùs; nam is delirat qui nescit probè quid oppugnare, aut probare adgressus sit. Subjectum autem conclusionis est *Deus*, quæ vox æternum rerum omnium Creatorem significat. Reliqua sunt prædicatum, quod est complexum & constat hisce vocibus: 1. *Unum idémque corpus*, quod debet intelligi sensu proprio, de eodem numero corpore: 2. *Esse in pluribus locis simul* est quoque explicandum eodem modo, ac dicitur quodlibet aliud corpus *esse in aliquo loco*, quando certum situm in eo obtinet: 3. *Deus potest*, vel *est potens facere*, quæ Propositio, ex sensu usitato vocum, intelligenda.

7. Igitur qui utuntur hujusmodi argumento, adgrediuntur probare *unum corpus numero*, quod unum manet, uno, eodémque individuo temporis momento, esse in pluribus locis simul; Lutetiæ, Romæ, Constantinopoli, Babylone, Alexandriæ, &c. Hæc autem Propositio nullâ ratione potest intelligi, non magis quàm si dicatur unus nummus esse in duorum crumena, & duobus Mercatoribus dari, bis numerari; seu, quod idem est, duos non esse plures uno; & postquàm plura corpora numeravero, esse tamen unum. Itaque, quicumque ejusmodi argumenta proferunt, sunt rogandi ut priùs nos doceant quid probare velint; quod si non possint, neque nos etiam iis respondere possumus; quis enim respondeat homini qui nescit ipse quid probet, aut non vult dicere?

8. Hoc autem urgendum, donec qui ita ratiocinatur, intelligat quid velit, aut cogatur fateri se nescire

nescire quid sibi velit, quod eum ad silentium adiget. In argumenti allati Conclusione, hæc continetur Propositio, *unum posse esse plura, & plura unum*; quod quicumque dicet se intelligere, mentietur, nec responsione ulla dignus erit.

9. At ponamus Conclusionem allati argumenti posse probè intelligi, adeóque admitti probandam; superest ut intelligamus quid significet Medium, seu tertiæ ideæ nomen, quod voce *Omnipotens* exprimitur. *Posse omnia* duo significare potest, nam significat *posse omnia possibilia*, ut *scire omnia* est *scire omnia scibilia*, &c. *Possibilia* autem dicuntur quæcumque intelliguntur, seu quorum idea aliqua Menti obversari potest. Eadem phrasis significat etiam fortè, apud quosdam, id posse facere quod vocamus *impossibile* & *contradictorium*, seu cujus nullam ideam mente formare possumus; ut, unum esse duo, duo esse unum, circulum quadratum, montem sine declivitate facere.

10. Hoc ita constituto, si ad Majorem deveniamus, distinguendus erit sensus vocis *Omnipotens*. Nempe, qui potest facere repugnantia, is potest facere ut duo sint unum, nam hoc repugnat. At qui nequit facere contradictoria, sed dicitur tantùm *Omnipotens* quòd possibilia omnia queat; propterea facere non poterit ut unum sint duo. Ita, comparatis duobus sensibus medii termini cum majore termino, facile est videre an unum possit de altero adfirmari, ei qui rem expenderit, quod semper ponimus.

11. Si autem is qui argumento simili respondere adgreditur, non possit ipse terminorum ambiguitatem ostendere, oportet eum ab argumentante explicationem unius cujusque termini petere; quæ si negetur, certissimum indicium est aliquid latere fallaciæ, & quia nemo necesse habet homini, qui intelligi non cupit, respondere, tunc respondens quidquam reponere non cogitur.

12. Atque hæc est certissima methodus, quà, omissis omnibus figurarum Legibus, cuilibet argumento, si agatur de re nobis aliunde nota, facilè

possumus reponere. Nisi hoc teneatur, inutiles sunt Leges; nam in exemplo allato, nemo animadvertat vocem *Omnipotens* aliter in majore Propositione sumi, aliter in minore, adeóque falsam esse ratiocinationem; nisi norit quotupliciter Natura *Omnipotens* dici queat, nec scire poterit an negare debeat Majorem, nisi Conclusionis prædicatum probè intelligat.

CAPUT VI.

De Syllogismis Conjunctivis, & iis quorum Conclusio Conditionalis est.

1. SYllogismi *Conjunctivi* ii dicuntur, quorum Major Propositio ita composita est, ut conclusionem includat, possúntque in tria genera dividi, in *Conditionales*, *Disjunctivos* & *Copulativos*.

2. *Conditionales* sunt ii, quorum Major conditionalis est, & totam conclusionem complectitur, qualis hic est:

Si Deus est, mundus Providentiâ regitur;
Atqui Deus est;
Ergo mundus Providentiâ regitur.

Major hîc constat duabus partibus, quarum prior vocatur *antecedens*, quod continetur verbis: *Si Deus est:* posterior *consequens*, quod est idem ac Conclusio: *mundus providentiâ regitur.*

3. Possunt autem duplici modo hæc argumenta concipi, quoniam ex eadem Majore duplex nascitur conclusio. Primò potest adfirmari consequens in Majore, antecedens in Minore, secundùm hanc Regulam: *Posito antecedente, ponitur consequens*; ut in argumento modò allato fit. Secundò potest negari consequens, ut negetur antecedens, ut:

Si Deus non eſt, caſu omnia reguntur ;
Atqui falſum caſu omnia regi ;
Ergo Falſum antecedens ; nempe, Deum non eſſe.

4. Poſſunt hi Syllogiſmi vitioſi eſſe, cùm in *materia*, tum in *forma*. Vitioſi ſunt in materia ii, quorum conſequentia Majoris falſa eſt ; ut ſi quis ita ratiocinaretur: *Si in quibuſdam fallimur, in omnibus erramus.* Vitioſi in forma ſunt, in quibus antecedens ex conſequenti deducitur ; vel in quibus ex negatione antecedentis colligitur negatio conſequentis, ut hæc argumenta:

Si Sinenſes ſunt Mohammedani, ſunt infideles ;
Atqui non ſunt Mohammedani ;
Ergo non ſunt infideles.

Si Sinenſes ſunt Mohammedani, ſunt infideles ;
Atqui ſunt infideles ;
Ergo ſunt Mohammedani.

5. Syllogiſmi *Disjunctivi* ii ducuntur, quorum Major Propoſitio eſt disjunctiva ; hoc eſt, cujus partes habent inter ſe conjunctiones *aut, vel,* ſeu ſimiles. Sunt duplicis generis ; nam poteſt tolli una pars Propoſitionis, ut altera ſervetur, ut:

Pertinaciter malos aut in hac, aut in altera vita plecti oportet ;
Atqui ſunt pertinaciter mali, qui non plectuntur in hac vita ;
Ergo oportet eos plecti in altera.

6. Poteſt contrà, ſed obliquiore ratiocinatione, ſervari una pars, ut altera tollatur, ut:

Teſtimonium Apoſtolorum eſt aut ſincerum, aut mendax ;
Atqui eſt ſincerum ;
Ergo non eſt mendax.

7. Hi Syllogiſmi tum ſunt falſi, cùm eſt aliquid medium inter partes oppoſitas Majoris, ut ſi quis ita ratiocinaretur :

Aut ſequenda ſunt placita majoris numeri, aut amittenda veritas ;
Atqui non eſt amittenda veritas ;
Ergo ſunt majoris numeri placita ſequenda.

vel :

Atqui non ſunt placita majoris numeri ſequenda ; Ergo amittenda veritas.

8. Syllogiſmi *Copulativi* ſunt, in quibus ex duabus partibus Majoris negativæ, copulâ conjunctis, una adfirmatur ut altera negetur, uti :

Nemo poteſt ſervire Deo, & pecuniæ ;
Atqui avari ſerviunt pecuniæ ;
Ergo non poſſunt Deo ſervire.

Hi Syllogiſmi non ſunt recti , quando una pars negatur, ut altera adfirmetur, ut, inverſo hoc argumento, liquebit.

9. Syllogiſmi quidem perfecti conſtant tribus Propoſitionibus diſtinctis, quales ſunt ii quos adtulimus ; at ſæpe, in accuratiſſimis ratiocinationibus, ad Scholæ morem non formantur, ſed Propoſitiones miſcentur, adeò ut duæ tantùm diſtinctæ ſint, interdum etiam unica adpareat.

10. Hîc duæ occurrunt :

Qui plectit innocentes eſt injuſtus ;
Ergo, ſi Deus plecteret innocentes, eſſet injuſtus ;

Latent tamen tres, quæ poſſunt ita exprimi, ut concludatur abſolutè :

Qui plectit innocentes eſt injuſtus ;
Atqui Deus, ſecundùm quoſdam, plectit innocentes ;
Ergo, ſecundùm quoſdam, eſt injuſtus.

11. Poteſt

11. Poteſt eadem ratiocinatio in unam Propoſitionem conditionalem contrahi: *Si qui plectit innocentes, eſt injuſtus, & Deus plectit innocentes, ſequitur Deum eſſe injuſtum.*

12. Maximus ejuſcemodi Syllogiſmorum uſus ſitus eſt in eo quòd, ubi volumus aliquid perſuadere, ſæpe nobis ſtatim concedi alicujus conſequentiæ neceſſitatem expedit. Hoc autem faciliùs largitur is, cum quo res nobis eſt, quando ita proponitur; quoniam eam poteſt concedere, ſine periculo, quia conditionaliter tantùm proponitur, nec ulli peculiari controverſiæ adcommodatur.

13. Ita facilè olim *Prædeſtinatianus* conceſſiſſet: *Si Deus plectere decerneret innocentes, eum fore injuſtum*; quâ conſequentiâ conceſsâ, Potuiſſent Orthodoxi oſtendere, ex ejus principiis, Deum futurum injuſtum, hac ratione:

Homines abſolutè, ut poſſibiles, conſiderati ſunt inſontes.
Atqui Deus plectere decernit homines, ex Prædeſtinatianorum ſententia, abſolutè, ut poſſibiles, conſideratos.
Ergo Deus plectere decernit inſontes; quo conceſſo, injuſtus eſſet.

14. Ejuſmodi ratiocinationibus pleni ſunt Oratores, & quamvis poſſint ad Regulas Syllogiſticas redigi, ut vis eorum ex Regulis expendatur; nemo paullò acutior non videt, ne cogitans quidem de Regulis, utrum legitimæ ſint, nécne; ſi modò verba probè intelligat, ut ideas quarum ſigna ſunt, inter ſe comparare queat.

Caput VII.

De Dilemmate & Inductione.

1. Eſt genus Syllogiſmorum, de quo hactenus nihil diximus, & quod tamen haud infrequentis eſt uſûs. Hoc Veteres *Dilemma*, aut *argumentum cornutum* dixere, quòd ex duabus partibus feriat.

Est *ratiocinatio composita, ubi postquàm totum in duas partes divisum, & de utraque parte aliquid probatum est, idem de toto adfirmativè aut negativè concluditur.*

2. Exempli causâ, in terris vitam beatam degi non posse, hoc Dilemmate probare possumus:

Ut hîc vivamus beatè, aut adfectibus indulgendum, aut resistendum.
Si adfectibus indulgeamus, brevi innumera nascentur mala; si verò iisdem resistamus, hoc initio sine molestia non fiet, & mala nobis à malis conciliabit.
Ergo in hac vita beati esse non possumus.

3. Interdum in hac argumentatione omittitur Propositio, quia facilè subintelligitur. Ita in hoc argumento, quo quispiam olim probabat à Republica esse abstinendum, subintelligitur Major:

Si sanctè Remp. administres, offendes homines; si pravè, Deos:
Ergo ab ea abstinendum.

Potest enim sic concipi:
Si Rempublicam administres, sanctè, aut pravè eam geres.
Si sanctè, &c.

4. Atque in hoc argumento rursus aliquid subintelligitur; nempe, *Hoc non est adgrediendum, quod sine offensione aut hominum aut Deorum fieri nequit; Atqui Respublica non potest sine alterutro geri; Ergo*, &c.

Dilemma enim allatum est probatio hujus Minoris.

5. Ut sciamus quid ejuscemodi argumentis reponi queat, seu ut eorum vim intelligamus, primò investigandæ sunt Propositiones quæ subintelliguntur, & diligenter expendendæ. Si enim falsæ sunt, tota argumentatio falsa est. Ita hîc hæc Propositio: *Hoc non est adgrediendum, quod sine offensione*, &c. falsa est, nam offensio hominum est flocci facienda, si Numinis ineatur gratia.

6. Secundò,

6. Secundò, in Disjunctiva Propositione, quâ nititur Dilemma, oportet esse plenam enumerationem partium rei de qua agitur; si enim aliquid omittatur, hoc exceptionem suppeditat. Ita malè argumentabatur qui ducendam non esse uxorem sic probabat:

Si sit formosa, erit κοινὴ; hoc est, *communis*;
Si deformis ποινὴ; hoc est, *furia*;
Ergo non est ducenda.

Etenim sunt formæ plurimæ inter pulchritudinem, & deformitatem mediæ.

7. Propositiones, quibus aliquid de partibus adfirmatur, aut negatur, debent esse necessariò veræ (quod tertio loco observandum) ut valida sit argumentatio. Ita modò allata est inanis, quia non necessarium est formosam mulierem esse *communem*; potest enim esse eâ pudicitiâ, ut amantes omnes repudiet, & soli adhæreat viro.

8. Quartò denique, ejusmodi debet esse Dilemma, ut retorqueri in eum nequeat, qui hujusmodi argumentatione utitur. Hoc Dilemma, quod adlatum est, circa Reip. administrationem, retorqueri sic potest:

Si Remp. malè administres, placebis hominibus;
Si rectè, Diis;
Ergo est administranda.

Nempe, quacumque res cadat, inde nascetur emolumentum.

9. Est alia argumentatio, quæ *Inductio* dici solet, & cujus tota vis sita est in observatione secundæ & tertiæ Dilemmatis Regulæ. Est *argumentatio in qua, enumeratis omnibus alicujus Rei partibus, adeò ut aliquid de iis adfirmetur, aut negetur, idem postea adfirmatur aut negatur de tota Re.* Ita possumus probare quod à Pontificiis jactatur de Episcopi Romani auctoritate, id nullo niti Novi Testamenti loco, hac Inductione:

Nihil

Nihil est in Evangeliis, quod Romani Episcopi auctoritati infinitæ faveat.
Nihil est in Actis, nec in Epistolis Pauli, quod eidem faveat.
Nihil est in Epistolis Catholicis, neque in Epistolis Joannis, quo defendi queat.
Nihil est in Apocalypsi, cujus ope propugnari possit.
Ergo nihil est in toto Novo Testamento, quod eam tueatur.

10. Differt hæc ratiocinatio à Dilemmate: 1. Quòd plures enumerentur partes, quàm duæ: 2. Quod nullam disjunctivam Propositionem necessariò adsumat: 3. Quod rariùs Propositiones ullæ subintelligantur, si Majorem exceperis; quæ exempli causâ, in allata Inductione subintelligitur.

11. Ceterùm hoc est utrique huic argumentationi commune: 1. In enumeratione, nullam omittendam partem: 2. Quod de singulis separatim dicitur, id oportere necessariò esse verum. Manifestum est non posse de integro Toto aliquid adfirmari, aut negari, quod ex ejus partium lustratione colligatur, si aliqua fuerit omissa; nam in ea fortè est quod in ceteris non observatur. Neque minùs perspicuum est de Toto necessariò verum id esse non posse, quod ex partium enumeratione concluditur, si de omnibus partibus necessariò verum non sit; etenim Conclusio præmissis firmior esse nequit.

CAPUT VIII.

De Variis Sophismatum Generibus.

1. POstquàm legitimarum ratiocinationum Regulas tradidere Dialectici; præcepta, quorum ope dignoscuntur vitiosæ, præscribunt, quæ primo intuitu memoratis Regulis contrariæ non videntur. Eæ vocantur *Sophismata*, vel *Paralogismi*, & possunt ad novem potissima genera referri, quæ paucis enumerabimus; quoniam traditis rectæ ratiocinationis Regulis,

Regulis, vix opus eſt alio ſubſidio ab ſolvenda Sophiſmata.

2. Primum vocatur *ignoratio Elenchi*, quæ eſt ignoratio aut vera, aut ficta ejus quod probandum eſt. Magnâ, ſcilicet, ſæpe verborum pompâ probatur, quod nequaquam in quæſtionem vocatur. Plurimi ſunt, qui ubi audiunt dici, homines poſſe probos eſſe ſi velint, aut contrà malos, nec quidquam eſſe quod ineluctabiliter ad bonum & malum eos compellat; ſunt, inquam, qui ut hoc falſum eſſe oſtendant, multis verbis probant homines pendere à Deo, nec poſſe ſine ſacrilegio divinæ voluntati ſubduci. At nemo negarit Deum ſummum eſſe humani generis Dominum, qui ut id creavit, ita etiam quamlibet mutationem in eo efficere poſſet. Quæritur tantùm an Deus homines libertate illis conceſſa (quam ſi vellet adimeret) uti velit.

3. Secundum vocatur *Petitio Principii*, quâ id quaſi compertum adſumitur, de quo controverſia eſt, & inde conſectaria ducuntur. Ubi cum Pontificiis de dogmatibus, quæ in litem vocantur, ſermo eſt; ſæpe eos audias clamantes, audax eſſe facinus, quòd qui ab iis ſeceſſerunt, contra Univerſæ Chriſtianæ Eccleſiæ omnium ſæculorum conſenſum, quædam oppugnare, aut defendere adgrediantur, indéque tragicis conſectariis invidiam Adverſariis creare nituntur. Verùm hoc ipſum, an omnium ſæculorum Chriſtianorum Eccleſiæ cum iis ſenſerint, quæritur.

4. Tertium Sophiſmatum genus dicitur *non causa pro causa*, quo aliquid ſtatuitur eſſe cauſa alterius Rei, cùm non ſit. Atque in hoc peccatum, duabus potiſſimùm de cauſis, delabuntur incauti. 1. Cùm quædam ſimul eſſe ſolent, aut aliquoties etiam unà conſpecta ſunt, facilè credunt eſſe inter ea certum nexum, quo fit ut unum alterum neceſſariò ſequatur. Cùm *per accidens*, ut loquuntur, duo conjuncta ſunt, paſſim unum alterius fingitur eſſe cauſa. Exempli gratiâ, ſi apud Veteres Romanos Dux Exercitûs, non bene captis auſpiciis, malè Rempublicam geſſiſſet, tribuebatur id vitioſis auſpiciis.

Quòd

Quòd aliquoties fit obſervatum ſeptimo, & quartodecimo diebus acutos morbos aut intendi aut minui, ii dies *Critici* dicti ſunt, quaſi inde Medici, quis futurus eſſet morbi exitus, judicare poſſent. Quòd nihil in animo habeamus, antequàm ulla ſenſatio præceſſerit, exiſtimarunt Peripatetici motum, qui in corpore noſtro fit, veram eſſe atque unicam omnium cogitationum noſtrarum cauſam. 2. Superbia Philoſophorum, quâ factum ut res, prout par erat, nondum expenſas, perſpectas tamen habere videri voluerint; ea, inquam, ſuperbia paſſim eos adduxit, ut eas cauſas eſſe dicerent quarumdam rerum, antequàm hoc ſatis conſtaret, ne viderentur aliquid ignorare. Verùm hoc vitium nos in Sophiſma *non Cauſæ pro Cauſa* raro agit præcipites, ubi non occurrit conjunctio quorumdam eventuum, de qua modò diximus.

5. Quartum Sophiſmatum genus *Enumeratione imperfecta* nititur. Sæpe, re non ſatis perſpectâ, Philoſophi aliquid poſſe fieri negarunt, quod certo quodam modo ipſis noto fieri nequiret; cùm debuiſſent cogitare omnes modos, quibus id fieri poteſt, ſibi fortè non eſſe notos. Iidem aliquid certâ ratione fieri, quod nullam aliam noſſent, nimis temerè ſæpe dixerunt. Ita olim erant, qui riderent quod à quibuſdam de Antipodibus dicebatur; nec poſſent capere * *quemquam*, uti loquebantur, *eſſe tam ineptum, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora quàm capita; aut ibi, quæ apud nos jacent, inverſa pendere, fruges & arbores deorſum versùs creſcere; pluvias & nives grandinem, ſurſum versùs, cadere in terram.* At eventus quàm hæc inania ſint ſatis docuit. Verùm nulla pænè in Diſciplina, frequentiùs committitur imperfectæ enumerationis Sophiſma, ac in Critica, ſeu in interpretatione Veterum. Paſſim contendunt Critici loquutionis alicujus eſſe unum ſenſum, aut etiam geminum, ac triplicem; quo poſito, unum amplectuntur, aut omnes rejiciunt, indéque locum corruptum eſſe judicant; cùm ſæpe fiat ut ex memoratis ſenſibus nullus ſit is, quem

* *Lactant. Divin. Inſtit. Lib. III. cap.* 23.

quem Scriptor in animo habuit, cujus rei exempla ſat multa in *Critica Arte* protulimus.

9. Quinta Sophiſmatum claſſis à Dialecticis dicitur *Fallacia Accidentis*, & illic occurrit, ubi ex aliqua re, quæ *per accidens* vera eſt, deducitur Concluſio ſimplex & abſoluta. Ita interdum ex eo quod remedio aliquo infeliciter uſus fuit Medicus, colligitur remedium illud eſſe noxium, quæ ratiocinatio ejuſmodi eſt:

Hoc per accidens malum fuit;
Ergo ſemper & abſolutè malum eſt.

Sæpe etiam hoc noſtro ſæculo, quo ſanè homines æquiores eſſe deceret, audito Theologo qui aut mendacia manifeſta defendit quaſi Cœlo delapſa, aut ineptè Chriſtianam Religionem propugnat, pravum de ſanctiſſimâ Chriſti Doctrinâ fertur judicium. Quâ re nihil poteſt iniquius fingi; quid enim magis eſt ab æquitate remotum hac ratiocinatione? *Quidam explicans doctrinam, ante mille ſexcentos annos, & quod excurrit, traditam, aut mentitur, aut ineptit: Ergo tota illa doctrina mendax, aut inepta eſt.* Annon enim poteſt fieri ut hodie malè explicetur apud pleroſque, & mendaciis incruſtetur, quod ſapientiâ & veritate excellit, ſi, omiſſis parum ſinceris Interpretibus, in ſe introſpiciatur?

7. Sextum genus Sophiſmatum vocatur *Fallacia Compoſitionis*, cui ex adverſo oppoſita eſt *Diviſionis Fallacia*. Nempe, in ſermone conjunguntur interdum, quæ conjunctim ſumta non ſunt vera. Ita ubi Chriſtus dicit *cæcos videre*, *ſurdos audire*, non vult cæcos, dum cæci ſunt, videre, & ſurdos, dum ſurdi ſunt, audire; ſed eos, qui fuerant cæci & ſurdi, videre atque audire, recuperato oculorum & aurium uſu. Simili ſenſu Deus à Paulo Rom. IV, 5. dicitur *juſtificare impium*, hoc eſt, eum qui impius fuerat pro juſto habere. Hæ Propoſitiones veræ ſunt tantùm *ſenſu diviſo*, ut loquuntur Scholaſtici, non *ſenſu compoſito*.

Alia sunt, quæ vera sunt dumtaxat *sensu composito*, ut cùm Paulus dicit 1 Cor. VI, 9, 10. *Cinædos, Idololatras, Mœchos*, &c. *non consequuturos regnum Cœlorum.* Intelligit, nempe, eos, quos mors in horum peccatorum habitibus deprehendet; non eos etiam, qui, olim iis inquinati, ante mortem vitiis valedixerint.

Potest autem fieri ut ex Propositionibus sensu diviso veris eliciatur Conclusio, quæ sensu composito intelligenda erit, & vice versâ, quod est Sophisma. Ita si quis ex Evangelio probare vellet repugnantes enunciationes simul posse esse veras, & uteretur verbis allatis; *cæci vident*, &c. unde colligeret posse fieri ut aliquis sit cœcus, & tamen utatur oculis, transiliret à sensu diviso ad compositum. Si quis vellet probare sine sanctitate posse homines Dei misericordiam consequi, ex loco Pauli ad Rom. IV. in eumdem scopulum impingeret. Contrà si quis, sine perpetua per totam vitam sanctitate, beatudinem æternam sperari non posse ex loco 1 Cor. VI. ostendere niteretur, à sensu composito ad divisum transiliret.

Ceterùm, quamvis hæc distinctio certis locis legitima sit, & violari, sine Sophismate, nequeat, observandum tamen non posse in *sensûs divisi* distinctionem peccari; nisi ubi termini Propositionis reipsâ dividi possunt, seu ubi res iis significatæ interdum separatim exsistunt. At quando numquam seorsim sunt, tunc nonnisi ineptè ea adhibeatur distinctio. Ita *Thomistæ* frustra utuntur distinctione sensûs divisi, quando illis objicitur, si nullus Reprobus salutem consequi possit, eos damnari quod impossibile non præstent, iniquum autem hoc esse. Reponunt *Reprobos posse servari sensu diviso, non composito*; sed reprobatio æterna & salutis possibilitas unà consistere non possunt, adeóque meritò semper quasi divisa spectantur.

8. Septima classis Sophismatum occurrit in ratiocinationibus, in quibus *à dicto secundùm quid transitur ad dictum simpliciter*; hoc est, quando, ex eo quod certo tantùm respectu verum est, colligitur Conclusio

Conclusio generalis & absoluta. Hoc Sophisma commiserit, qui sic ratiocinetur de Romana Historia: *Sunt fabulæ apud eos, qui Romanam Historiam scripserunt; Ergo nulla fides Romanis Historicis debetur.* Verè quidem Romanæ Historiæ mendacia inesse dicuntur, qualia sunt quæ dicuntur de Patre Romuli, & ejusdem in Cœlum raptu, de Egeria uxore Numæ, de trecentis Fabiis, qui ad bellum exierint, relicto domi unico impubere, &c. At falsum est reliquam omnem Historiam esse fictam. Æquè stultè nonnulli Pontificii dixerunt in Codicibus Sacris esse plurimas varias lectiones, ac menda Librariorum; ideóque non esse tutum soli Scripturæ adhærere, ut cognoscatur Apostolorum doctrina. Sunt quidem variæ lectiones, plurimis in locis, & Librariorum errata; at longè plura, consentientibus Codicibus omnibus, sana sunt. Itaque à dicto *secundum quid ad dictum simpliciter* immeritò ratiocinantur.

9. Octava Sophismatum classis est *aubusus ambiguitatis terminorum*, de qua cavenda multa suprà diximus Par. II. c. 12. & III. c. 10. ubi egimus de *Definitione vocum*. Ad hoc Sophismatum genus referri possunt omnia vitiosa argumenta, quæ habent quatuor terminos; seu Medium sit duplex, seu termini aliter in Conclusione, ac in Præmissis intelligantur. Neque ea est ambiguitas coërcenda intra crassas ambiguitates, quibus nemo fallitur qui sapiat; sed etiam ad omnes voces, & phrases porrigenda, quæ plures capiunt sensus, & ideò interdum etiam Doctos fallunt. Hujus Sophismatis exempla quidem nimis multa occurrunt, in Universa Philosophia; sed præ ceteris peccant, hoc in negotio, qui ex Veterum Scriptorum dictis argumentantur. Passim enim ex vocabulis aut phrasibus ambiguis consectaria nectunt quasi necessaria, quibus falluntur. In Controversiis quoque, sæpe videas utramque partem ambiguitate terminorum abuti. Ita ubi quæritur an corpus Christi sit *verè* & *realiter* in Eucharistia? Pontificii adfirmant, non contradicentibus iis, qui alia prorsus sentiunt. Inde utrimque mira

mira nectuntur argumenta, quorum vanitas illico adpareret, si ambiguis vocibus abstineretur.

10. Solet addi nona Sophismatum classis, in quam incidunt qui *ex Inductione non integra Universalem Conclusionem eliciunt*. Sed quia hac de re egimus in Cap. VII. & præterea recidit pænè ad id quod diximus, §. 5. de *imperfecta enumeratione*, de hoc Sophismate dicere ampliùs supersedebimus.

11. Si vellemus omnes errandi occasiones, aut fallendi rationes persequi, & quæ ex iis nascantur falsæ ratiocinationes ostendere, in immensum Sophismatum excrescerent genera. Verùm hac de re egimus Par. II. c. 9 ubi de causis erroris; & satis est ostendisse ad quot genera Sophismata referri queant, secundùm Dialecticorum receptam consuetudinem; quæ tamen accurata non est, ut hoc obiter moneamus. Etenim suâ hac Sophismatum divisione, non indicant omnes errorum fontes; & quædam specialia memorant, omissis generalibus. Attamen à nobis ea, cùm *ἱστορίας ἕνεκα*, tum quia eorum observationes veræ sunt, recensenda duximus.

12. Atque hîc esset finis imponendus Parti IV. de *Argumentatione*, seu Arte disceptandi, pro recepto Scholarum more; nisi aliam disceptandi tutiorem & faciliorem Methodum, si fortè in arenam sit descendendum, explicare operæ pretium existimaremus.

CAPUT IX.

De Socratica disceptandi Methodo.

1. CUm viro probo certum esse oporteat veritatem quærere, atque inventam aliis patefacere; non ut ingenium ostentet, aut aliorum arguat tarditatem; sed ut boni, quod hominibus in commune datum est, participes eos faciat; artem rixandi, quæ tamdiu in Scholis obtinuit, quæque nihil habet præter inanem acuminis ostentationem, prorsus

prorsus esse viro sapiente indignam sequitur. Sed quoniam, sine Arte, veritas dilucidè sæpe cognosci aut probari nequit; ut hoc rectè fieri possit, ei Arti operam aliquam navasse necesse est. Sæpe etiam, ad retundendos Sophistas, qui se scire jactant quod reverâ nesciunt, magna opus est solertia, quò, ignorantiâ suâ intellectâ, meliùs edoceantur.

2. Cùm Græcia semper hujusmodi Sophistis abundarit, tum præcipuè se jactare cœperunt, cùm Philosophia paullò diligentiùs culta est; hoc est, circa *Socratis* tempora. Hic autem vir, cùm esset naturâ factus ad Sophistarum superbiam retundendam, nobis viam ostendit, quâ idem hodie, si necesse sit, facere possimus; quæ via cùm à Philosophis sequentium ætatum debuisset calcari, neglecta est, fortè quòd ipsi Socratici Sophistæ facti id scire videri voluerint quod ignorabant, & Artes Sophisticas propterea, omissâ viri sapientissimi pulcherrimâ methodo, coluerint.

3. At nos eam, cùm propter adlatam rationem, tum quòd candori, quem probus quisque præ se ferre debet, convenientissima sit, in lucem, brevi explicatione revocabimus. Opus quidem est, ut ea feliciter utamur, acumine, & celeritate ingenii; sed sine his, ne ullâ quidem aliâ arte potest animus ad extemporaneas concertationes satis muniri.

4. Prima hujus Methodi Regula jubet eum, qui eâ usurus est, *ita se gerere quasi ab eo, cum quo res ipsi est, vellet id de quo certatur, discere.* Ac sanè omnes ita debemus esse comparati, ut veritatem, undecumque veniat, libenter nos excepturos præ nobis feramus. Neque par est quemquam tam magna sentire de se, ut non putet se à quolibet aliquid posse discere; aut saltem incitari ad cogitandum de re, de qua fortè numquam cogitasset. Et præterquàm quòd unusquisque hoc sibi debet; ejusmodi animi adfectio, quæ ex verbis & vultu adparet, aptissima est ad opinionem modestiæ & candoris in audientium animis pariendam, quâ re tutissima ad persuadendum via aperitur.

5. Secundò,

5. Secundò, priùſquam quidquam objicere adgrediamur, *oportet nos eum, cum quo loquimur, ſi utatur verbis obſcuris, interpretationem rogare.* Sæpe evenit ut homines verbis quibuſdam adſueti, ea ipſi non intelligant, atque ex hujuſmodi interrogationibus ſuam ignorantiam ſentiant, multò magis quàm ex directa oppugnatione, quæ adfectus fieri incendit. Quod ſi contingat eos bonæ eſſe fidei, à ſe rem non ſatis intelligi agnoſcunt, & tunc diſceptationi finis imponitur. Sin pertinaciâ quis laborat, & vult ſuas voces ſine definitione admitti, numquam hoc ei concedendum eſt; nec ulteriùs progrediendum, donec quid ſibi velit perſpicuè dixerit. Variis quæſtiunculis premi eum oportet, quàm molliſſimis fieri poterit verbis; non ejus umquam incuſanda ignorantia aut loquendi imperitia, ſed noſtræ ſemper tribuendum tarditati & inſcitiæ, quòd non adſequamur quæ ille intelligit. Interea nihil quidquam admittendum obſcurum, quantumvis indignetur; quod poteſt facillimè fieri, ſi dicamus nos paratos eſſe veritati adſentiri, ſed eam priùs intelligi oportere; quis enim Propoſitioni non intellectæ, præter fatuum, adſentiri par eſſe dicat? Si nullâ ratione clariores loquutiones poſſunt ab eo extundi, finis diſceptationi ſtatuitur; atque inde adparet eum neſcire quid ſibi velit. Hinc Auditores ſuperbiam hominis intelligunt, qui de rebus ignotis loquatur; & ſæpe etiam in ejus animo, pertinaci licèt, aculeus relinquitur.

§. 5. *Epictetus* apud *Arrianum* Lib. II. c. 12. de Socrate: αὐτὸν ἠνάγκαζε τὸν προσδιαλεγόμενον αὐτῷ μαρτυρεῖν, ἄλλου δὲ οὐδενὸς ἐδεῖτο μάρτυρος. τοιγαροῦν ἐξῆν αὐτῷ λέγειν ὅτι τοὺς μὲν ἄλλους ἐῶ χαίρειν, ἀεὶ δὲ τῷ ἀντιλέγοντι ἀρκοῦμαι μάρτυρι, &c. οὕτω γὰρ ἐναργῆ ἐτίθει τὰ ἀπὸ τῶν ἐννοιῶν, ὥστε πάνθ᾽ ὁντιναοῦν, συναισθανόμενον τῆς μάχης, ἀναχωρεῖν ἀπ᾽ αὐτῆς: *eum cum quo colloquebatur cogebat teſtem eſſe contra ſe ipſum, nec ullo alio teſte indigebat. Itaque licebat ei dicere: valeant reliqui omnes, ſatis ſemper mihi eſt habere teſtem eum qui mihi contradicit,* &c. *Tanta perſpicuitate notiones proponebat, ut quicumque pugnam adgreſſus eſſet, ab ea recederet.*

Ibid. *Quantumvis indignetur.*] Hoc & alia ut obſerventur monita, qui alium ab errore revocare nititur, eum iraſci numquam oportet, quæ dos fuit Socratis: Μάλιστα ἴδιον Σωκράτους μηδέποτε παροξυνθῆναι ἐν λόγῳ. μηδέποτε λοίδορον προσενέγκασθαι, μηδὲν μηδέποτε ὑβριστικόν, ἀλλὰ τῶν λοιδορούντων ἀνέχεσθαι καὶ παύειν μάχην: *maximè proprium fuit Socratis, numquam irritari in colloquio, neque quidquam convicii proferre, aut contumelioſi, ſed conviciantes ferre, & componere litem.*

6. Tertiò, ſi tandem eò devenit, ut clarè quod vult efferat, *oportet eum rogare de doctrinæ omnibus partibus, ejúſque conſectariis, non quaſi quidquam in iis reprehendamus, ſed ut pleniùs doctrinam percipiamus; ita ut videatur Magiſter, nos Diſcipuli.* Hiſce interrogationibus patebit doctrinæ abſurditas, ſi qua ſit, meliùs quàm ſi apertè oppugnaretur; modò dextrè & magno numero proponantur, ut idem ſæpiùs repetere cogatur, ne poſſit negare aliquid à ſe dictum quod reverâ dixerit. Hoc in loco, ut amplior exſculpatur explicatio, expedit exemplis & ſimilitudinibus uti, & quærere utrum hoc, vel illo modo, res ſe habeat. Quò fiet copioſiùs, eò magis liquebit opinionis falſitas.

§ 6. *Hiſce interrogationibus.*] Interdum utile eſt ab eo quem interrogamus *non intelligi quo ſpectent illæ primæ inductiones, & ad quem ſint exitum perventuræ. Nam qui videt, ſi ei rei quæ primò rogetur rectè adſenſerit; illam quoque rem quæ ſibi diſpliceat eſſe neceſſario concedendam, plerumque aut non reſpondendo, aut malè reſpondendo, longiùs procedere rogationem non ſinit. Quare ratione rogationis imprudens ab eo quod conceſſit, ad id quod non vult concedere, deducendus eſt.* Cicero de Invent. Lib. I. n. 54.

Ibid. *Exemplis & ſimilitudinibus.*] Vide Ciceronem de Invent. Lib. I. n. 52. Idem in Topicis n. 42. *Sunt ſimilitudines quæ perveniunt quò volunt. hoc modo: ſi tutor fidem præſtare debet, ſi ſocius, ſi cui mandaris, ſi qui fiduciam acceperit, debet etiam procurator. Hæc ex pluribus perveniens, quò vult appellatur inductio, quæ Græcè* παραγωγὴ *nominatur; quâ plurimum uſus eſt in ſermonibus Socrates.*

7. Ut plurimùm perſpicua doctrinæ cujuſpiam, cum ejus conſectariis, explicatio, ejus abſurditatem, ſi vera non ſit, oſtendit. At ſi ne hoc quidem ſatis eſt, tunc *quærendum quibus argumentis nitatur,* & circa

ca Argumenta eodem modo ſe gerendum, ac circa reliqua. Interrogandus qui nobis perſuadere nititur, quaſi ab eo verum diſcere dumtaxat niteremur; nihil obſcuri condonandum ei eſt; denique tota ſeries ratiocinationum ita ab eo eſt audienda, ut in intelligenda cùm ejus doctrina, tum fundamentis quibus inædificata eſt percipiendis, nihil ſuperſit difficultatis.

8. Ubi hoc diligenter peractum eſt, neceſſe eſt eum, qui doctrinam ſuam proponit, quàm ſit falſa, aut quàm levibus nitatur probationibus videre; quod ſi adfectus non patiuntur, ſaltem id ab aliis qui adſunt animadvertitur, & honeſta eſt excuſatio non ampliùs congrediendi cum homine, ſi indignè ferat in ſuam opinionem non tranſiri, quamvis abſurdam.

9. Hujus Methodi exempla ſunt plurima, in *Platonis* Dialogis, quamquam hîc Magiſtro δογματικώτερος multò eſt; & in *Xenophonte*, qui plurima refert Socratis colloquia, verè, ut videtur, habita, cùm Plato multa finxerit. Sed ne procul exempla petenda ſint, & uſus pulcherrimæ Methodi, in hodierna controverſia, adpareat, hîc dialogum fingamus inter *Thomiſtam* & alium de divinæ Providentiæ efficacia diſputantes.

10. A. Miror te eſſe uſque adeo inconſideratum, ut Deum *efficaciter operari* in hominum peccatis, negare auſis.

B. Negavi dumtaxat me quomodo hoc fiat intelligere. Fortè, quia hebetior ſum, rem aliis captu facilem non adſequor. Sed libenter audiverim, quî à te capiatur, ut enim quod nullâ ratione intelligo credere, ita neque damnare ſuſtinuerim. Quid ergo intelligis hiſce vocibus, *operari in hominum peccatis?* An hoc eſt *efficere peccata?*

A. Abſit! nam Deus eſſet auctor peccati. Homines ipſi peccata committunt, non Deus.

B. Eſtne ergo *efficere ut homines ea committant*, ſeu *impellere homines ad ea committenda?*

A. Ne hoc quidem ita crudè dixerim, ſed arcano quodam modo Deus ita peccatum *permittit*, ut neceſſariò contingat. † B. Antea

B. Antea usus es voce *operari*, jam uteris voce *permittere*, an idem significant?

A. Hæ voces non idem prorsus sonant, sed sunt unà conjungendæ, ita ut quod Deus agit dicatur *permissio efficax*; nam neque Deus ipse peccatum facit, neque tamen simpliciter permittit.

B. Igitur hoc tibi vis, Deum aliquid permittere, aliquid efficere, ita ut peccatum necessariò eveniat?

A. Hoc ipsum volo.

B. Itaque fortè idem facit hîc Deus, ac qui aggere rupto mare in agros admittit; nam facit aliquid in eo quod rumpit aggerem, & aliquid permittit in eo quod marinam aquam fluere per fractum aggerem patitur.

A. Non potuit mens mea similitudine feliciore exprimi.

B. At in vulgari sermone, qui aggerem rupisset, aquam marinam agris *immisisse* diceretur; nemo culpam ullam aggeri, aut mari tribueret; at tu, ut puto, culpam aliquam in hominem conjicis; dicísque ab homine, non à Deo, commissum peccatum. Videtur ergo nescio quid aliud tua *permissio efficax* sonare.

A. Annon animadvertis hoc esse, quoad res ipsas, maximum inter hæc discrimen? Nempe, homines sunt intellectu & voluntate præditi, quibus carent agger & mare; ideò culpa hominibus peccantibus, non mari & aggeri, tribuitur.

B. Sed quæro an id quod facit ac permittit Deus, sit ejus *efficaciæ*, ut non magis possint, eo posito, homines abstinere à peccato, ac mare in agros, per apertum aggerem, non influere?

A. Rectè dicis, hæc est mens mea.

B. Ergo ex tua sententia, eadem erit relatio inter Deum & peccatum; quæ est inter hominem, qui aggeres aperit, & agrorum perniciem.

A. Est, quod ad eventum adtinet, qui utrobique æque necessarius est.

B. Itaque actio utriusque, ex consuetudine sermonis quotidiani, eadem ratione exprimi potest; nempe,

nempe, ut is qui aggerem aperit causa sterilitatis agrorum vocatur, quia id fecit, quod necessariò agros perdidit: ita Deus qui fecerit, quòd necessariò hominem in peccatum induxit, causa peccati fuisse dicetur.

A. At jam à me crudas omnes eas loquutiones repudiari dixi.

B. Verùm, aut non intelligo quod dicis, aut eodem res recidit; debemus autem non sonum vocabulorum, quo nihil significatur, sed potestatem adtendere.

A. Vis, nempe, mihi leges sermonis, quasi loqui nesciam, præscribere.

11. Si eò tandem rediret Dialogus, nulla esset ratio ulteriùs colloquendi, atque inde adpareret eum, qui designatur Litterâ A, nescire quid sibi vellet, aut à vocibus magis quàm à re abhorrere; cujus rei causam (non passim hoc evenit) aperimus in *Critica* P. II. S. 1. Cap. XV. Satis confutata haberi debet sententia, quam claris verbis efferre eum pudet, qui eam defendit. Verùm ponemus rursus eadem de re sermones seri, ut tertiæ Regulæ usum ostendamus; priora enim primam & secundam satis illustrant.

12. A. Intellexisti satis hanc esse meam sententiam, Deum ita se gerere circa vitium, ut merus spectator non sit; sed usque adeò agat, ut, eâ actione positâ, peccatum ab homine admittatur.

B. Nescio an satis mentem tuam adsequutus sim. Ideóque te de nonnullis, nisi molestum est, libenter interrogaverim.

A. Quære quod videbitur.

B. An, ex tua sententia, si antequàm peccatum committatur, Deus nihil ageret, peccatum committeretur?

A. Minimè, nam sine divinæ Providentiæ efficacia nihil fit.

B. Quid? an putas hominem solum non posse leges divinas perfringere?

A. Hoc ipsum nego, quando sine divinæ Providentiæ efficacia quidquam fieri nego.

B. Igitur quemadmodum Deus nos ad rectè, ita ad malè vivendum adjuvat.

A. Falleris, etenim in peccato distinguenda est *actio*, ab actionis *vitio*. Deus adjuvat nos ad *actionem* ipsam, sed non ad *vitium*. Verùm in bonis actionibus, ad virtutem etiam, quæ est in actione, subsidio est.

B. Doce me quæso quid *actionem*, quid actionis *vitium* voces.

A. Hoc exemplo liquidò tibi ostendam. In *odio proximi*, est actio ipsa odii, quæ per se indifferens est; & bona, quando in objectum licitum fertur, mala quando in illicitum. Deinde est actionis ipsius ad objectum relatio, quæ est mala. Ad hanc relationem non *concurrit* Deus, licèt ad actionem necessariò *concurrere* eum oporteat, ut edatur.

B. Inde colligo te hoc velle, primò Deum generare in mente hominis odium in genere, quod neque est bonum neque malum, deinde accedere relationem odii ad objectum; exempli gratiâ, quando refertur ad proximum. An intellexi quid velles?

A. Partim quidem, at non prorsus, nullum enim esse puto odium in genere; quod postea convertatur ad certum objectum. Experientiæ hoc contrarium est.

B. An ergo Deus creat, exempli causâ, illud ipsum odium quod in proximum fertur?

A. Prorsus, sed non relationem.

B. Sed éstne id odium, sine ea relatione?

A. Minimè, eo enim momento, quo in mente procreatur, est odium in proximum.

B. Igitur, ex tua sententia, Deus procreat odium, quod cum vitiosa relatione ita conjunctum est, ut non nisi abstractione ab ea distingui queat?

A. Procreat.

B. Hoc odium in humana mente genitum, potéstne ab homine in objectum licitum, quale est Vitium, referri?

A. Non poteſt, etenim, poſitâ actione Dei, eventum certum ſequi dixi.

B. Quæſo te, ſi quis humeris alicujus onus imponeret, quod dejicere ſemel onuſtus non poſſet, & inde neceſſariò ſequeretur cratem ei coſtarum frangi; annon oneris impoſitor eodem loco haberetur, ac ſi fregiſſet ipſe coſtas, ſi eventum ſuæ actionis præcognoviſſet?

A. Haberetur.

B. Si quis alium in ripa fluvii ambulantem pelleret, ita ut is non poſſet obſiſtere quominùs in flumen caderet, indéque ſubmergeretur; annon impulſor ſubmerſiſſe impulſum diceretur?

A. Diceretur.

B. At ſunt qui te falli dicent, ſed ab utroque factam *impoſitionem* & *impulſionem*, non *fractionem coſtarum*, neque *ſubmerſionem*: quemadmodum Deus *odium*, quod in proximum fertur, ſine relatione mala, generat.

A. Manifeſtum quidem eſt homines illos eſſe reos fractionis & ſubmerſionis, at alia eſt cauſa Dei, qui adminiſtrationis ſuæ rationem nobis homuncionibus exhibere non neceſſe habet.

B. At ſi, ex tua ſententia, idem facere ſtatuatur ac peccatores; aut hi abſolvendi, aut Deus unà damnandus.

A. An neſcis *Dei vias non eſſe vias noſtras, neque cogitationes ejus cogitationes noſtras*? An vas in figulum indignabitur, queſturum quare non aliter ſit fictum?

13. Hinc à *Thomiſta*, litterâ A notato, aut non intelligi quid dicat, aut Deum auctorem peccati ſtatui omnes vident. Nam extremum reſponſum oſtendit eum, qui eo utitur, ad anguſtias redactum, μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος, id dicendo quod non agitur, elabi velle. De re agere non decrevimus. Exemplum adtulimus Socraticæ Diſceptationis, ex quo de fundamentis opinionis adlatæ, eadem Methodo diſceptari queat, qua utebatur Socrates. Atque hæc, quàm feliciter tertia obſervetur Regula, & tota Methodus commoda at utilis ſit, ſatis docebunt.

FINIS.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA DE ARGUMENTO THEOLOGICO AB INVIDIA DUCTO.

Horatius Sat. Lib. II. Sat. 2.

Invidiam placare paras, virtute relictâ?
Contemnere miser.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA DE ARGUMENTO THEOLOGICO AB INVIDIA DUCTO.

1. LOGICÆ nostræ P. IV. Cap. 8. multis quidem egimus de generibus Sophismatum, sed plura posse dici non obscurè significavimus. Temerè hoc à nobis dictum non fuisse, brevi hac Dissertatione, ostendemus; in qua *argumenti Theologici, ab Invidia ducti*, fallacias omnes aut plerasque ob oculos ponemus veri amantibus. Tantus semper ejus fuit usus, apud Theologos, aut potiùs homines sanctissimo illo nomine indignos, éstque etiamnum hodie tam frequens; ut mirum esset à Philosophis nihil esse scriptum de hoc Sophismatum genere, nisi bonos viros periculo ab ea tractatione deterritos hactenus fuisse satis constaret. At cùm devenerimus ad ea tempora, quibus falsò dicti Theologi notiores sunt quàm umquam fuerunt, minórque est multis in locis eorum auctoritas, quàm umquam fuit, major contrà & Evangelii & Magistratuum; socordia esset, non prudentia, de ea re diutiùs tacere. Qua tamen in tractatione, abstinebimus ab exemplis nimiùm recentibus, quamvis sint frequentissima; ne se nonnulli homines peti, potiùs quàm sua vitia, arbitrentur.

2. *Invidiam* hic quidem vocamus, more Romano, non *invidentiam*, quæ tristitia est ex alienis bonis concepta; sed odium, quo *invisi* persæpe etiam boni viri facti sunt; quamquam huic odio frequen-

tiſſima quoque comes eſt invidentia. Argumentum verò hinc petitum *Theologicum* dicimus, quòd adhibeatur potiſſimùm ab iis qui vocantur Theologi, atque ex Theologicis præſertim dogmatibus peti ſoleat. Igitur *argumentum Theologicum ab invidia ductum*, eſt ratiocinatio fallax, quæ imperitos incendit in homines innocentes, qui eâ ratiocinatione inviſi eis facti ſunt. Quò Theologica ceteris omnibus, quæ in controverſiam veniunt, majoris momenti & ſunt & habentur; eò faciliùs illorum ope odium iis conflatur, qui à vulgo locorum, in quibus vitam agunt, diſſentire in Religionis negotio audent. Hoc autem odio, ubi ſemel altiores radices egit, nihil ad perdendos adverſarios excogitari poteſt exitialius. Qui eo nituntur, pro Numine pugnantes, ſecúmque id in prælium ducentes ſacroſancti evadunt, plebeióſque animos horrore & metu exagitant. Tum verò ſuperſtitione veluti lymphatum vulgus non magis contraria ſentientes poteſt audire, quàm ſi vero Numini ſe bellum inferre gloriarentur. Nulla jam conſilia admittit, niſi quæ ad tollendos profanos, ut loquitur, viam munire poſſe judicat. Qui paullò acutiùs vident, nec ita affectu præpediti ſunt, ſidere tamen quodammodo adflati non ſatis expediunt quid ſibi ſit agendum. Ne errore labantur, non ſunt ſecuri; * *nihil enim fallacius eſt quàm prava Religio. Ubi Dei numen prætenditur ſceleribus, ſubit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis divini juris aliquid immiſtum violemus.* Ad aliquem fortaſſe Dei metum, cujus majeſtatem violare nefas, accedit multò major hominum, qui præter modum in hiſce commoventur. Quæ cùm ita ſint, hominibus, aut dolo malo uti conſuetis, aut cæco affectu percitis, quando rationes non ſuppetunt, quibus adverſarium vincant; illico ejus odio Theologico mactandi occaſionem quærunt, atque ante omnia, ne æquis auribus audiatur, infamiam ei quantam maximam poſſunt inurunt.

3. Variis

* *T. Livius, Lib.* xxxix. *c.* 16.

3. Variis autem modis creatur invidia, sed qui videntur ad hosce posse referri. I. Sententia, quæ oppugnatur, malè explicatur. II. Nominibus invidiosis infamatur. III. Cum invisorum hominum dogmatibus confertur. IV. Exaggeratur momentum quæstionis. V. Invisi redduntur boni, quòd vocibus nonnullis à Theologis inventis uti nolint. VI. Studiosè occultantur rationes, quibus refutanda sententia nititur. VII. Tacentur incommoda, quibus premitur sententia defendenda. VIII. Prætermittuntur ea quæ invidiam amoliri possent. IX. Invidiosa consectaria deducuntur ex sententia eorum qui oppugnantur. X. Malignis suspicionibus premuntur. XI. Novitas illis objicitur, quasi crimen. XII. Consensu hominum potentiorum opprimuntur. XIII. Miscentur in disceptationibus, quæ cum iis habentur, multa quæ ad rem nihil faciunt, sed quæ invidiæ creandæ apta sunt. IXV. In deteriorem partem accipiuntur indifferentia. XV. Provocatio fit à peritis judicibus ad imperitos. XVI. Adversarii denique quasi immorigeri Magistratibus infamantur. Hi sunt potissimi, nisi fallor, venenati fontes, ex quibus invidiæ liquor haustus incautis propinatur; quo epoto, homines, ut fert dictum vetus, hominibus fiunt lupi. Singulos eo ordine lustrabimus quo eos recensuimus, & quàm sint exitiales breviter ostendemus. Ejusmodi sunt plerique, ut digitum ad eos intendisse, & exemplo illustrasse perinde sit ac confutasse; nec librum, sed brevem Diatriben scribimus.

4. *Primò*, conflatur invidia *falsâ interpretatione sententiæ*, quæ infamanda suscipitur. Si qualis reverâ est proponeretur, sæpe bilem nulli moveret, aut leviter saltem offenderet. Si Pharisæi, qui tempore Christi vivebant, dixissent ita loquiejus discipulos, ut significarent se perfectioris sanctimoniæ leges ab eo accepisse, quàm sunt Mosaïcæ; nec quidquam detrahere Legi, eorum quæ ad veram morum sanctitatem facerent, atque ab iis solum Deum Israëlis coli, & omnia

pietatis, caritatis ac temperantiæ officia observari, quamvis interdum Legis ritualia negligerent; si, inquam, ita loquuti essent, numquam tantum odium creassent Paulo, quàm cùm dixerunt: *Iste persuadet hominibus colere Deum contra Legem*, aliáque id genus. Vide Act. XVIII, 13. Numquam etiam *Hieronymus* infamasset *Vigilantium*, quemadmodum fecit, si dixisset, eum non credere colendos Martyras, aliter quàm fortitudinis & pietatis eorum memoriâ, quas æternùm laudari apud Christianos oportebat, sed non esse orandos. At imperitorum odium in eum incendit, clamitando eum * *os fætidum aperire, & putorem spurcissimum contra sanctorum martyrum proferre reliquias; & eos qui eas suspiciunt, appellare cinerarios & idololatras, qui mortuorum hominum ossa venerarentur*, † eum *contra Martyrum sanguinem dimicare, contra Apostolos pertonare, imò instar rabidi canis latrare contra Christi discipulos*, & plurima similia.

5. *Secundò*, non modò res invidiosæ dicuntur, sed nomina invisa iis imponuntur, quibus plebecula, & qui eam imperitiâ referunt, sæpe magis offenduntur, quàm rebus ipsis. Inviso enim nomine audito, excandescunt, nec rem ampliùs expendendam putant, cùm sit id nomen damnatum. Pharisæi Christum *Samaritam* esse dictitabant: *Nonne bene dicimus te Samaritanum esse, & dæmonium habere?* Joan. VIII, 48 Nullum autem gravius convicium, eâ ætate, dici potuit; nulla exitialior suspicio fuit, quàm si quis Judæus crederetur Samaritismo favere. Christiani ab Ethnicorum sacrificulis & insaniente plebe dicebantur *Athei*, qualem haberi periculosissimum fuit. § *Tolle Atheos*, inquiebant, cùm Christianos ad supplicium poscerent. Eos appellabant *hostes generis humani, homicidas, sacrilegos, incestos*; contendebant *esse omnium scelerum reos, Deorum, Imperatorum,*

* *In Epist. ad Riparium contra Vigilantium*, T. II. pag. 119. Ed. Gryphianæ.

† *In Lib. contra Vigilantium*, pag. 126.

§ *Euseb. Hist. Eccles. Lib. IV. c.* 15. in Martyrio Polycarpi.

peratorum, Legum, morum, & naturæ totius inimicos, ut docent *Tertullianus* in Apologetico, ceteríque prisci defensores Christianæ Religionis, quorum loca proferre facile esset. Sed Christiani postea ipsi quoque tetris illis artibus in dissentientes sunt usi; quemadmodum *Hieronymus* contra Vigilantium & alios. Solis fermè Scriptis contra Vigilantium utemur, in quibus hominem, ut quidem videtur, innocentem omnibus invidiæ telis confixit, ut in sequentibus ostendemus. Est illi Vigilantius non modò * *os fœtidum*, sed *Samaritanus & Judæus, qui corpora mortuorum pro immundis habeat*. Denique conviciorum plaustra in eum congerit.

6. *Tertiò*, infamanda sententia confertur cum Dogmatibus invisorum hominum; ut auditâ collatione, omnes cohorrescant & insurgant in miseros quasi in reos errorum publico judicio dudum damnatorum. Pharisæi Christum æquiparabant Magis, miraculáque, auxilio Cacodæmonis, facere dicebant. *Iste non ejicit Dæmonia, nisi per Beelzebulem, principem Dæmoniorum.* Matt. XII. 24. *Hieronymus* Vigil ntii doctrinam confert cum doctrinis hominum dudum infamatorum. *O portentum*, inquit, *in terras ultimas deportandum! Rides de reliquiis Martyrum; & cum auctore hujus hæreseos Eunomio, Ecclesiis Christi calumniam struis; nec tali societate terreris, ut eadem contra nos, quæ ille contra Ecclesiam loquitur.* —— *Quæ olim appellabatur Caiana hæresis, & multo tempore dormiens vel sepulta, nunc à Dormitantio suscitata est.* Nec multò post: *Spiritus iste*, inquit, *immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est pulvere, imò hodiéque torquetur, & qui in te plagas dissimulat, in ceteris confitetur; nisi fortè in morem Gentilium, impiorúmque, Porphyrii, Eunomiique has præstigias Dæmonum esse confingas, & non verè clamare Dæmones, sed sua simulare tormenta.* Qui hæc legebant, & suspiciebant *Hieronymum*, facilè credebant Vigilantii dogmata non esse saniora quàm doctrinam Caianorum, Eunomianorúmque, imò & Porphyrii infensissimi Christianæ

* *Paginas non noto, quia longa non sunt ea Scripta.*

ſtianæ Religionis hoſtis. Sic infelix Vigilantius odio plebeculæ objiciebatur, nec peccari à ſe exiſtimaſſent *Hieronymi* amici, ſi eum eodem loco ac teterrimos homines habuiſſent.

7. *Quartò*, ut infametur doctrina, in qua quiſpiam ab aliis diſſentit, ſummopere exaggeratur momentum controverſiæ etiam levis; quaſi admiſſis adverſariorum dogmatibus, Religio ipſa Chriſtiana in periculo verſaretur, aut convellerentur fidei Chriſtianæ fundamenta. Conantur invidiam moventes * *magnitudine rei ſic occupare animos eorum qui audiunt, ut difficilis auditus veritati relinquatur.* Ac ſanè motis ſemel adfectibus omnia magna videntur, & quæ ab hominibus nullo adfectu præpeditis ſpernerentur, aut certè levia haberentur delicta, ea quaſi graviſſima odiis acerrimis premuntur. Sic *Hieronymus* non parum momentum controverſiarum, quas movebat Vigilantius, adauxit. Verè dicebat neque Martyribus, neque eorum reliquiis cultum ullum Religioſum deberi, quem nuſquam Apoſtoli commendarunt, aut ſibi probari vel uno verbulo ſignificarunt; ſed concedamus erraſſe *Vigilantium*, an propterea cœlum terræ miſcendum fuit? Dignus erat cui ignoſceretur, qui non alia de cauſa abſtinendum à cultu Martyrum dicebat, quàm quia Apoſtoli ea de re ſiluerant. An propterea exclamandum erat: *ô præcidendam linguam à Medicis, imò inſanum curandum caput, ut qui loqui neſciat, diſcat aliquando tacere. Ego vidi hoc aliquando portentum, & teſtimoniis Scripturarum* (abſurdè explicatis) *quaſi vinculis Hippocratis, volui ligare furioſum —— Fatebor tibi dolorem meum. Sacrilegium tantum patienter audire non poſſum.* Ipſi quoque *Hieronymo* invidia mota eſt ab *Auguſtino*, cùm ex Hebraïca Lingua Vetus Teſtamentum denuo vertere adgreſſus eſſet, quod faciendum fuiſſe non putabat *Auguſtinus*; qui hanc diſcrepantiam inter ſe & *Hieronymum* ita exaggerat, quaſi omnia in Eccleſiis turbanda eſſent, ſi apud Latinos verſio *Hieronymiana* legeretur. † *Perdurum*, inquit, *erit*,

* *Cicero, pro Fonteio, c. v.*

† *Hieron, Tom. II. p.* 340.

erit, si tua interpretatio per multas Ecclesias frequentiùs cœperit lectitari, quòd à Græcis Ecclesiis Latinæ Ecclesiæ dissonabunt; maximè quia facilè contradictor convincitur, Græco prolato libro, id est, Linguæ notissimæ. Quisquis autem in eo quod ex Hebræo translatum est, aliquo insolito permotus fuerit, & falsi crimen intenderit; aut vix, aut numquam ad Hebræa testimonia pervenitur, quibus defendatur objectum. Quòd si etiam perventum fuerit, tot Latinas & Græcas auctoritates damnari quis ferat? Huc accedit quia etiam consulti Hebræi possunt aliud respondere; ut tu solus necessarius videaris, qui etiam ipsos possis convincere; sed tamen qui judicet, mirum si potueris invenire. Nam quidem frater noster Episcopus, cùm lectitari instituisset in Ecclesia cui præest, interpretationem tuam, movit quiddam longè aliter abs te positum, apud Jonam Prophetam, quàm erat omnium sensibus, memoriæque inveteratum, & tot ætatum successionibus decantatum Factus est tantus tumultus in plebe, maximè Græcis arguentibus, & inclamantibus calumniam falsitatis; ut cogeretur Episcopus, ea quippe civitas erat, Judæorum testimonium flagitare. Utrum autem illi malitiâ an imperitiâ hoc esse in Hebraicis Codicibus responderunt, quod & Græci & Latini habebant? Quid plura? coactus est homo, velut mendositatem, corrigere, nolens, post magnum periculum, manere sine plebe. Facillimum erat totam hanc litem componere, si, quod verum erat, intellexisset *Augustinus*; nimirum, LXX. Interpretes non fuisse magis periculo erroris exemtos, quàm alios, & sæpe errasse; itaque à studiosis Scripturarum consulendas & alias versiones, quales aliquot dudum exstabant Græcè, & Hieronymianam, quemadmodum alias; quibus expensis, constitisset omnes ad summam Judaïcæ Historiæ & Religionis quod adtinet, inter se consensisse, quamvis nonnullis in locis dissentirent. Hæc fuissent coram plebe ab Episcopis dicenda, neque umquam commota fuisset, cùm à Rectoribus potissimùm soleat commoveri. Si quis contradixisset, facilè adparuisset litem eam esse nullius momenti. At facilius erat, re nequaquam expensâ, movere

invidiam

invidiam *Hieronymo*, qui, ut vidimus, & ipse magnus artifex odii excitandi fuit.

8. Quòd si contingat ut ii, qui infamandi suscipiuntur, nolint uti vocibus quibusdam, plurium auctoritate vel usu consecratis, quòd eas non intelligant, aut incommodas judicent; eis facillimè, quod *quinto* loco animadvertendum, ingens conflatur invidia; quasi dogma ipsum rejicerent, quod vocibus illis exprimi solet. Ejus rei exemplum luculentum nobis suppeditabit *Hieronymus*, in Epistola ad Damasum, in qua sic queritur: * *Post Nicænam fidem, post Alexandrinum, juncto pariter occidente, decretum, trium* hypostaseon, *ab Arianorum Præsule & Campensibus, novellum à me homine Romano nomen exigitur. Qui quæso ista Apostoli prodidere? Quis novus magister gentium Paulus hæc docuit? Interrogemus quid tres* hypostases *posse arbitrentur intelligi. Tres* personas subsistentes *aiunt; respondemus nos ita credere. Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant, quia nescio quid veneni in syllabis latet. Clamamus, si quis tres* hypostases, *aut tria* enhypostata, *hoc est, tres subsistentes personas non confitetur, anathema sit. Et quia vocabula non ediscimus, hæretici judicamur. Si quis autem* hypostasin usian *intelligens, non in tribus personis unam* hypostasin *dicit, alienus à Christo est.——Tota sæcularium litterarum schola nihil aliud* hypostasin, *nisi* usian *novit.* Itaque à Syris fermè hæreticus habebatur *Hieronymus*, quòd nollet dicere *tres esse hypostases* in Deo, quamvis cum iis ceteroqui consentiret. Facile esset alia ejusmodi exempla congerere, nisi brevitati studeremus.

9. *Sextò*, cùm nihil aptius sit ad leniendam invidiam, quæ in sententiam quampiam accenditur, quàm rationes aut firmæ, aut verisimiles, quibus solet defendi; rationes omnes illæ studiosissimè occultantur, quo fit ut imperiti existiment eam sententiam in medium esse prolatam, aut novarum rerum dumtaxat studio, aut pravo etiam consilio, ab iis à quibus vix credebatur. Sic Ethnici olim clamitabant in Christianos, accusabántque eos spretorum

* *Tom. II. p* 132.

torum Numinum, quæ vulgò colebantur, & conculcatæ patriæ Religionis; nequaquam prolatis eorum rationibus, quas omnino ignorabant; ut ex *Tacito, Plinio*, ac *Suëtonio* satis constat, qui superstitionis novæ eos insimularunt; rationibus, quibus eorum fides nitebatur, prorsus ignoratis. *Hieronymus*, hac etiam arte usus est in *Jovinianum*, cujus rationes brevissimè profert, cùm multis in eas invehatur. Damnabat ille studium illud inconsultum aut fucatum Virginitatis, quo videbat Christianos sui ævi nimiùm flagrare; cùm propter multas graves rationes, quæ colliguntur potiùs ex iis quæ reponit *Hieronymus*, quàm ex aperta & ingenua earum expositione; tum etiam quia experientia satis docebat, homines illius ætatis paucos esse, qui in cœlibe vita satis castè viverent, & ea admitterentur vulgò ab illis personatis virginibus, quæ ostendebant eos id vitæ institutum temerè esse ingressos. Certè numquam in eam speciem externam singularis castitatis ausus esset *Jovinianus* insurgere; nisi ea vidisset, quæ postremis hisce sæculis ab acutioribus, in eodem genere hominum, animadversa sunt. At *Hieronymus* non adtigit ejusmodi rationem, quæ vel sola omnem ejus inanem eloquentiam vincere potuit. Nolim quidem omnia *Joviniani* dogmata tueri, cùm nullum ejus monumentum supersit, ex quo hominis sententiam adcuratè intelligere possimus. Ut non habeo fidem ejus adversario: ita nec *Jovinianum* absolvo; sed sine dubio rectè sentiebat, qui dicebat virtutes conjugum æquè gratas atque acceptas Deo esse, quàm virginum.

10. *Septimò*, si quæ sententia defendenda suscipitur contra aliam, in quam movetur invidia; incommoda quibus premitur sententia defendenda, diligenter dissimulantur, dum mirum in modum exaggerantur quæ possunt adversariis objici. *Vigilantius* ita alloquutus fuerat eos quos videbat reliquias martyrum nimio cultu prosequi: *Quid necesse est te tanto honore non solùm honorare, sed etiam adorare illud nescio quid, quod in modico vasculo transferendo colis?*

lis? Hoc verè factum esse satis constat, ex aliis Scriptoribus, & ex iis quæ ab illa ætate ad nostram propagata sunt. Quid tamen reponit *Hieronymus?* Negat quod ipse etiam non nesciebat. *Quis*, inquit, *ô insanum caput, aliquando martyres adoravit? Quis homines putavit Deum?* Atqui adorari etiam possunt ii, qui non creduntur Dii, cùm iis cultus omnis externus defertur, qui cum Dei adoratione conjunctus esse solet. Coram iis genua flectantur, invocentúrque absentes, quasi, domini, secundum Deum, bonorum omnium. Hæc erit adoratio, quàm meritò superstitiosis suæ ætatis objiciebat *Vigilantius*. Ob illud solum incommodum, eliminandus fuit ex Ecclesia Christiana totus ille novitius cultus; nec aliter visum esset æquis judicibus, si res iis ob oculos posita fuisset, qualis erat. Vidissent hæc redolere superstitionem Ethnicam, quæ & inferiora Numina haud absimili modo colebat. Objecerat ideò *Vigilantius*, *propè ritum Gentilium videri, sub prætextu Religionis introductum, sole adhuc fulgente, moles cereorum accendi.* Verum hoc erat, & inde liquebat superstitionem Ethnicam alio nomine revocari. At *Hieronymus*, *cereos*, inquit, *non clarâ luce accendimus, sicut frustra calumniaris; sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus.* Vísne *Hieronymum* ex ipso *Hieronymo* confutare? Lege sequentia verba: *Quòd si aliqui, propter imperitiam & simplicitatem sæcularium hominum, vel certè religiosarum feminarum —— hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis?* Itaque hoc fiebat, quamvis illico negarit *Hieronymus*, saltem ab imperitis. Verùm illis imperitis præiverant Antistites sacrorum: qui id genus Ethnicorum rituum pompâ simplicitatem Religionis Christianæ ornandam, an onerandam? sibi esse censuerant, ut ipse docet *Hieronymus* in sequentibus: *Per totas*, inquit, *Orientis Ecclesias, quando legendum est Evangelium, accenduntur luminaria, jam sole rutilante; non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.* Ergo & ad monumenta Martyrum interdiu cerei accendebantur, ad lætitiam demonstrandam. Imò verò ad ita honorandos

randos Martyras, ut Ethnici colebant Deos suos. *At*, ut ait idem *Hieronymus*, *illud fiebat idolis*, & *idcirco detestandum est* ; *hoc fit Martyribus*, & *idcirco recipiendum est*. Damnarat etiam *Vigilantius* pervigilia ad sepulcra Martyrum, quæ cùm nihil facerent ad bonos mores, occasionem libidinosis hominibus præbebant corrumpendarum muliercularum. Hoc unum incommodum, cùm res pietatem minimè juvaret, adducere debuit Rectores Ecclesiarum ad consuetudinem illam cohibendam, ac tandem adduxit. Quid verò ad hæc *Hieronymus*, in Epist. ad Riparium ? Ex Scriptura probat esse *vigilandum*, ex locis in quibus vigilantia animi, non corporis præcipitur. Sed nihil de gravissimo illo pervigiliorum incommodo. At cùm *Vigilantius* graviter in id invectus esset, non licuit prorsus dissimulare quòd nimis notum erat ; sed quàm brevissimè potuit rem perstrinxit. *Error*, inquit, & *culpa juvenum, ac vilissimarum mulierum, qui per noctem sæpe deprehenditur* , *non est religiosis hominibus imputandus* ; *quia* & *in Vigiliis Paschæ tale quid fieri plerumque convincitur*, & *tamen paucorum culpa non præjudicat Religioni*. At posteri, hac in re sapientiores, hæc omnia, ob rationem adlatam, meritò sustulerunt.

11. *Octavò*, cum multa possint invidiam amoliri à sententia, & hominum animos ei conciliare, aut placare ; illa alto silentio obvolvuntur, dum contraria omnia multis diducuntur. Cultus reliquiarum Martyrum, & pervigilia ad eorum sepulcra illicita esse variis rationibus adgressus erat ostendere *Vigilantius*, quoad hoc licet ex *Hieronymianis* responsis intelligere. Poterat ejus sententiæ, apud contrà sentientes, invidiam detrahere, quòd eam proponeret bono animo ; ne, nimirum, vulgus ignarum in superstitionem Ethnicam paullatim prolaberetur ; neu fraudulenti & avari Sacerdotes, quales numquam desunt, hinc occasionem nancifcerentur fingendarum reliquiarum & falsorum miraculorum, ut plebem in Ecclesias, quibus præerant, allicerent ; neu in nocturnis illis conventibus, nimis fre-

frequentibus, multa pudenda committerentur. Pone *Vigilantium* id quod licitum eſt, ex legibus Evangelii, damnaſſe; attamen hi ejus laudabiles fines hominis errori, ſi fuiſſet error, omnem invidiam detrahere potuerunt; nam etiam licita, cùm minimè neceſſaria ſunt, vitantur; ſi multò magis noceant, quàm juvent. Hoc quoque invidiam lenire potuit, quòd ex mutatis illis nuperis conſuetudinibus, nullum *Vigilantius* caperet emolumentum; cùm manifeſtum eſſet lucrum Sacerdotum, in quorum Eccleſiis plures erant, aut eſſe credebantur Martyrum reliquiæ; quia populi in eas concurrentes plures ac copioſiores oblationes conferebant. Verùm hiſce omnibus omiſſis, quæ *Hieronymo* tamen minimè latuiſſe crediderim, cœlum terræ miſcet orator vehemens, ut omnium iram & odium in eum concitet. *Non eſt*, inquit, *credulitas pro Deo, ſed pietas.*

12. *Nonò*, ut accendatur invidia, non modò invidioſiſſimè exponuntur ipſa dogmata; ſed & conſectaria invidioſa ex iis deducuntur, ſeu falſa ea ſint, ſeu vera, ſed nequaquam pro legitimis conſectariis, ab iis qui oppugnantur agnoſcenda. Sic cùm *Vigilantius* negaſſet adorandas eſſe reliquias Martyrum, conſectariorum falſiſſimorum, ſed apud imperitos veriſimilium, invidiâ ambuſtus obticuit. *Ergo*, inquit adverſarius conſectaria illa proponens, *Petri & Pauli immundæ ſunt reliquiæ? Ergo Moyſi corpuſculum immundum erit, quod, juxta Hebraicam veritatem, ab ipſo ſepultum eſt Domino? Et quotieſcumque Apoſtolorum & Prophetarum & omnium Martyrum Baſilicas ingredimur, toties Idolorum Templa veneramur? Accenſique ante tumulos eorum cerei idololatriæ inſignia ſunt? Plus aliquid dicam quod redundet in auctoris caput, & inſanum cerebrum vel ſanet aliquando, vel deleat, ne tantis ſacrilegiis ſimplicium animæ ſubvertantur. Ergo & Domini corpus, in ſepulcro poſitum, immundum fuit?* &c. Nemo non videt hæc aliena fuiſſe à mente *Vigilantii*, ſed nihil potuiſſet dici aptius, ad plebem commovendam.

13. *De-*

13. *Decimo*, præter hæc omnia, augetur invidia ſuſpicionibus, quæ pro ira & malignitate diſceptantium, modum accipiunt; aut potiùs nullum habent, cùm nullum ſuſpicandi finem faciant homines irati, aut maligni. *Vigilantium* ſuſpicabatur *Hieronymus*, aut ſe ſuſpicari fingebat, non credere immortalitatem animi, nec proinde mortem, Religionis causâ, adeundam. *Suſpicaris*, de Samuële Propheta loquens, *mortuum*, inquit, *& idcirco blaſphemas*. Inferiùs verò: *miror quòd non dicas nequaquam perpetranda martyria; Deum enim qui ſanguinem hircorum, taurorúmque non quærat, multò magis hominum non requirere. Quod cùm dixeris, imò* ETSI NON DIXERIS, ITA HABEBERIS QUASI DIXERIS. *Qui enim reliquias Martyrum adſeris calcandas eſſe, prohibes ſanguinem fundi, qui nullo honore dignus eſt.* Eum etiam *Hieronymus* variarum Hæreſium ſuſpectum facere nititur: cùm ex iis quæ dicebat, de ejus ſententia eſſet judicandum, non ea ei adfingenda, quæ nequaquam aperuerat.

14. *Undecimo loco*, invidia movetur vel augetur, objectione novitatis; quia plerique homines parum Veritatis amantes, & de ſe magna ſentientes, ac præſertim Theologi, ſe ignorantiæ aut inſcitiæ argui putant, cum quæpiam quæ antehac ignoraverant, docentur. Igitur contra eos qui nova, aut quæ nova judicantur, adferunt, vehementiſſimè invehuntur, cùm non tam pro antiquis dogmatibus, quàm pro ſua exiſtimatione pugnent; cui tuendæ contra vim Veritatis ſi nequaquam ſufficiunt, tum verò eos videas Majores ſuos & olim famâ celebratos ad vitam veluti revocare, ut eorum ſaltem auctoritate novos doctores obruant. Sic ſe geſſerunt Ethnici, contra Chriſtianos, ut ex Veterum ſcriptis conſtat. Pro Ethnicis loquatur diſertiſſimus eorum patronus *Symmachus*; *Si longa ætas auctoritatem Religionibus faciet, ſervanda eſt tot ſæculis fides, & ſequendi ſunt nobis parentes, qui feliciter ſequuti ſunt ſuos.* Reſpondeat verò *Arnobius*, homo non indiſertus, pro Chriſtianis, cujus hæc ſunt verba, in Libro II. *Nam quod nobis objectare conſuetis,* NOVELLAM *eſſe Religionem,*

nem, & ante dies natam propemodum paucos, neque vos potuisse antiquam & patriam relinquere, & in barbaros ritus peregrinósque traduci; ratione illud intenditur nullâ. Quid enim? si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis, atque antiquissimis sæculis, quòd inventis frugibus glandes spreverint? &c. — *Itaque cùm nobis intendetis aversionem ex Religione priorum; causàm convenit ut inspiciatis, non factum, nec quid reliquerimus opponere, sed sequuti quid simus potissimùm contueri*, &c. Attamen vix ullâ criminatione frequentiùs usi sunt inter se disceptantes Veteres & Recentiores Christiani, ita ut exemplis minimè indigeamus.

15. *Duodecimò loco,* non levis invidia conflatur sententiæ, objectione paucitatis eorum qui eam tuentur, multitudinis verò oppugnantium. Fermè enim pertinaces, aut superbi videntur, qui pauci plurimorum suffragiis audent obsistere. Quo factum ut non rarò viri eruditi coacti sint scriptis eam opinionem oppugnare, quæ penes multitudinem veritatem esse statuit. Ac sanè si hæc valuisset opinio, veteres Judæi, qui à reliquo humano genere dissentiebant, potuissent jure damnari; nec immeritò Christiana Religio ab initio fuisset rejectà. Digna est lectu, hanc in rem, *Athanasii* dissertatio *πρὸς τοὺς πλήθει μόνῳ κρίνοντας τὴν ἀλήθειαν, adversùs eos qui dijudicant veritatem ex sola multitudine*; quæ videtur eo tempore scripta, quo suffragiorum numero superiores erat Ariani. In ea pulcrè *Athanasius: δειξάτω μοι κάλλος ἀληθείας, καὶ σύντομος αὐτοῖς ἡ πειθώ. πλῆθος δὲ χωρὶς ἀποδείξεων αὐθεντοῦν, φοβῆσαι μὲν ἱκανὸν, πεῖσαι δὲ οὐδαμῶς: ostendat mihi pulcritudinem veritatis, & erit compendiaria ac subita persuasio. Multitudo autem, sine demonstrationibus, comprobans apta quidem est ad terrendum, sed nequaquam ad persuadendum.* Subjiciam & verba, quibus eam disputationem claudit, quoniam ad hoc nostrum negotium multùm faciunt: *πλήθει τὸ ψεῦδος κρατύνεις; ἔδειξας τοῦ δεινοῦ τὴν ἐπίτασιν, ἱστορίας ἕνεκα, ὅσῳ γὰρ πλείους ἐν τῷ κακῷ, τοσούτῳ μείζων ἡ συμφορά: multitudine mendacium roboras? Mali magnitudinem ostendisti. Quò enim plures malo sunt impliciti, eò major est cala-*

calamitas. Res est clara, nec eò secius Theologi, quoties possunt, multitudinem, ad confirmandam causam suam & infamandos adversarios, adducunt. Audi *Hieronymum Vigilantio*, multitudine aliter sentientium, gravem invidiam creantem: *OMNES Episcopi non solùm sacrilegi, sed & fatui judicandi, qui rem vilissimam, & cineres dissolutos in serico & vase aureo portaverunt. Stulti OMNIUM Ecclesiarum populi, qui occurrerunt reliquiis.*

16. *Decimo tertio loco*, invidia concitatur, non modò re ipsâ, aut iis quæ aliquam adfinitatem cum ea habent, sed & alienis multis rebus, quæ tractantur, permistis; quia apta sunt ad excitandum odium. Nolebat *Vigilantius* pervigilia esse ad Martyrum sepulcra, sed non omnia pervigilia contendebat abolenda. Attamen *Hieronymus* ei invidiam facit, quasi de pervigilio etiam Paschatis, quod in honorem Christi dudum celebrabatur, lis inter eos fuisset. *Si ideò*, inquit, *pernoctationes existimas respuendas, ne sæpe videamur Pascha celebrare, & non solemnes post annum exercere vigilias.* —— *Quod semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequenter fiat; aut si aliqua culpa vitanda est, non ex eo quòd sæpe, sed ex eo quòd aliquando culpabile est. Non vigilemus itaque diebus Paschæ, ne expectata diu adulterorum desideria compleantur, ne occasionem peccandi uxor inveniat, ne maritali non possit recludi clave. Ardentiùs appetitur, quidquid est rarius.* Atqui non agebatur de uno aut altero pervigilio intra annum, atque in honorem Christi celebrato; sed de honoribus nimiis Martyrum, & de æquo frequentioribus pernoctationibus, quæ facillimam peccandi occasionem præbebant. Nam illo ævo recludebantur omnia antiqua sepulcra, ut eruerentur reliquiæ sanctorum virorum, & fortasse etiam aliorum quorumvis, aut commentitiorum Martyrum; quorum numerus quotidie, ex Sacerdotum somniis, quæ revelationes vocabant, augebatur. In una urbe, imò verò in una Ecclesia, plures erant reliquiæ Sanctorum aut Martyrum, pluráque adeò intra annum pervigilia; nam singulis sua consecrabantur, nocte ejus diei, quo mortui

mortui esse dicebantur. Quid facit ad doctrinam *Vigilantii*, quod ei exprobrat *Hieronymus* hisce verbis? *In hac Provincia, cùm subitus terræ motus, noctis medio, omnes de somno excitasset, tu prudentissimus & sapientissimus mortalium nudus orabas, & referebas nobis Adam & Evam de Paradiso*, &c. Sit hoc verum, quod tamen adcredere *Hieronymo* non licet, an minùs firmæ erant *Vigilantii* rationes? Nihil frequentiùs hodie occurrit, in nonnullorum Scriptis, quàm ejusmodi fraus, quâ aliena miscentur controversiis, non ut quidquam probetur quod vocetur in dubium; sed ut infametur adversarius, útque hominis infamati rationes omnes leves videantur, imò ne fortè quidem audiantur.

17. *Decimo quarto loco*, cùm multa fiant in vita, quæ per se nec bona sunt, nec mala, & possunt tamen in deteriorem partem accipi, ac interpretationibus malignis premi; invidiæ artifices in adversariis talia avidissimè arripiunt, atque in ea omnibus eloquentiæ suæ velis invehuntur. Interesse convivio, si in eo te modestè geras, ut laudi non habetur, sic nec vitio verti potest. Duriùs vivere, nisi fiat de certis ac laudabilibus per se causis, nullam meretur laudem; sed nec vituperari potest, nisi malum in finem fiat. Attamen Pharisæi prius in Christo, posterius in Joanne Baptista invidiosè carpebant. *Venerat enim Joannes; nec edens, nec bibens, & aiebant: dæmonium habet. Venerat filius hominis & edens & bibens, & dicebant: ecce homo edax & vini potor, publicanorum & peccatorum amicus* Matth. XI. 18, 19. Christiani tempore persequutionum, noctu cogebantur convenire, quod potuit castè fieri, atque ex legibus Christianæ sanctimoniæ debuit; propterea tamen infamabantur, quasi nefandis libidinibus, exstinctis lucernis, operam darent; quod constabat aliquando factum, in nocturnis Bacchi sacris, ut ipsi Ethnici testantur, qua de re consulatur *Livius* Lib. XXXIX, c. 13. & Senatûs consultum quod etiamnum ea de re exstat. Hinc Christianorum adversarii occasionem arripiebant infamandorum innocentissimorum hominum. *Dicimur*,

cimur, inquit, *Tertullianus* Apol. c. VII. *ſceleratiſſimi de ſacramento infanticidii, & pabulo inde, & poſt convivium inceſto; quod everſores luminum canes, lenones, ſcilicet, tenebrarum & libidinum impiarum inverecundiâ procurent.* Ethnico Oratori, apud *Minutium Felicem*, dicuntur ideò Chriſtiani *plebs profanæ conjurationis, quæ nocturnis congregationibus, & jejuniis ſolemnibus & inhumanis cibis, non ſacro quodam, ſed piaculo fœderantur, latebroſa & lucifugax natio, in publico muta, in angulis garrula.* Ita ſe gerebant Judæi atque Ethnici in Chriſtianos; ſed & Chriſtiani inter ſe, mutatâ perſonâ, ſæpe iiſdem malis artibus uſi ſunt, ut adverſariis ſuis invidiam crearent. Jam à multis ſæculis, ſtata jejunia & virginitas ita laudantur, quæ per ſe indifferentia ſunt, niſi cum ceteris virtutibus Chriſtianis conjungantur; quaſi illis Deo gratiores fierent homines. Auſus erat *Vigilantius* eam opinionem, vanam profectò, & plenam ſupercilio aſcetico, caſtigare. Illico ab *Hieronymo*, quaſi homo Veneri ac gulæ deditus, invidioſiſſimè traductus eſt: Quemadmodum paria ab eodem, eadem de cauſa, paſſus jam erat *Jovinianus*. *Exortus eſt*, inquit, *Vigilantius, ſeu potiùs Dormitantius, qui immundo ſpiritu pugnet contra Chriſti ſpiritum; — dicit eſſe — continentiam hæreſin, pudicitiam libidinis ſeminarium.* Paullò poſt: *in iſto*, inquit, *Joviniani mens prava ſurrexit. — Ille Romanæ Eccleſiæ auctoritate damnatus, inter phaſides aves & carnes ſuillas, non tam emiſit ſpiritum, quàm eructavit. Iſte caupo Calagurritanus, & in perverſum, prôpter nomen viculi, mutus Quintilianus, miſcet aquam vino, & de artificio priſtino ſuæ venena perfidiæ Catholicæ fidei ſociare conatur, impugnare virginitatem, odiſſe pudicitiam, in convivio ſæcularium, contra ſanctorum jejunia proclamare; dum inter phialas philoſophatur, & ad placentas liguriens Pſalmorum modulatione mulcetur.* Talia & acerbiora etiam, contra *Jovinianum*, acerrimus convitiator effundit. Similem comœdiam, an tragœdiam? vidit ſæculum præteritum, à Chriſto nato decimum ſextum; cùm caſtiſſimi & ſummæ ſobrietatis viri quaſi mulieroſi atque helluones traducerentur, à patronis virginitatis

tatis & jejuniorum, nihilo propterea melioribus, ut norunt omnes qui ab illis histrionibus sibi imponi non patiuntur. De re ipsa hîc non agimus, sed quod multorum sæculorum experientiâ notum est, quasi compertum adsumere apud homines peritos nos posse putamus.

18. *Decimo quinto loco*, invidia ingens sæpe conflata est innocentibus, dum accusati sunt apud eos qui de re, cujus insimulabantur, minimè judicare poterant. Demagogi imperitam plebem facillimè commovent specie pietatis, & zeli, ita ut eos quasi sceleratos habeat, nec velit ampliùs audire, quos peritiores sine dubio absolverent. Deinde, quia sine periculo commotæ semel plebi adversari non licet, ipsi doctiores, ignaviâ ac timiditate, simulant se ei adsentiri; & sic odio publico miseri, & quidem interdum eruditi mactantur. Sic Athenis *Socrates* traductus est apud populum ab *Aristophane*, in Comœdia quam inscripsit *Nubes*, priusquam apud Judices accusaretur ab *Anyto* & *Melito*; & nisi populus favisset *Aristophani*, numquam fortè fuisset damnatus. Sed cùm libenter Populus Atheniensis impudentissima Comici mendacia audisset, & quasi impium haberet Socratem; vix eum Areopagitæ absolvere potuerunt. Revocat hoc mihi in memoriam prudens responsum *Stilponis* Philosophi,* quem cùm rogasset Crates, *an dii adorationibus & votis gauderent? Noli me*, inquit, *fatue, in via de hisce rogare, sed solum ac seorsum.* Invidiam plebis, nimirum, metuebat, quam sibi etiam conciliavit, vero de Pallade judicio; & quam amoliri à se non potuit, ne Areopagitis quidem judicibus. Res apud *Diogenem Laërtium* legatur. *Hieronymus* nimis callidus erat Orator, quàm ut omitteret hanc artem, *Vigilantium* infamaturus. Ejus rei argumenta aliud agentes adtulimus, nec ullas ratiocinationes habet, nisi ad captum populi adcommodatas. Quin & eum judicem simul & vindicem suæ sententiæ facit, ubi ex *Vigilantii* dogmate sequi contendit, ut sint *stulti omnium Ecclesiarum populi, qui occurrerant sanctis reliquiis* (Samuëlis Prophetæ) *& tantâ lætitiâ,*

* *Diog. Laërt. Lib. II.* § 117. †

tiâ, quasi præsentem viventémque Prophetam cernerent, susceperant, ut de Palæstina usque Calchedonem jungerentur populorum examina. Quin & ipse se mulierculis conjungit, ut eas in *Vigilantium* incendat. *Rideas,* inquit, *forsitan & muliercularum deliramenta subsannes. Non erubesco earum fidem, quæ primæ viderunt Dominum resurgentem. — Tu ructato cum sæculi hominibus, ego jejunabo cum feminis.* Quis dubitet quin homines plebeii & mulierculæ, hisce auditis, *Vigilantium*, si se se fortè objecisset, lapidibus obruissent? Sic & hodie passim è suggestu difficillimæ controversiæ Theologicæ, quas ne ipsi quidem Demagogi satis intelligunt, tractantur coram plebe; & tanta apud eam adversariis conflatur invidia, ut parata sit eos lacerare, si Magistratus permitterent.

19. *Decimo sexto loco*, invidia innocentibus movetur, dum infamantur quasi perturbatores publicæ tranquillitatis; quòd ignota Veritas, si sit alicujus momenti, vix sine animorum motu, intromitti in Rempublicam possit; quamvis qui eam veritatem tuentur, omnia Reipublicæ jura sancta atque inviolata esse velint, neque ea vel minimùm labefactare tentent. Sacerdotes publici cùm Judæorum, tum Ethnicorum; quorum intererat Religiones atque opiniones receptas nequaquam immutari; Christum, ejúsque discipulos dictitabant res novas moliri. Eos accusabant non modò læsæ Majestatis Divinæ, sed & spretorum Magistratuum & Principum, violatarúmque sanctissimarum Legum; quibus, injussu Magistratuum, quidquam in Religione mutari vetabatur. Hanc Pharisæi & Sacerdotes Ethnici prætexebant criminationibus suis speciem, quæ minùs acutos facilè fallere poterat, & summis Potestatibus Christianos invisos reddebat. Nihil enim pronioribus animis excipitur ab iis, qui summæ rerum præsunt, quàm quod facit ad amplificandam, tuendámque eorum auctoritatem; nullis magis succensent, quàm iis qui vel minimùm eam tentare velle videntur; quod judicantur omnes facere qui, illis inconsultis, in societate aliquid mutare legibus sancitum, adgrediuntur, ut qui nova

de

de Religione dogmata proferunt. Itaque callidi homines, quorum intereſt errores nequaquam emendari, credulitati Magiſtratuum & Principum inſidiantur; nec difficulter perſuadent quod volunt, quia ipſis utilia adferre videntur. Ideóque hanc calumniam diligentiſſimè adgreſſi ſunt olim confutare Religionis Chriſtianæ patroni, ut vel ex Apologetico *Tertulliani* liquet, Cap. XXVIII. & ſeqq. Periculoſiſſimæ erant hac in re inſidiæ calumniatorum, qui non unâ arte inviſos Chriſtianos ſummis poteſtatibus faciebant. Jubebant eos non modò per Deos Romanorum jùrare, aut iis ſacra facere, quod in recuſantes ſatis acriter vindicatum fortè non eſſet; ſed *per genios Cæſarum* & pro eorum ſalute thus in accenſam aram conjicere. Negantes Chriſtianos continuò reos Majeſtatis agebant apud Principes; *ſi quidem*, ut inquit *Tertullianus*, *majore formidine & callidiore timiditate Cæſarem obſervabant, quàm ipſum de Olympo Jovem.*

20. Non eodem modo, ſi objectiones ſeditionum exceperis, Chriſtiani, ſub Chriſtianis Principibus, movent invidiam Chriſtianis; ſed alio non minùs exitiali. Qui diſſentiunt à ſumma poteſtate, in Religionis negotio, illi infamantur, quaſi eam ſtultitiæ aut impietatis damnarent. Eo telo, & quidem valido brachio contorto, petitus eſt ab *Hieronymo Vigilantius*, cujus opinionem de reliquiis Sanctorum non colendis, invidioſiſſimis hiſce conſectariis premit: *Ergo ſacrilegus fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ & Timothei tranſtulit Conſtantinopolin, apud quas Dæmones rugiunt — Sacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa beati Samuëlis, longo poſt tempore, de Judæa tranſtulit in Thraciam.* Poſſumus Imperatoribus ſubjicere Epiſcopos, quorum in ejuſmodi rebus aut ſuppar, aut ſuperior etiam fuit auctoritas; etenim Magiſtratum ſacroſanctum in Eccleſia Chriſtiana gerere exiſtimabantur; quos ita in *Vigilantium* incendit *Hieronymus*: *Malè facit ergo Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri & Pauli ſecundùm nos oſſa veneranda, ſecundùm te vilem pulviſculum, offert Domino ſacrificia,*

ficia, & tumulos eorum Christi arbitratur altaria. Et non solùm unius urbis, sed totius orbis errant Episcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur basilicas mortuorum. Non ita pridem similia, apud excultissimam Europæ gentem, audita sunt; cùm quærerent Sacerdotes ab iis, qui à Rege in sacris dissentiebant, num existimarent Regem, Religionis suæ causâ, æternis suppliciis addictum iri? Si adfirmarent, rei læsæ Majestatis habebantur; si negarent, quærebant cur ab ea Religione abhorrerent, in qua fatebantur homines æternam salutem consequi. Hoc quoque illis perpetuò occinebatur, æquum esse eos Religionem Regis sequi, nisi vellent rebelles haberi; nec quidquam fuit periculosius ejusmodi argumentis, quamquam futilibus; quia sine gravissima invidia eorum futilitas ostendi non poterat.

21. Hæ sunt potissimæ artes, quibus invidia movetur, quas & latiùs diducere & multò pluribus exemplis illustrare facilè potuissemus; verùm hæc cordatioribus satis erunt, pravis verò ingeniis nihil posset satis esse. Pauca tamen adjiciam de fœditate invidiæ, bonis viris malis artibus creatæ, déque ea curanda, aut, si curari nequeat, vincenda. Summus Orator, cùm A. Cluentium defenderet, & invidiam falsam quidem illam, sed maximam tollere adgrederetur, exordio utitur, quod nonnihil immutatum, meum facere, cum bona Lectoris venia, me posse existimo. Equidem cùm apud animum meum reputo quàm frequenter à Theologis invidia mota sit & moveatur, quò me vertam nescio. Negem fuisse antiquorum illum morem, aut recentiorum? Negem illam rem agitatam in concionibus, jactatam in circulis, usurpatam in Synodis? Evellam ex animis hominum tantam opinionem, tam penitus insitam, tam vetustam? Non est nostri ingenii; at est auxilii bonorum omnium, innocentiæ, in calamitosa fama, quasi in aliqua perniciosissima flamma, atque in communi incendio subvenire. Etenim sicut, alios apud populos, parum firmamenti & parum virium Veritas habet: sic apud eos, qui solam Christi & Apostolorum aucto-

ritatem ſequi ſe velle profitentur, falſa invidia imbecilla eſſe debet. Dominetur apud barbaros, aut ſuperſtitioſos; jaceat in verè Chriſtianorum judiciis. Valeat in opinionibus ac ſermonibus imperitorum; ab ingeniis prudentium repudietur. Vehementes habeat repentinos impetus; ſpatio interpoſito, & causâ cognitâ conſeneſcat. Denique illa definitio judiciorum æquorum, quæ nobis à Chriſto & Apoſtolis tradita eſt, retineatur; ut in judiciis & ſine invidia culpa damnetur, & ſine culpa invidia ponatur. Quamobrem à Lectoribus meis hæc poſtulo; primùm, id quod æquiſſimum eſt, ut ne quid huc præjudicati adferant; etenim non modò auctoritatem, ſed & nomen judicum amittimus, niſi ex ipſis cauſis judicamus; ac ſi ad cauſas, nondum cognitas, judicia jam facta adferamus. Deinde, ſi quam opinionem jam ſuis mentibus comprehenderunt, ſi eam ratio convellet, ſi res ipſa labefactabit, ſi denique Veritas extorquebit, ne repugnent; eámque animis ſuis, aut libentibus, aut æquis remittant.

22. Veritate & caritate Chriſtianis nihil debet eſſe antiquius, eórumque omnium animis inſculptum ſit oportet divinum hocce monitum, ΑΛΗΘΕΥΕΙΝ ΕΝ ΑΓΑΠΗ, *veritatem unà cum caritate conſectari.* Hoc autem nullo modo fieri poteſt, ſi ex invidia judicia de alienis ſententiis feramus, odiúmque pro firmis rationibus, eis reponamus. Nemo non fateatur ejuſmodi adfectu homines ad retegendam Veritatem minimè adjuvari; ſed quia quiſque putat ſibi ſat notam ac perſpectam eſſe Veritatem, alios verò in errore verſari; age, oſtendamus creare invidiam non eſſe ejus qui Veritatem tuetur, neque ejuſmodi artibus errorem rectè propulſari. An odium acutiores nos reddit, ad intelligendam alienam ſententiam, ut eam accuratiùs confutare poſſimus? Minimè gentium. Imò contrà, animo irâ æſtuanti nebulam objicit, quâ fit ut minimè adſequamur quod adverſarii dicunt; atque impatientiam audiendi tantam injicit, ut vix eorum rationes ſibi paucis exponi patiatur; nedum ut magna volumina ſuſtineat expendere, quod tamen interdum neceſſe

necesse esset, ut mendacium probè confutaretur. An odium firmiora argumenta in adversarios suggerit? Imò verò ita occæcat animum, ut levissima, & quæ à sedatis hominibus ridentur, gravissima habeantur. Odio atque irâ percito stipulæ in trabes mutantur, muscæ in camelos. An utroque illo affectu præpediti Veritatem meliùs defendunt, aut errantibus amabiliorem reddunt, quam si animo sedato rem adgrederentur? Contrà, neque satis sciunt quid dicant, & imprudentiâ suâ latus nudum adversariis feriendum præbent, ac Veritatem infamant, quam armis mendacii defensam volunt. Inimici sunt Veritati illi adfectus, amici mendacio; quod eo satellitio cinctum plerumque prodit, atque ex eo à multis agnoscitur. Itaque pro Veritate mendacium sibi proponi putant, qui illam nonnisi odio atque irâ stipatam vident. Pulcrè *Tertullianus*, initio fermè Apologetici, questus Christianam Religionem inauditam damnari ab Ethnicis; *hanc*, inquit, *primam causam apud vos collocamus iniquitatis ODII, erga nomen Christianorum. Quam iniquitatem idem titulus & onerat & revincit, quod videtur excusare; ignorantia, scilicet. Quid enim iniquius, quàm ut oderint homines quod ignorant, etiamsi res meretur odium? Tunc enim meretur, cùm cognoscitur an mereatur. Vacante autem meriti notitiâ, unde odii justitia defenditur, quæ non de eventu, sed de conscientia probanda est?* Ponamus *Hieronymum* verum defendisse contra *Vigilantium* (quod non pauci hodie ex Christianis contendunt, nos non putamus) an illâ ratione creandæ illi invidiæ, apud æquos judices, causæ suæ profuit? An sententiæ adversarii falsitatem, accuratâ ejus explicatione, in clariore luce collocavit? An argumenta firmiora, quibus sententiam ipse suam tueretur, aut dogma Vigilantii confoderet, invenit? Tantùm abest, ut eorum quidquam sit adsequutus, ut contrà nimio adfectu suspectum se Lectioribus fecerit, credibiliorem adversarii sententiam reddiderit, & puerilia argumenta pro demonstrationibus inaniter venditarit. Plura exempla antea protulimus, quibus tamen hîc unum adjiciemus. Objecerat *Vigilantius* sanctorum animos non posse audire

 preces,

preces, quibus ubique invocantur. Quid ad hæc adversarius? *Si*, inquit, *agnus ubique; ergo & hi, qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt.* Tales ratiocinationes ira & odium, acutis ceteroqui viris, subjiciunt; quas sedati ingenii homines vix febricitantibus condonarint. Sed legantur ejus in *Jovinianum* & *Vigilantium* scripta, & plus satis exemplorum suppetet.

23. Caritatem, quam Ethnici φιλανθρωπίαν & *humanitatem* vocabant, odio violari qui non senserit, is helleboro, non ratiocinationibus indigebit. Itaque homines callidi, qui invidiam movent iis, pro quibus Christus mortuus est, negant se *odio* laborare, hunc suum adfectum sanctiore velant nomine, & *Zelum* vocitant. Crudelitatem, quâ insectantur eos, quos in errore versari aiunt, *pietatem* esse dicunt; pro illa definitione *Hieronymi*, jam à nobis prolata: *Non est crudelitas pro Deo, sed pietas.* Sed ut alia omittam, ad quæ digredi institutum meum me non patitur, quæro an non possint mendacium confutare rationibus solis, absque ulla invidiæ, aut *zeli*, si ita loqui velint, mistura? Si possint, quidni faciunt, cùm sine dubio Veritate dignior futura ea sit confutatio, quemadmodum ostendimus, imò & efficacior apud errantes? Si nequeant, patiantur eos credere id fieri ex arcana conscientia infirmitatis causæ, quæ tantis affectibus occultatur, quia ratione non potest defendi. Si quid firmum habuisset *Hieronymus*, tot convicia in *Vigilantium* non profudisset. Humanitas ipsa, quâ omnes complecti debemus, nos jubet eorum ingeniis ita orationem adtemperare, ut eos ab errore revocemus; non conviciis obruere, non invisos omnibus, quatenus licet, reddere, ut eos offendamus. Humanum, imò verò hominem, se dicere nequit, qui in sui similem, sub zeli specie, ita debacchatur, ut capitales hostes acriùs non possint. Pium, aut Dei timentem se esse frustra jactarit, qui maximum Evangelii præceptum, quo jubemur nos invicem amare, tam protervè conculcat. Nam ex amore proximi nasci conflationem gravissimæ invidiæ

diæ si quis dixerit, nonnisi apud insanos fidem inveniet.

24. Quæ cùm ita sint, videtur turpissimus ille adfectus posse curari, si viri boni & eruditi, conjunctis operis, illum ubique adlatis, aliísque similibus rationibus adgrediantur, nec desinant eas repetere, donec profecisse se intelligant. Sed & docendum quî homines probi, & Veritatis amantes, qui invidiâ premuntur, possint eam vincere. Duplex est ad eam victoriam via; sed utraque magno animo est ineunda, & ad finem usque constanter tenenda. In utraque, hoc primùm studendum Veritatis, etiam oppressæ, amanti; ut animo agitet contraria omnia iis, quæ ab invidiæ concitatoribus fieri solent; quæ singillatim non exponam, cùm ex rationibus conflandæ invidiæ, à me ante memoratis, facilè intelligi possint. Si velit adversariis reponere, (quæ altera est viarum quas dixi) necesse est id faciat cum summa prudentia, ne verbulum proferat, quod cum aliqua veri specie in deteriorem partem accipiatur. Christo non semel insidiosis interrogationibus invidiam facere conati sunt Judæi, quos ille prudentissimis responsis elusit. Cùm eorum contumaciam castigasset, & pœnas, nisi resipiscerent, daturam significasset, *observantes eum miserunt insidiatores, qui se justos simulabant, ut caperent eum in sermone, & traderent imperio ac potestati Præsidis. Qui interrogaverunt eum dicentes: Magister, scimus te rectè dicere & docere, nec accipere personam, sed viam Dei veritate docere. Licétne nobis dare tributum Cæsari, annon? Animadvertens verò illorum dolum, dixit eis: quid me tentatis? ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem & inscriptionem? Respondentes dixerunt: Cæsaris. Ille autem respondit iis: reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Luc. XX. 20. Sic frustra conati ei invidiam facere, aut apud Præsidem Romanum, si negaret esse solvendum tributum; aut apud Judæorum Zelotas, si adfirmaret; sapientissimo responso repressi abierunt. Addam & hominis Ethnici insigne exemplum declinatæ, dexteritate ingenii, invidiæ; quâ alioquin

alioquin oppressus fuisset, si ab adfectu vel minimùm transversum agi se passus esset. Is est *Plinius* junior, qui ita rem narrat Epist. V. Lib. I. *Aderam Arrionillæ Timonis uxori, rogatu Aruleni Rustici. Regulus contrà. Nitebamur nos, in parte causæ, sententiâ Vectii Modesti, optimi viri. Is tunc in exsilio erat, à Domitiano relegatus. Ecce tibi Regulus :* Quæro, *inquit*, Secunde, quid de Modesto sentias? *Vides quod periculum, si respondissem, bene ; quod flagitium, si malè. Non possum dicere aliud tunc mihi, quàm Deos, adfuisse.* Respondebo, *inquam*, quid sentiam, si de hoc Centumviri judicaturi sunt. *Rursus ille* : quæro quid de Modesto sentias. *Iterum ergo :* solebant testes in reos, non in damnatos interrogari. *Tertiò ille :* Non jam quid de Modesto, sed quid de pietate Modesti sentias quæro. Quæris, *inquam*, quid sentiam? At ego ne interrogare quidem fas puto, de quo pronunciatum est. *Conticuit : me laus & gratulatio sequuta est ; quòd nec famam meam aliquo responso, utili fortasse, inhonesto tamen læseram ; nec me laqueis tam insidiosæ interrogationis involveram.*

25. Si ita invidiam superare non liceat, at altera via est, quâ coërceri possit ; nimirum, prudenti silentio, non quo Veritas opportuno tempore dissimuletur, sed quo conviciis, contumeliosísque dictis nihil reponatur. Defendenda est modestè ac fortiter veritas, sed prætermittenda omnia ejus adversariorum acerbè dicta, aut facta ; ita ut liquidò appareat hominibus quidem parci, mendacio verò æternum bellum indici. Certè qui levissimis rationibus pondus addere se putant, conviciis, & creatione invidiæ, ii nullo digni sunt alio responso. Visne probare infirmas esse illorum ratiocinationes? Contrariam veritatem perspicuè expônito, & validis argumentis firmato. Vísne ostendere hominum nequitiam? Aliter planè vivito ac loquere, quàm illi solent. Tua te virtus, & virtute digni sermones simul tuebuntur, & vitia adversariorum patefacient, ac venenata dicta confutabunt ; quamvis ita te geras, & ita loquaris, quasi nullos umquam adversarios habuisses.

F I N I S.

ONTOLOGIA,

SIVE

DE ENTE,

IN GENERE.

ONTOLOGIA,

SIVE

DE ENTE,

IN GENERE.

PRÆFATIO,

De Natura & Usu Ontologiæ.

1. UT de rebus omnibus cogitare ac loqui ordine possimus, & reperta nostra, aut aliis ignorata iis tradere, & vicissim ipsi ab aliis doceri; universales ideas, & generalia nomina, ad quæ referamus Entia omnia, secundùm ea quæ iis inter se communia, aut discrepantia sunt, habeamus necesse est. Exempli causâ, cùm cogitamus de rebus, quæ *Spirituales* vocantur, ad certam quamdam Entium classem oportet eas referamus; nec respondere possumus, cùm rogatur nostra de earum natura sententia, nisi utamur nomine generali, qualia sunt *Entis*, aut *Substantiæ*; ut si dicamus esse *Entia cogitatione prædita*, aut *Substantias cogitantes*.

2. Hinc Philosophi Disciplinam, quæ generalia de omnibus Entibus Axiomata traderet, sibi inveniendam esse existimarunt; ut & cogitationibus ordinem præscriberent, & sermoni necessaria vocabula suppeditarent. Eam scientiam *Aristoteles* μετὰ φυσικὴν tradidisse dicitur, unde nomen *Metaphysicæ*, apud Scholasticos, nacta est. Alii μετὰ τὴν φυσικὴν *trans*, seu *supra Physicam*, quasi, nempe, scientiam supra contemplationem corporum positam interpretantur. At undecumque id nominis duxerit, scire

noſtrâ parum intereſt; atque, ut omnem circa nomen quæſtionem vitaremus, eam Diſciplinam *Ontologiam*, id eſt, *ἐπιστήμην περὶ τοῦ ὄντος* *Scientiam de Ente* vocavimus.

3. Attamen hoc nomen, ut hoc obiter moneamus, optimè cum ipſa, quam tradit *Ariſtoteles*, hujus ſcientiæ definitione conſentit. * Ἔστιν, inquit, *ἐπιστήμη τις ἣ θεωρεῖ ὂν, ᾗ ὂν καὶ τὰ τούτῳ ὑπάρχοντα καθ' αὑτό*: *Eſt ſcientia quæ contemplatur Ens, quatenus Ens, & quæ ei inſunt per ſe.* Paullò tamen clariùs Ontologiam definire malumus: *Scientiam de Ente in genere, ejúſque proprietatibus.*

4. Hinc objectum hujus Diſciplinæ eſſe *Ens in genere* intelligimus. Hujus autem idea animo obverſatur noſtro, cùm abſtractione cogitamus, de iis quæ videmus eſſe communia omnibus Naturis nobis notis; inter quæ illud occurrit, quòd *ſint*, aut eſſe *poſſint*. In hanc enim proprietatem cùm animi aciem, omiſsâ aliarum omnium contemplatione, intendimus, tum demum Entis in genere ideam contemplamur.

5. Igitur tota hæc Diſciplina circa ideas Abſtractas verſatur; unde intelligere eſt certiſſima eſſe poſſe, quæ hîc traduntur, quandoquidem de ideis penitùs nobis notis agimus. Hîc nec quid ſit in Naturis ſingularibus, nec cauſas ullius peculiaris effectûs docemus. Contemplamur tantùm ideas noſtras, déque iis ſolis judicium ferimus. Itaque ſi modò nihil adfirmemus, niſi quod videmus in ideis noſtris, quæ cautio adtentis difficilis ſanè non eſt, extra omne erroris periculum ſumus.

6. Tum nos in erroris aleam conjicimus, cùm abſtractas ideas ſingularibus Naturis, extra nos exſiſtentibus, aptamus; ſeu cùm eſſe in ſingulari Natura quidpiam, quod ideæ noſtræ abſtractæ ſimile eſt, judicamus. Etenim facilè accidit ut in ejuſmodi opinionem incidamus, licèt judicii ferendi nulla ſit legitima ratio; iis de cauſis quas in Logica memoravimus, ubi de occaſionibus erroris egimus. At rariùs de ſolis noſtris ideis agentes, id nos

* *Metaphyſ. Lib.* III. c. I.

nos in iis videre adfirmamus, quod non videmus. Itaque Metaphysica, seu Ontologia, certissima continet Principia, nec iis facilè abutimur.

7. Fines hosce, in hac Disciplina, adsequi nitimur. I. Ut positis indubitatis Axiomatibus, quæ omnibus ideis nostris conveniunt, inde subsidia cùm ad inventionem veri, tum ad vitandum errorem, habeamus. II. Ut in certas classes omnia Entia, ad vitandam in cogitando confusionem, digeramus. III. Ut nomina generalia, quæ possint tribui Naturis omnibus, quibus est aliquid commune, inveniamus. Atque hos duos postremos fines initio adtigimus; sed & hosce & primum exemplis aliquot illustrare, hoc in loco, non erit inutile.

8. Ontologia nos docet, exempli causâ, quid sit quod *impossibile* vocatur; nempe, id impossibile dicimus, quod nullo modo intelligere possumus; seu cujus nullam ideam formamus, quamvis nitamur. Impossibile est intelligere *Montem sine declivitate*, ideóque fieri posse negamus, ut mons sit sine declivitate. Igitur si quis quidpiam se intelligere, aut credere dicat, cujus nullam prorsus ideam effingere nobis licet; id esse nobis persuadere nequit. Dicentibus esse humanum corpus unicum, quod tamen in pluribus locis est simul; reponimus nos non posse adsentiri, quòd corpus unum, & multiplex simul, capere nullâ ratione queamus. Contendimus id debere inter impossibilia referri, nósque ullum posse adsensum præbere Propositioni sensu carenti negamus. Ejusmodi Axiomata plurima suppeditat Ontologia, ex quibus, ad vitandum errorem, veritatémque inveniendam ac defendendam, non exigua subsidia ducimus.

9. Metaphysica docet omnia quæ intelligimus posse ad certas classes referri; esse omnia, exempli causâ, *substantiam*, *accidens*, aut *relationem*. Atque inde fit ut rei cujusvis naturam investigantes, ante omnia, utrum sit Substantia, vel Accidens, vel Relatio quæramus; quo invento, generales proprietates, quæ conveniunt ei Entium classi ad quam refertur,

fertur, rei tribuimus. Exempli gratiâ, si quæratur *quid sit Albor?* primùm scire nos oportet Alborem non esse Substantiam, neque Relationem; quo posito, sequitur ut sit Accidens, ac proinde ut de eo quod de Accidentibus compertum est dicamus. Tum si quis Alborem se vidisse narret, qui nulli corpori albo inhæreret, sed per se esset; ex Axiomatibus positis, eum falli cognoscimus.

10. Denique constitutis generalibus ideis, rebúsque omnibus notis in certas classes distributis, inveniuntur vocabula quibus ideæ generales significantur; quæ sunt, ad participes alios nostrarum cogitationum faciendos, planè necessaria. Exempli causâ, si ab homine de *Hippopotamo* loquente, ignarus significationis ejus vocis, quærat quid sit Hippopotamus? reponet, *Animal amphibium, equo aliquatenus simile esse.* Utetur vocabulo *Animal*, quod est generalis & abstractæ ideæ nomen, & quo audito, is qui rogat quid sit Hippopotamus, ad quam speciem rerum, quod eâ voce significatur, referendum sit intelligit. Atque hoc, in omnibus accuratis Definitionibus observatur, in quibus Genus proximum semper, secundùm Dialecticorum Canonas, exprimitur.

11. Hi sunt Ontologiæ usus, qui ex ipsa Disciplinæ natura manant. Addi potest alius accidentalis; nempe, ejus ope cognosci sensum loquutionum multarum Scholasticarum, & opiniones addisci, quas ignorare nunc non licet; quòd per plura sæcula per totam Europam viguerint, & etiamnum hodie per maximam ejus partem defendantur. Imò ex hac Disciplina, plurima dogmata in ipsam irrepsere Theologiam Christianorum; quæ jam, sine aliqua Metaphysicæ cognitione, intelligi nequit.

12. Usibus Metaphysicæ memoratis, de abusibus haud pauciora dicere possemus; sed unum, qui, præ ceteris, plurimos errores peperit, adtigisse hîc satis erit. Diximus versari hanc Disciplinam circa ideas abstractas; hinc autem factum ut qui non satis cauti sunt in philosophando, dum animus abstractionibus ejusmodi nimiùm adsuescit, nihil putent

esse

eſſe in rebus ipſis, præter id quod in abſtractis ideis vident; &, quia ſunt admodum perſpicuæ, ſibi diſtinctiſſimè rerum naturam noſſe videantur. Exempli causâ, ideam abſtractam *Animalis* claram formamus, cogitando de corpore, quod ita eſt diſpoſitum, quocumque modo id ſe habeat, ut augeri, ali, & moveri poſſit. Hoc animo verſantes, nec ulteriùs in corporis illius intimam naturam inquirendi cupidi, ideam Animalis habeamus nobis obverſantem adæquatam; id ea enim adæquata eſt, ad nos quod adtinet, quæ nobis clarè objicit quidquid in ea conſiderare volumus; licèt ipſi rei, ex cujus occaſione eam contemplamur, adæquata non ſit. Exiſtimarunt autem Philoſophi ſe perſpicuè admodum intelligere naturam Animalium, quòd clarè ideam generalem & abſtractam intuerentur, qua in re ſummopere errarunt. Quæritur enim quænam ſit ea diſpoſitio corporis, quâ fit ut animalia alantur, augeſcant, & moveantur; non qui ſint diſpoſitionis illius externi effectus.

13. Theologia & Philoſophia Scholaſtica refertæ ſunt definitionibus idearum abſtractarum; quas definitiones Theologi & Philoſophi cum definitionibus rerum ipſarum, unde ideæ abſtractæ originem ducunt, perperam miſcuerunt. Atque hic eſt maximus Metaphyſicæ abuſus, quo fit ut ideas, quarum nulla exſtant Archetypa, & quæ à nobis pendent, obtrudant Theologi & Metaphyſici diſcipulis ſuis, pro rebus ipſis; quas ſibi perſpectiſſimas, errore illo deluſi, exiſtimant.

ON-

ONTOLOGIA.

Caput I.

De Ente, ejúsque proprietatibus in genere.

1. PRæfationis §. 4. quid sit *Ens* in genere, & quâ ratione fiat ut ejus idea nobis obversetur, diximus. Ea voce, latissimâ significatione, quidquid est aut esse potest, denotatur. Sed quia duplici ratione Entia esse intelliguntur, aut in se, nimirum, aut in aliis, etiam duplici modo Ens sumitur. Sunt Entia quæ per se sunt, ac sine aliis esse possunt; qualis est, exempli causâ, lapis. Sunt quæ in aliis sunt, nec seorsim possunt esse, ut rotunditas, quæ inest corpori rotundo. Atque hæc posteriora Entia magis propriè *modi Entium* dicuntur.

2. Præterea quædam alia, abstráctione, à Metaphysicis intelliguntur, quæ neque sunt Entia, neque Modi Entium, neque tamen ut merum nihil animo concipiuntur. Ejusmodi sunt *Privationes, Denominationes externæ* seu *Relationes*, & *Entia rationis* omnia. Hæc enim neque exsistentiam habent propriam, neque aliis rebus insunt, neque dici propriè possunt merum nihil; quandoquidem notiones eorum formamus, & ideis variis adjuncta sunt.

3. *Privatio* est absentia adtributi in subjecto, in quo esse solet & potest. Ita cùm lapis, qui in certum usum destinatus, destitutus est figurâ, quæ ei inesse deberet ac posset, dicitur Metaphysicis esse *privatione* illius figuræ adfectus. Distinguenda est autem privatio à *Negatione*, prout hæc vox à Scholasticis usurpatur; nam Negatio est absentia adtributi cujuspiam in subjecto, in quo neque solet, neque potest esse. Ita in lapide est Negatio intellectûs; quòd lapis neque intelligere soleat, neque possit.

possit. Privationem porrò, licèt non sit Ens, neque Modus Entis, non considerari quasi merum nihil, inde liquere volunt, quòd qui adfirmat lapidem, exempli gratiâ, privatum esse certâ figurâ, aliquid ampliùs dicit, quàm si nihil adfirmaret, aut etiam diceret dumtaxat lapidem non intelligere; quia significat aliquid in lapide non esse, quod in eo esse posset. Itaque idea abstracta Privationis, aliquid Menti offert, quod non est merum nihil; neque tamen Ens, aut modus Entis dici potest.

4. *Denominatio externa*, est adtributum rei, quod non est in subjecto cui adtribuitur, sed ad id pertinet seu refertur, quales sunt omnes *Relationes*. Cùm res quæpiam dicitur pars alterius, vocula *pars* nihil significat quod sit per se, aut subjecto illi insit, cui id nominis tribuitur; neque tamen est signum, seu nomen meri nihili; hoc enim si esset, quicumque adfirmaret *brachium* esse *partem hominis*, nihilo plus diceret, quàm si adfirmaret brachium esse *phlattotrat* hominis; quandoquidem vox *pars* nihil ampliùs quàm *phlattotrat* significaret.

5. *Ens rationis* dicitur quidquid Menti obversatur, quod nullum habet extra ideas nostras Archetypum, neque habere posse intelligitur, quales sunt ideæ omnes abstractæ; ut, *Rotunditas* in genere, *Homo* in genere, &c. Ideæ illæ non sunt imagines meri nihili, nam de nihilo nihil adfirmatur; quod Menti offerunt nulli inhæret subjecto, neque etiam seorsim exsistit; nullibi enim sunt Rotunditas & Humanitas in genere. Igitur cùm neque sint Entia, neque Entis Modi, attamen merum nihil dici nequeunt.

6. Hæ sunt generalissimæ ideæ Entis, Modi, & eorum quæ ad alterutrum nequeunt referri, de quibus multis agunt Metaphysici, nos verò plura non addemus; quoniam, ad veri investigationem, quæ solent hac de re agitarir inutilia fermè sunt. Hîc tantùm præcipuas proprietates aut adfectiones Entis, de quibus sumus in sequentibus acturi, enumerabimus.

7. I.

7. I. Omne Ens dicitur *Unum*, *Verum*, *Bonum*, quodam ſenſu Metaphyſicis peculiari, quem poſtea indicabimus. Ad Unitatem pertinent quæ ſolent tradi de *Identitate*, *Diſtinctione*, *Oppoſitione* & *Ordine*. II. Quod eſt aliquamdiu, id durare dicitur; quamobrem in Ontologia agitur de *Duratione*, ejúſque ſpeciebus. III. Eſt *totum*, aut *pars* alterius, ideóque Metaphyſica totum & partes expendit. IV. Eſt *Cauſa* vel *Effectus*, ac proinde Metaphyſici contemplationem *Cauſæ*, & *Cauſati*, ut loquuntur, à ſe prætermitti poſſe non putant. V. Cùm Entia intelligentia agent propter *Finem*, & quidquid eſt corporei ab Entibus intelligentibus regatur, in Ontologia de variis *Finium* ſpeciebus agi ſolet. VI. Cùm omnia Entia conſiderari inſtar *Subjecti*, aut inſtar *Adjuncti*, queant, etiam hac de re aliquid hîc dici neceſſe eſt. VII. Quandoquidem quæcumque ſunt, aut eveniunt, poſſunt ad has quatuor claſſes referri, *neceſſariorum* aut *contingentium*, *poſſibilium* aut *impoſſibilium*; committere non poſſunt Metaphyſici, ut naturam idearum harum abſtractarum non expendant. VIII. Eadem de cauſa, diſputant de *Potentia* & *Actu*, quoniam nihil intelligimus, quod non ſit aut *potentiâ*, aut *actu*. IX. De *Perfecto* & *Imperfecto*, propterea etiam diſceptans. X. De diſtributione Entium in varias claſſes, agunt. Atque hæc potiſſimùm, in Ente in genere, conſiderari poſſunt, ideóque intra hæc continetur ea Diſciplina, quam *Metaphyſicam* vulgò vocant, nos *Ontologiam* diximus.

8. Metaphyſici quidem ulteriùs eam porrigunt, cùm in ea de Deo, Angelis & Mente humana diſputare etiam ſoleant. At limites, quos huic Diſciplinæ poſuit Ariſtoteles, ut colligere eſt ex definitione *Præf.* §. 3. adlata, tranſgrediuntur. Quæ enim de Deo & Spiritibus creatis quæri ſolent, ad Entis, in genere conſiderati, ideam non pertinent. Nos itaque iis, ad aliam Philoſophiæ partem rejectis, hîc abſtinebimus; ne, dum quæſtiones diverſi planè generis miſcemus, diſſimiles ideas confundamus, & perturbationem etiam in judiciis pariamus.

CA-

CAPUT II.

De Uno, Vero & Bono.

1. METaphyſicorum de *Uno*, *Vero* & *Bono* doctrina; quamvis & ingenioſa, & in pleriſque vera; tam exiguæ eſt utilitatis, ut paucis eam tradidiſſe, *ἱςορίας ἕνεκα*, ſatis nobis futurum ſit; nec per omnia inanium quæſtionum diverticula vagari, ſine gravi temporis jactura, nos poſſe exiſtimemus.

2. Omne Ens abſtractè conſideratum *unum*, hoc eſt, *indiviſum in ſe, & diſtinctum ab omni alio dicitur.* Si, exempli causâ, triangulum contemplemur animo, ita id unicum comperiemus, ut in duo triangula ſecari nequeat; ſervatâ, nempe, eadem proportione ac magnitudine. Si plantam Mente conſideremus, intelligimus eam ita non poſſe dividi in duas, ut una habeat dimidiam partem proprietatum, altera alteram, ſine ſpeciei mutatione.

3. Hoc autem pertinet tantùm ad ideas abſtractas, adeóque ad cognitionem ipſarum rerum conſequendam parum prodeſt. Hinc tantùm colligimus ideam unitatis & ideam multiplicitatis planè eſſe *ἀσυςάτους*; quod omnes quidem ſciunt, & profiterentur, niſi quidam Chriſtiani, divinâ potentiâ, contrarium fieri contenderent, in humano corpore, quod unum & multiplex ſimul eſſe dictitant.

4. Unitas in *numericam*, & *ſpecificam* ſeu *genericam* dividitur. Unitas numerica dicitur alicujus ſingularis Entis, ſeu Individui, ut *Titii* & *Caji*, quorum uterque ſeorſim unus homo eſt. *Specifica* verò eſt eorum Entium, quæ unius ſpeciei eſſe dicuntur. Ita natura omnium circulorum perfectorum dicitur eſſe *Una*, non quòd ſit unica numero natura in omnibus circulis; eſſet enim unicus, in rerum univerſitate, individuus circulus; ſed quia omnes circuli, quotquot ſunt, & eſſe poſſunt, ſimilibus planè proprietatibus ſunt præditi.

5. Hæc

5. Hæc diſtinctio Unitatis, licèt manifeſta & facilis, tamen digna eſt quæ altè memoriæ mandetur, ſi velimus Veteres Philoſophos intelligere, præſertim Platonicos; qui modò plures Deos, modò unicum Numen eſſe dicunt. Nimirum, exiſtimabant *plures* eſſe *numero* & ὑποστάσεις (quod apud eos idem valet) *unicum* verò *ſpecie*, ἓν θεῖον ὁμούσιον; quòd, ſecundùm eos, omnium Deorum natura ſimilem eſſentiam haberet, ſaltem Deorum quos Νοητοὺς, *intelligibiles*, vocabant. * Multi poſtea, Platonicis dogmatibus imbuti, eodem modo de Deo loquuti ſunt; nec facilè ubique, utrum de unitate numerica, an de ſpecifica loquantur, intelligas.

6. Hæc quoque, quæ dicuntur de unitate ſpecifica, parum faciunt ad cognitionem rerum ipſarum, ſi intimam earum naturam ſpectemus. Quando enim plura individua unum eſſe ſpecie dicimus, hoc tantùm volumus. 1. Certum numerum proprietatum, quæ in ſubjecto unà ſunt, conſtituere id, quod *ſpeciem* vocamus. 2. Deinde in omnibus individuis, de quibus loquimur, eas unà eſſe proprietates. Verùm an id ſubjectum ignotum, in quo proprietates illæ unà ſunt, ſit in omnibus planè ſimile, ignoramus.

7. Quod Unitatem hactenus vocavimus, id interdum *Identitas* dicitur, & in eadem genera dividitur. Quia tamen res difficultate non caret, & interdum utilis eſt cognitu, mutato rei nomine, iterum de ea, ne omiſſa videatur Identitatis conſideratio, aliquid dicemus. I. Dicitur ergo *idem*, *ſpecie* & *numero*. Idem fluvius ſpecie dicitur aqua, quæ hodie fluit, ac ea quæ heri fluebat, non numero; unde *Heraclitus, nos in idem flumen bis deſcendere* negabat; quamvis aquâ tranſmiſsâ, maneat idem fluminis nomen. II. Idem dicitur *formâ*, atque idem *materiâ*. Navis Theſei, quæ per aliquot ſæcula refecta fuerat, eadem dicebatur, licèt ne tabula quidem ex iis quas Theſeus unà compegerat ſupereſſet; quia ſimilis, ſeu eadem ſervata fuerat forma. III. In ſuperioribus exemplis, facilis res eſt, ſed ubi

* *Vide Plotini Ennead. V. Lib. I.*

ubi de Animali, aut Homine ſermo eſt, impeditior videtur. Corpora eorum acceſſionibus & effluviis perpetuò mutantur, & tamen vulgò eadem dicuntur, contradicentibus licèt nonnullis Philoſophis: *Nemo noſtrûm*, ait *Seneca*, Ep. LVIII. *idem eſt in ſenectute, qui fuit juvenis. Nemo eſt mane, qui fuit pridie. Corpora noſtra rapiuntur fluminum more.* Si *idem* dicatur homo, quia eadem numero in eo remanet eſſentia Mentis, nulla habetur ratio corporis; adeóque quodcumque corpus Mens habeat, ſeu *Euphorbi*, ſeu *Pythagoræ*, idem erit homo. Iidem homines reſurgent, etiamſi diverſa ſit eorum corporis materia, imò & forma; quandoquidem nulla diſcriminum juventutis ac ſenectutis ratio habetur. Sin verò eadem numero materia corporis poſtuletur, ſenex & juvenis non erit idem homo. Si eamdem etiam numero formam corporis velis, ut idem homo appelletur is tantùm cui ineſt, vix quoque ſenex & juvenis idem homo cenſebuntur; & poſt reſurrectionem quidem manifeſtò diverſi erunt. Hæc ad animum revocare eos oporteret, qui tam acriter, de *identitate corporum poſt reſurrectionem*, diſceptant.

8. Hiſce Unitatis & Identitatis generibus variæ opponuntur Multiplicitates, de quibus Capite ſequenti agemus. Hîc quæ de duabus proprietatibus Entis, *Veritate* & *Bonitate*, dici ſolent, quia à Metaphyſicis cum Unitate conjunguntur, trademus.

9. De *Veritate* non agimus, quæ ad Enunciationes, ſeu Judicia pertinet, de qua diximus in Logica P. 2. c. VII. & quæ ſita eſt in convenientia Propoſitionum aut Judiciorum cum natura rerum. Metaphyſici in ſermone quotidiano plurima obſervarunt *vera* dici, quæ nullam tamen negationem aut adfirmationem continent. Ita ſubinde dicimus *verum* eſſe aurum, *verum* hominem, *verum* Deum, & ſimilia. Hæ autem voces *verum aurum*, &c. ſine additione verbi ſubſtantivi, ſeu *copulæ*, nullam propoſitionem conficiunt; ſed ſignificant metallum, cui inſunt omnes proprietates, quæ in animo noſtro eſſentiam conſtituunt ejus metalli, quod *aurum* vocamus.

camus. Hinc Metaphyſici veritatem quamdam, quæ ad judicia non pertinet, & quæ ſita eſt in convenientia rei cum ejus definitione, commenti ſunt; unde hanc veritatem eſſe tantùm converſionem alterius, quæ eſt convenientia definitionis cum re definita, liquet.

10. Hæc Veritas *nominalis*, altera verò *realis* dici poteſt, hac de ratione. Obſervavimus in certo quodam ſubjecto, cui uſus nomen quodpiam impoſuit, quale eſt *aurum*, unà eſſe proprietates quaſdam. Hinc confecimus Canonem: Quodcumque metallum, in quo omnes illæ deprehendentur proprietates, *aurum*, & quidem *verum*; quodcumque verò, in quo non occurrent omnes, ſed quædam tantùm, *falſum* aurum dictum iri. Ergo verum *aurum* eſt id cui convenit definitio nominis *auri*, prout id definimus; falſum cui non convenit. Non quærimus an id, cui nomen auri negamus, ſit ſubſtantia, ánve habeat proprietates, quod quaſi indubitatum ponimus; ſed an habeat eas proprietates, quarum collectioni nomen *auri* tribuimus. Hinc colligere eſt veritatem hancce non pertinere ad intimam rerum cognitionem, ſed tantùm experientiâ noſtrâ & verborum conſtituto uſu niti.

11. *Bonum*, apud Metaphyſicos, omne Ens dicitur; quòd habeat quidquid id oportet habere, ut eum uſum præſtet, ad quem à Creatore Entium omnium deſtinatum eſt. Quia autem, in operibus ſuis, falli nequit Creator, ideò omnia Entia bona, ſeu ei fini conſequendo, propter quem ea creavit, apta ſunt. Obſervandum probè eſt *bonitatem* hanc metaphyſicam multùm à *bonitate*, quæ *moralis* dicitur, differre. Bonitas moralis ſita eſt in manſuetudine & benignitate, nec in alias Creaturas, præter intelligentes, cadit. Ab ea etiam Entia creata intelligentia deficere poſſunt, & plurima re ipsâ defecerunt. At metaphyſica bonitas, ut in omnia Entia cadit: ita ab Entis natura, niſi ipſum Ens pereat, divelli nequit. Quando enim definit Ens habere, quod in ſuo genere id habere oportet, ut

ut fini Creatoris respondeat, tum desinit esse id quod fuit.

12. Hanc bonitatem nonnisi summatim in plerisque Entibus cognoscere possumus, quia duo ut plurimùm aut prorsus ignoramus, aut partim tantùm (saltem singulorum Entium respectu) novimus. Primò ignotus nobis est, magna ex parte, finis propter quem Deus singula Entia creavit; seu quid sibi, creatione singulorum Entium, efficere proposuit, nescimus, aut non satis videmus. Secundò, ut plurimum quâ viâ ad eum finem perveniat, nobis non constat; quia neque intimam substantiam Entium, neque omnes eorum proprietates notas habemus. His autem duobus ignoratis, aut confusè notis, *bonitatem* singulorum Entium nos fugere necesse est.

13. Itaque bonitas hæc metaphysica nihil est præter abstractam quamdam Ideam, obscuram & generalem; circa quam ii demum diu hærent, qui tempus in inanibus disquisitionibus absumere non verentur.

CAPUT III.

De Multiplicitate, Compositione, Distinctione, Oppositione & Ordine.

1. HÆC omnia Unitati ac Identitati opposita sunt, nec per se ad rerum cognitionem multùm conducunt; aut ita omnibus nota sunt, ut Philosophi nihil præ ceteris hîc norint, nisi quibus nominibus Metaphysici res notissimas adpellarint. Ideóque in unum Caput compegimus, quæ plurium materiam præbere solent.

2. Ut Unitas duplex, ita quoque Multiplicitas duplicis est generis. Multiplicitas enim est ubicumque plura possunt distingui, aut dividi; at quæ dividuntur, ut plura ejusdem speciei individua & ideæ, aut ut diversæ speciei ideæ & individua possunt

ſunt conſiderari. Prior poteſt *Multiplicitas numerica*, poſterior *ſpecifica*, aut *generica* dici.

3. Multiplicitas fundamentum eſt *Compoſitionis*, quæ in tres præcipuas dividitur ſpecies, *Realem*, *Rationalem* & *Modalem*. Realis eſt Compoſitio, quâ diverſa Entia, ut Totum aliquod componant, conjuncta ſunt. In corporea omnia realis cadit Compoſitio, quia conſtant partibus reverâ diſtinctis, & quæ ſeorſim eſſe poſſunt. Compoſitio rationalis eſt in iis rebus, in quibus plura concipimus, quorum quædam ſunt ideæ abſtractæ, quarum Archetypa nulla extra Rationem, ſeu Mentem noſtram ſunt. Sic eſt compoſitio rationalis inter Ens & ejus Relationem, ſeu Denominationem externam. Cùm *Ens creatum*, quatenus tale, contemplamur, obverſatur Menti noſtræ idea rationaliter compoſita ex generali idea Entis, & relatione, quæ inter rem creatam & Creatorem intercedit. Compoſitio *Modalis* eſt, quæ eſt inter rem & modum rei; ut quæ eſt inter corpus rotundum, & rotunditatem.

4. Compoſitioni admodum adfinis eſt *Diſtinctio*, quæ, ſummatim, à Metaphyſices Magiſtris dividi ſolet in duo genera; *Diſtinctionem*, nimirum, *ex natura rei*, & *Diſtinctionem Rationis*. Ut à poſterioris explicatione initium faciamus, Diſtinctio Rationis fluit ab intellectu noſtro, qui interdum unam *eamdémque rem aliter atque aliter apprehendit*. Rurſus hæc à Scholaſticis in diſtinctionem *rationis ratiocinantis*, & *rationis ratiocinatæ*, ſubdividitur. Diſtinguuntur ratione ratiocinante variæ ideæ quæ ſunt rei uni, cujus imagines ſunt, æquè adæquatæ. Ita ideæ, quibus reſpondent hæ duæ propoſitiones, eo pacto differunt: *Pallas eſt filia Jovis*, & *Minerva eſt filia Regis Deorum*: Diſtinctio hæc nullum habet, ut loquuntur, in re ipſa fundamentum; nec ſanè ulla eſt in ipſo intellectu, nam mutatio nominis ideam non mutat. Alteri diſtinctioni rationis ratiocinatæ eſt tenue fundamentum in natura rei, licèt nulla ſit in re diverſitas, ſeu multiplicitas Archetyporum, quæ ideis reſpondeant. Sic, inter *adclivitatem* & *declivitatem*, eſt diſtinctio rationis ratiocinatæ. Hæc

re ipsâ non differunt, & unum altero continetur, sed Mens abstractione, adscensum, aut descensum, quatenus talem, prout libet, magis contemplatur. Scholastici hanc distinctionem esse inter rem & ejus essentiam, inter definitionem & definitum, &c. volunt. Sed reverâ vocabulis hîc prorsus abutuntur, & inutilibus in quæstionibus agitandis tempus terunt; neque hasce nugas, nisi in Theologiam Christianorum irrepsissent, memorassemus.

5. Distinctio ex natura rei non est ab intellectu, sed ex re ipsa nascitur, éstque inter ea quæ separari possunt. Ita distinguitur Rex singularis à regia potestate, quia posset esse ea potestas in alio, eo mortuo. Hæc porrò distinctio subdividitur, I. In *positivam* & *negativam*. Positiva est inter duo Entia, ut inter membra varia corporis; negativa est inter Ens, ejúsque negationem, hoc est, non Ens; inter facultatem ejúsque privationem, ut sunt visus & cæcitas, &c. II. In *Essentialem* & *Accidentalem*. Prior est inter ea quæ differunt genere, aut specie, quæque adeò diversam habent essentiam; posterior inter ea quæ accidentalibus tantùm discrepant. III. In *Realem* & *Modalem*. Prioris generis sunt distinctiones adlatæ; distinctio modalis est, quâ res una eadémque differt à se ipsa, prout est variis modis vestita, ut homo sedens ab eodem homine ambulante.

6. Sunt variæ *Convenientiæ* species oppositæ Distinctionum speciebus, sed eas non enumerabimus; quòd sit tantum de iis dicendum contrarium iis, quæ de Distinctionibus diximus. Sanè omnes hæ Scholasticæ observationes, licèt veræ, sunt adeò inutiles, ut ne memoratu quidem dignæ essent; nisi Scholastici sermonis esset aliqua cognitio, propter consuetudinem, comparanda.

7. Hîc esset aliquid, eadem de causa, de Oppositis dicendum, sed jam nomina Oppositorum indicavimus in Logica P. I. Cap. V. § 6. Axiomata tantùm quædam de hisce trademus. 1. *Contradictoria de una re neque simul negari, neque simul adfirmari possunt.* Aliquid non potest esse *unum* & *non unum*

simul,

ſimul, aut ſimplex & multiplex; eodem, nimirum, reſpectu. 2. *Nulla prorſus eſt inter ea convenientia, aut immediata, aut in tertio Ente.* 3. Igitur *quæ conveniunt in tertio Ente, vel immediatè, non poſſunt eſſe inter ſe contradictoria.* Hæc ſunt evidentiſſima Axiomata, licèt ſit inter Metaphyſicos gravis contentio circa hanc quæſtionem, *utrum repugnantia poſſint eſſe ſimul vera?* Verùm ea quæſtio non ex difficultate rei agitari cœpit, ſed quòd, ex Theologia quorumdam, Deum hoc poſſe adfirmandum eſſet. Hac de re agemus, ubi de *impoſſibili.*

8. *Ordo* ad ea pertinet quæ *priùs* & *poſteriùs*, aut *ſimul* eſſe dicuntur. Quæ obſervant hìc Metaphyſici, pertinent ferè ad uſum vocabulorum, non ad naturam rerum, quæ ſunt probè diſtinguenda. Itaque prius, poſterius, aut ſimul obſervant quinque modis dici. 1. *Tempore*: 2. *Naturâ*: 3. *Diſpoſitione*: 4. *Dignitate*: 5. *Cognitione.*

9. Ad *prioritatem*, *poſterioritatem*, aut *ſimultaneitatem* temporis quod adtinet, non opus eſt explicatione ullâ; quia tum voces hæ propriè & uſitato ſenſu ſumuntur. Priùs *naturâ* duplici ſenſu aliquid dicitur, *conſequentiâ*, & *cauſalitate.* Prius eſt *Ens*, quàm *Subſtantia*, per conſequentiam, quia poſito eſſe Subſtantiam, eſt Ens, non vice versâ: Prior eſt cauſa effectu ſuo, cauſalitate, licèt interdum tempore prior non ſit. Ita Pater, quatenus Pater, non eſt prior Filio; quia tum demum Pater eſſe incipit, quando liberi ei nati ſunt. Simul naturâ ſunt, quorum neutrum eſt cauſa alterius, ſed inter quæ is eſt nexus ut ſemper unà ſint. Ita ſimul naturâ ſunt, in corpore, *extenſio* & *diviſibilitas.*

10. Prioritas, Poſterioritas, & Simultaneitas, ratione *diſpoſitionis*, & *dignitatis*, faciles ſunt intellectu, nec ad Metaphyſicam propriè pertinent.

11. Apud *Ariſtotelem* aliquid dicitur prius *cognitione*, aut poſterius, duplici ſenſu. Nam cùm generaliter loquens vocet γνωειμώτεϱον *facilius cognitu*, vult dici γνωειμώτεϱον aut κατὰ φύσιν, aut καθ' ἡμᾶς. *Secundùm naturam* γνωειμώτεϱον eſt quod eſt ſimplicius, qualia ſunt prima principia Metaphyſi-

ces,

ces, pertinentia ad Entia in genere; quæ faciliora ſunt intellectu, quàm ſingulorum Entium naturæ. Sed *ſecundùm nos*, hoc eſt, ordinem quem ſequimur in adipiſcendis noſtris cognitionibus, priora cognitu ſunt ſingularia Entia, quàm Univerſales ideæ: ad quas devenimus ope abſtractionum, poſt multam experientiam. Verùm hoc in negotio abutitur Ariſtoteles voce γνώριμος, quæ eſt relativa, & ſignificat tantùm ea quæ à nobis poſſunt cognoſci, nullâ eorum naturæ ratione habitâ. Licuit ei quidem vocem in novum detorquere ſenſum, ſi modò aliquid obſervaret quod utile aut ignotum antea foret, nec vocem commodiorem ad mentem exprimendam haberet. At hîc, ut ſæpe aliàs, rem facilem, & facilè uſitatis vocibus exprimendam, adhibitâ inuſitatâ, obſcuravit.

CAPUT IV.
De Eſſentia, & Exſiſtentia.

1. ANntequàm de Duratione agamus, pauca de *Eſſentia* & *Exſiſtentia* Entis in genere prælibanda ſunt. Scholaſtici, qui nihil minùs quàm perſpicuitatem & proprietatem verborum curant, *Eſſentiam* & *Exſiſtentiam*, *principia incomplexa* Metaphyſicæ vocarunt: uti *complexa Definitiones*, *Poſtulata*, & *Axiomata*. Eſſentia, nimirum, & Exſiſtentia ſunt principia Entis, ejúſque adtributorum; quæ neceſſariò Ens habere Eſſentiam, & exſiſtere ſtatuunt. Definitionibus verò, Poſtulatis & Axiomatibus ad demonſtranda ea quæ docent in Metaphyſicâ, ut fit in reliquis Diſciplinis, utuntur.

2. Verùm, ne de verbis contendere videamur, hæc mittemus; atque obſervabimus Eſſentiam, quæ definitur, *id per quod res eſt id quod eſt*, eſſe ideam abſtractam, quæ ſola ratione diſtinguitur ab Ente. Neque enim Ens eſt in Eſſentia, aut Eſſentia in Ente, quaſi in ſubjecto, neque poſſunt ſeparari; ſed interdum omiſsâ conſideratione Entis, quatenus

eſt idea univerſalis, quæ pluribus inferioribus communis eſt; abſtractione contemplamur id per quod Ens conſtituitur; hoc eſt, naturam Entis in genere, ſeu ipſum Ens, ſine reſpectu ad inferiora.

3. Cap. I. qua in re ſita ſit eſſentia Entis in genere, ubi hujus definitionem tradidimus, dictum eſt. Sed eſt inter Philoſophos de Eſſentia in genere ingens controverſia, quam indictam omittere, etiam in hac Epitome, nefas eſſet. Quæritur, an *Eſſentiæ rerum æternæ ſint?* Hoc eſt, an id per quod unaquæque res eſt id quod eſt fuerit, ab æterno immutabile. Alii adfirmant, alii negant, Deúmque potuiſſe, & poſſe mutare rerum eſſentias contendunt.

4. Tota tamen lis, quantumvis magnâ contentione agitata, ſolâ definitione vocum quæ hîc adhibentur, facilè componi poteſt. Eſſentias rerum eſſe æternas & immutabiles qui dicunt, obſcurè rem quæ ab omnibus eodem modo intelligitur, nec aliter intelligi poteſt, efferunt. Nempe, volunt id per quod Ens eſt id quod eſt, ſeu ipſum Ens, non poſſe à nobis intelligi eſſe aliud Ens, & ſimul idem; itaque ſi Deus ab omni æternitate habuerit ideas Entium nunc exſiſtentium, qualia ſunt, illas neceſſariò eaſdem fuiſſe, ac nunc ſunt. Alioqui non fuiſſent ideæ eorumdem Entium, ſi diverſæ eſſe potuerunt, niſi mutarentur ſpecies Entium. Quis autem hoc negare ſuſtineat, ſi nullâ perturbatione laboret, & ex animi ſententia loquatur?

5. Non quærimus an Deus alia Entium genera potuiſſet creare, his, quæ nunc ſunt, omiſſis: utrimque hoc admittitur; ſed an in iiſdem hiſce, quæ ſunt, Eſſentiis, potuerit aliqua mutatio fieri, ita tamen ut remanerent eædem? imò, an potuerint prorſus immutari? Exempli causâ, natura numeri quaternarii in eo ſita eſt, ut ſit ternario unitate major. At ſunt qui adfirmant voluntate divinâ fieri potuiſſe, ut quaternarii numeri eſſentia in alia re ſita eſſet, imò ut is numerus eſſet minor ternario. Si dicerent nomina potuiſſe mutari, ita ut ternario nomen quaternarii impoſitum fuiſſet, nemo

rem

rem in dubium revocaret, pendent enim ea ex arbitrio hominum; sed ideam mutari horum numerorum, dum iidem manent, id demum repugnat; adeóque neque intelligi, neque ſine audientium ludibrio adfirmari poteſt.

6. Fuere tamen Viri magni, qui auſi ſunt dicere id à Deo potuiſſe fieri; & quod nos hodie non intelligimus, quia intellectus noſter rebus, quales nunc ſunt, aptatus à Deo eſt; id nos intellecturos fuiſſe, ſi res aliter à Numine conſtitutæ fuiſſent; quia tunc intellectus quoque noſter alius fuiſſet.

7. Sed primò, libenter, quod concedunt, accipimus; nempe id quod adfirmant intelligi non poſſe, neque proinde ipſos intelligere quod dicunt. Deinde, quærimus quo jure propoſitioni, quam neque nos intelligimus, neque ipſi, adſentiri quis poſſit? Sanè earum rerum, quas nullo modo intelligimus, ſeu quarum nullam prorſus ideam animo obverſantem habemus, nulla poteſt eſſe fides. Atque hinc eos aut imprudentes, aut ſcientes id adfirmare à ſe credi, quod nequaquam creditur, colligimus.

8. Si liceat etiam ſuſpicari Philoſophos non è Vulgo, propter utilitates quaſdam, quas ad ſe redituras putabant, propugnaſſe ſententias nonnullas; non difficulter conjiciemus nonnullos eorum, qui talia adfirmarunt, ita loquutos eſſe, ne fidem dogmatibus Theologicis Eccleſiæ ſuæ detrahere viderentur. Statuerant eſſentiam corporis in extenſione eſſe ſitam, quod non poterant cum Tranſubſtantiatione conciliare; niſi eſſentias rerum, divinâ potentiâ, eſſe mutabiles dixiſſent.

9. Cùm Ens exſiſtens conſideramus, & omiſſis aliis omnibus ejus adtributis, abſtractione Exſiſtentiam animo contemplamur; deinde Ente illo ſingulari prorſus miſſo, Exſiſtentiam Entis in genere Mente intuemur; ea generalis *Exſiſtentia*, de qua hìc agunt Metaphyſici, tunc nobis obverſatur.

10. Cùm ſoleant omnia, etiam quæ per ſe clara ſunt, definire, Exſiſtentiam, *id per quod aliquid reverâ exſiſtit, atque extra ſuas cauſas eſt* definiunt. Scilicet,

licet, docent effectus omnes in causa efficiente esse *potentiâ*, ut loquuntur, priusquàm *actu* exsistant. Ita Terra hæc nostra, quæ ante sex annorum millia creata est à Deo, in eo *potentiâ* erat, priusquàm *actu* extra eum exsisteret. Sed cùm nemo de potentiali Exsistentia cogitet: ubi simpliciter de Exsistentia loquitur, ejusmodi circumloquutione opus non erat.

11. Exsistentia autem Modus est simplicissimus, qui continetur in ideis omnibus, aut potentialis, aut actualis. Nihil intelligimus quod non actu sit, aut saltem esse posse animo concipiatur; contradictoriorum enim nullæ sunt prorsus ideæ.

12. Ceterùm Metaphysici Essentiam & Exsistentiam aiunt distingui *ratione ratiocinatâ*; quòd cùm una sine altera intelligi nequeat, attamen potest Ens quatenus exsistens animo versari à nobis, de ejus Essentia non cogitantibus; & quatenus Essentia quadam præditum, licèt distinctè non adsit Exsistentiæ abstractè consideratæ idea.

CAPUT V.

De Duratione, ejúsque generibus.

1. QUando cogitamus de Exsistentia in genere, per abstractionem, deinde eam quasi aliquamdiu durantem consideramus; tum obversatur animo nostro idea *Durationis*, quæ proinde nihil aliud est, quàm *continuatio Exsistentiæ*. Potest quidem abstractione intelligi momentum unicum, in quo nulla sit duratio, seu continuatio Exsistentiæ; sed tunc simplicem Exsistentiam, sine durationis consideratione, animo intuemur.

2. Duratio autem dividitur in durationem *finitam*, & *infinitam*. Finita est, quæ initium & finem habet, qualis est Accidentium, seu Modorum duratio; etenim incipit subinde novus esse aliqua in re Modus, qui postea desinit, quod in Plantis & Animalibus potissimùm observare est.

3. Duratio infinita duplex eſt. Vel initium ei fuit nullum finem habituræ, vel utroque caret. Ita novimus quidem Subſtantias, exceptâ unâ, initium habuiſſe; ſed iis ullum eſſe finem non videmus. Subſtantia, quæ ſemel alias exſiſtere voluit, fortè eam voluntatem ſuam numquam eſt mutatura; adeò ut ne unica quidem fortaſſe ſubſtantia finem ſit habitura. Saltem hoc de Animis hominum, ex divina revelatione, eſſe decretum ſcimus.

4. Duratio infinita ab initio, & à fine, ſeu quæ utroque caret, ſoli convenit Deo. Omnia enim ab eo procreata ſunt, adeóque initium exſiſtentiæ ſuæ acceperunt; quod probari facilè poteſt, ſed non eſt hujus loci.

5. Scholaſtici, poſt veteres * Platonicos, contendunt eſſe alterum diſcrimen, inter durationem quæ Deo tribuitur, & eam quæ convenit Creaturis. Nempe, ſecundùm eos, duratio Creaturarum conſtat partibus ſibi invicem ſuccedentibus; ſed duratio Dei omni ſucceſſione caret; unde à *Boethio* definita eſt: † *Interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.*

6. In hanc ſententiam delapſi videntur Platonici, & qui eos ſequuti ſunt, quòd immutabilitati Dei repugnare, ejus exſiſtentiam non omnem ſimul eſſe, exiſtimarent; quippe qui amiſiſſe partes præteritas, poſſidere præſentem, futuras poſthac habiturus alioqui videretur. Ceterùm quando ab iis quæritur, quî Naturam durare, & exſiſtentiæ ſucceſſivæ Creaturarum coëxſiſtere ſine ſucceſſione capere queant? rem eſſe fatentur quæ non poteſt intelligi, & imbecillitatem noſtram ſuperat.

7. Verùm ſi agnoſcamus, ut omnino oportet, Deo ab omni æternitate ineſſe omnes omnium rerum proprietates, neque ullam accedere aut decedere, ut perfectior aut minùs perfectus evadere queat; denique exſiſtentiam Dei per ſe eſſe prorſus neceſſariam, ut repugnet eum deſinere eſſe; Si, inquam, hæc agnoſcamus, quæ evidenter poſſunt probari, quid Deo detrahetur, ſi ſucceſſio in ejus

 dura-

* Vide *Platonem in Timæo.* † *Conſolat. Philoſ. L.* V. *Proſ.* VI.

duratione, quæ aliter non poteſt intelligi, eſſe dicatur?

8. Is Dei immutabilitati detraheret, qui Deum adquirere aut amittere quaſdam perfectiones ſeu proprietates, aut poſſe interire, adfirmaret; ſed qui utrumque negant, ii immutabilem Deum prorſus agnoſcunt. Ea ſucceſſio in duratione, ſi in ſe & abſtractè conſideretur, cùm ſit tantùm denominatio quædam externa, quæ rei nihil detrahit neque addit, nihil imperfectionis involvit.

9. In Creaturis quidem ſucceſſio eſt cum aliqua imperfectione conjuncta; quia dum ſeneſcunt, quampiam proprietatem aut adquirunt, aut amittunt. Sed ſi neutrum fieret, ideò imperfectæ non conſerentur. Itaque neque in Deo, ſi modò id quod diximus teneamus, propterea erit ulla imperfectio.

10. Agnoſcendum etiam eſt, nos non poſſe Dei durationem, ut noſtram, repetitione dierum, hebdomadum, menſium, annorum, ſæculorum, &c. metiri; nam cùm prorſus initio careat, in æternum repeterentur annorum myriades, priuſquàm exhauriretur. Neque ſi in aliqua immenſæ illius durationis parte, qualis ea eſt quæ ab initio mundi ad hunc uſque diem porrigitur, diſtinguerentur à nobis dies & anni, poſſent illi dies, illíve anni aliter, quàm reſpectu noſtri, numerari. Partes etiam quæ accedunt, non augent infinitam durationem, quæ jam præteriit; neque enim magis infinita fieri poteſt, quàm eſt.

11. Igitur non immeritò dixeris ideam Platonicam æternitatis, cùm revelatione non nitatur, eſſe inter ejus Philoſophi μετεωρολογήματα habendam; nec ullam eſſe rationem cur eam admittamus, cùm nullo modo intelligi queat. Fateor infinitâ illâ Durationis ſucceſſione animum noſtrum veluti abſorberi, cùm eam contemplatur adtentiùs; ſed ſi in nos deſcendamus, eò tamen animum noſtrum neceſſariò ferri, ut ita æternitatem concipiat, ſentiemus. At ea de re paullò pluribus, ubi de Finito & Infinito, ſub hujus Opuſculi finem, agemus.

12. Nihil

12. Nihil hoc in loco addemus; nisi, ut intelligatur Scholasticorum sermo, *Ævum* ab iis Durationem, quæ initium habuit sine caritura, *Tempus* verò Durationem, cui initium & finis, dici. Hoc definit Aristoteles *numerum*, seu *mensuram motûs*, *secundùm prius & posterius*; quâ definitione videtur respexisse ad motus Astrorum, Solis potissimùm & Lunæ, quorum Periodi numeratæ tempus constituunt. Verùm hoc tempus potiùs est mensura externa Durationis, quàm ipsa Duratio; quæ non minùs haberet partes, quarum aliis aliæ succedunt, si Astra nulla essent. Pro hac *Ævi* & *Temporis* distinctione, in *æviternas* & *temporales*, Naturas creatas dividunt.

CAPUT VI.

Observationes de Durationis Mensura, & Axiomata de Exsistentia seu Durationis initio, ejúsque continuatione.

1. POstquàm de Duratione in genere ejúsque generibus, prout à Metaphysicis distingui solent, egimus; ad alia properandum esset, nisi hîc quædam observatu non indigna animo nostro sese objicerent, quibus Caput singulare tribuendum censuimus.

2. Diximus à nobis Durationis formari ideam, ubi de Exsistentiæ nostræ continuatione cogitamus; præterea continuationis Exsistentiæ nostræ ex cogitationibus, quas sentimus perpetuò aliis alias succedere, nos nobis esse conscios observandum. Quicumque in se descendet, veluti quamdam idearum pompam, sine intermissione, coram Intellectu transire, saltem dum vigilat, sentiet. Eamdem prorsus ideam, aut quæ nulla prorsus in re, nec detractione, nec additione mutetur, diu animo nostro non obversari unusquisque experiri poterit; si conetur de una quapiam re ita cogitare, ut nihil acce-

dat, neque decedat primæ cogitationi. Cùm vix per momentum id fieri queat, facilè ex perpetua illa idearum mutatione nos ſentire exſiſtentiam noſtram continuari, intelligere eſt.

3. Atque hoc etiam ex eo adparet, quod cùm idearum animo noſtro ordine obverſantium ſucceſſio deſinit, tum nullomodo nos duraſſe cogitemus; & præterlapſum tempus, noſtri reſpectu, ſit quaſi nullum fuiſſet. Ita ubi quis noctem ſine ſomnio, cujus ſaltem ſuperſit memoria, totam dormiit; interſtitium illud temporis, quod fuit inter id momentum quo ſomno oppreſſus eſt, & id quo evigilare cœpit, non animadvertit.

4. Hoc poſito, intelligimus quare qui jucundè aliqua in re tempus terunt, aut magno adfectu cuipiam labori incumbunt, iis tempus videatur breve: contrà verò qui cum calamitatibus aut doloribus conflictantur, vel cuipiam rei moleſtæ inviti operam dant, iis dies ſint longiores. Nempe, quibus gratæ obverſantur ideæ, illi eas diutiùs, ſine magna mutatione, conſiderant; quia iis, quæ nobis voluptati ſunt, quàm diutiſſimè poſſumus, immoramur. Hinc fit ut tempus cum voluptate prætermiſſum, quo pauciores ideas vidimus, brevius fuiſſe cenſeamus. Contrà, ubi moleſta idea nobis adeſt, eam fugare nititur animus, aliáſque ejus loco ſubſtituere; illi detrahit, addit, & varia irrequies verſat, propter dolorem aut moleſtiam, in quibus adquieſcere non poteſt. Atque inde fit ut dormire nequeant qui dolent, & longiſſimas noctes, dum ſe jactant per lectum, experiantur. Immenſa illa idearum copia, quæ incredibili rapiditate animum, ut ita dicam, cui ſe oſtentat, breviſſimo tempore prætervehitur, facit ut ſibi diutiùs duraſſe videatur, quàm alioquin exiſtimaret.

5. Huc accedit quòd, qui ideâ quæ non diſplicet, occupantur, ii de duratione ſua, vel temporis fluxu, ne cogitent quidem: contrà verò qui dolore, aut anxietate cruciantur, numerent horas & momenta, & quàm maximè tempus, quod fuit, adtendant. Priores necopinos tempus præterlabitur; poſte-

posteriores ita adficit, ut omnibus ejus momentis prætereuntibus adtenti sint. Ubi ingruit nox, auroram adparere; ubi oritur dies, advenisse vesperam optant; atque hæc illis adeò lentè sibi videntur succedere, ut horæ, diebus, eorum judicio, dies hebdomadibus æquiparentur. Hinc scitè * apud Comicum, servus, cui nox longa videbatur, hæc dicens inducitur:

Neque ego hac nocte longiorem me vidisse censeo,
Nisi item unam, verberatus quam pependi perpetem.

Ad eam anxiam temporis præterfluentis pensitationem incitantur, qui morbi quidpiam patiuntur; quia eum diu, aut semper saltem duraturum non sperant. Itaque quò longius tempus in malis sibi abiisse vident, eò se propiores secundiori valetudini putant.

6. Hac eadem de causa, qui jucundum quidpiam exspectant, illis tempus, quod interjacet inter exspectationem & fruitionem, longissimum videtur. Nimis, scilicet, præterlabentis momenta adtendentes, ea molestissimè, paucis prætermissis, numerant; atque unumquodque momentum est idea nova, ab anteriorioribus diversa, quibus anxius animus, dum præsentia essent, occupatus fuit. Imò & ei cogitationi immiscetur futurorum & præteritorum consideratio.

7. Hinc animum nostrum solum tempus non posse metiri, colligimus. Itaque si nulla alia ratio constans & immutabilis dimetiendi esset temporis, hominibus omnibus eadem; numquam hominibus inter se conveniret, de longitudine temporis. Infelices diutissimè viverent, felicium brevis esset vita. Exclamarent omnes, cum *P. Syro*: *O vita misero longa, felici brevis!* Exspectans temporis spatium longissimum diceret, quod in fruitione alicujus rei jucundæ breve vocasset.

8. Verùm commodùm nobis à Deo datæ sunt Solis & Lunæ Periodi constantes & immutabiles,

 ut

* *Plaut. Amphit. Act. I S. 1.*

ut ſaltem in iis memoratu dignam inconſtantiam animadvertere nequeamus; quibus omne ævum metiremur. Igitur motus eorum Aſtrorum non ſunt tempus ipſum, ſed menſura temporis, ut jam obſervavimus. Quævis alia conſtans cujuſpiam rei revolutio eumdem uſum præſtitiſſet; ut ſi Solis diſcus conſtanter creſcere ac decreſcere certis intervallis videretur, aut aliquid ſimile fieret.

§ 8. *Solis & Lunæ*, &c] Rectè *Plato*, interprete *Apuleio* Lib. 1. de ejus doctrina, obſervavit: *Dies cum noctibus menſium ſpatia complere, menſes viciſſim annorum orbes involvere: nec prius quàm ſigna hæc in luce ſiderea ardere cœperunt, iniri potuiſſe temporum numeros. Periturum quoque eſſe obſervationem computationis hujus, ſi hic olim chorus antiquus ſteterit.*

9. Hiſce de tempore, ejúſque dimetiendi ratione, traditis; obſervandum præterea eſt temporis partes, ſeu in infinitum dividi queant, ſeu tandem in indiviſibilia reſolvantur momenta, nullo neceſſario vinculo eſſe connexas, niſi reſpectu rei quæ neceſſariò eſt. Ex eo quod Creatura nunc eſt, non ſequitur eam poſt aliquot momenta futuram; ſed alia eſt Deo ratio. Cùm neceſſariò ſit, & repugnet eum non eſſe, momenta ejus exſiſtentiæ ita ſunt connexa, ut dato uno dentur reliqua. Atque hoc eſt maximum, inter Creaturarum & Creatoris exſiſtentiam, diſcrimen.

10. Hinc colligunt Philoſophi nonnulli, ſi Creaturæ durent aliquamdiu, id non fieri vi propriâ earum exiſtentiæ, quæ ſit per ſe indiſſolubilis; ſed voluntate ejus, qui primum exſiſtendi momentum illis conceſſit. Quemadmodum enim quando Deus voluit Creaturas exſiſtere, fuerunt: ita eodem volente ut porrò eſſe pergant, ſunt, eodémque nolente, non eſſent.

11. Ut autem Creaturæ vi ſuâ ſibi exſiſtentiam conſervare non poſſunt: ita nec quidquam per ſe è nihilo, ut ita dicam, emergere & ſibi exſiſtendi initium dare poteſt. Atque hoc Metaphyſici expreſſerunt Axiomate: *Ex nihilo nihil fit*; quod non eſt contrarium ſententiæ Theologorum, qui Mundum ex nihilo creatum volunt. Mundus enim ab

his

his non dicitur per ſe è nihilo emerſiſſe, quandoquidem à Deo, in quo tanquam in cauſa priùs erat, creatum eum contendunt. Sed factum aiunt *è nihilo*, quòd cùm Mundus nondum extra Deum eſſet, adeóque nihil eſſet, volente Deo exſtiterit.

§ 11. *Ex nihilo nihil*] Hoc axioma ſic expreſſit *Plato* in Timæo: *πᾶν τὸ γιγνόμενον ὑπ' αἰτίας τινὸς ἐξ ἀνάγκης γίγνεσθαι, παντὶ γὰρ ἀδύνατον χωρὶς αἰτίου γένεσιν σχεῖν.*

12. Eſt alterum Axioma, circa exſiſtentiæ ſubſtantiarum finem: *in nihilum nihil*, quo Metaphyſici, ex quo ſemel aliqua eſſe cœpit ſubſtantia, eam in nihilum naturâ ſuâ non redire ſignificant. Atque hac in re duplex eſt Philoſophorum ſententia; alii enim putant ut ſubſtantia in perpetuum ſit, oportere tantùm ut Deus ei exſiſtendi initium ſemel faciat, eámque porrò eſſe vi naturæ à Deo acceptæ. Alii verò, ut diximus, quoniam partes exſiſtentiæ Creaturarum nullo neceſſario vinculo ſunt connexæ, contendunt oportere accedere Dei voluntatem, ut eſſe pergant. Verùm hæc ſunt abſtruſiora, quàm ut de iis judicium certum ferri queat. Hoc dumtaxat certò adfirmari poteſt, eum ſolum qui ſubſtantiis exſiſtentiam primùm dedit, poſſe eamdem eis eripere; nam ut factum eſt ut Deo ſolo volente, exſtiterint: ita Deo ſolo nolente, eſſe diutiùs non poſſent.

§ 12 *Tempus verò*, &c] Eleganter etiam tempus, prout certis menſuris dividitur, definiit *Cicero* Lib. I. de Invent. cap. 26. his verbis: *tempus eſt pars quædam æternitatis, cum alicujus annui, menſtrui, diurni, nocturnive ſpatii certa ſignificatione.*

CAPUT VII.

De Toto & Partibus.

1. TOtum denominatione externâ id dicitur, cui nihil ad id præſtandum, ad quod comparatum eſt, deeſſe cenſetur. Ita tota domus eſt, cui ad omnes uſus domûs præſtandos, nihil deeſt. *Pars*

verò

verò dicitur id quod intelligitur factum, ut alteri rei conjungeretur, quò usus, quibus aptum est, omnes præstare possit. Conclave pars est domûs, qui omnes usus quibus destinatum est, nisi domui conjungatur, præstare nequit.

2. Omnia porrò Entia, in quibus partes esse intelliguntur, seu propriè, seu minùs propriè dictæ, possunt dici *Tota*; atque ejusmodi sunt omnia quæ novimus Entia, exceptis simplicissimis, quæ sensationibus animadvertimus, aut abstractione intelligimus. Unum porrò idémque Ens potest esse Totum, & pars simul. Totum respectu quorumdam usuum, pars respectu aliorum; ut Conclave dicitur Totum, respectu partium Conclavis, quando nulla earum deest, quæ postulantur ad integrum Conclave constituendum. Idem respectu totius domûs, quam solum constituere nequit, pars est.

3. Metaphysici varias species Totius distinguunt, quarum præcipuas tantùm adtingemus; sunt enim quæ hìc proferunt, licèt vera, parum utilia. Primùm igitur est *Totum per se*, & *Totum per accidens:* Totum per se dicitur id quod partibus suis essentiale est, seu sine quo partes non sunt; vel quòd essentialibus tantùm partibus constituitur. Ita Totum per se *Substantia* in genere, respectu *Corporis* & *Spiritûs*, quibus essentiale est ut sint substantiæ: vel Totum per se *Homo*, qui necessariò Mente & Corpore, ut partibus essentialibus, constat. Totum verò per accidens est id, cujus partes quasi accidentia considerantur. Sic Totum per accidens est homo, respectu albi & Æthiopis; homo enim potest in album, & nigrum dividi, quæ sunt accidentia, non partes hominis essentiales.

4. Totum per se rursus quadruplex est, *Logicum, Metaphysicum, Physicum* & *Mathematicum*. I. Totum Logicum dicitur idea Universalis, quæ sub se alias continet; ut Genus & Species. Generis partes sunt species inferiores; speciei infimæ partes, individua. Figuræ in genere partes sunt species omnes figurarum: unius infimæ speciei partes sunt omnes individuæ figuræ; ut, *trianguli isosceli* omnia

triangula

triangula isoscela. II. Totum Metaphysicum constat Genere & Differentiâ, ut quando in re quapiam duo considerari posse dicuntur, unum quod est ei commune cum rebus ejusdem generis; alterum quod eam ab omnibus aliis distinguit. Hoc respectu, Circulus dici potest totum Metaphysicum, si consideretur quatenus constat ideâ generali *Figuræ*, hoc est, rei quæ lineis finitur, & ideâ speciali rei cujus circumferentia undequaque æqualiter à centro distat. III. Totum Physicum dicitur quod constare intelligitur partibus, quarum una alteri inhæret, ut forma dicitur inesse materiæ. Ita globus cereus constat cerâ, quasi materiâ, & figurâ sphæricâ, quæ inest Ceræ. Hæc dici possunt *partes Physicæ* globi cerei. IV. Totum Mathematicum est quod habet partes extra partes, realiter distinctas, & quæ seorsim esse possunt. Ita Corpus dividi potest in partes, quæ etiam seorsim erunt. Hoc Totum vocatur etiam *totum integratum*, & partibus *integrantibus* constare dicitur. Aliis quoque nominibus indigitantur reliqua Tota, quæ modò diximus; at ea nomina, brevitatis causâ, ut & alias subdivisiones Totius, omittimus.

5. Duo Axiomata ad Totius naturam pertinent. Unum est *Totum esse majus suâ parte*, seu *Partem esse minorem Toto.* Alterum est, *Totum idem esse cum partibus omnibus collectim sumtis*, nam ex omnibus partibus conjunctis constat Totum. Hæc Axiomata longiore interpretatione non indigent.

6. In hisce generalibus numquam peccatur; sed quod causam esse hominibus omnium malorum, * priscus dixit Philosophus, idem innumerorum errorum fontem meritò dixeris. *Notiones communes rebus singulis aptare nesciunt.* Qui utilitates proprias, exempli causâ, communibus totius Societatis præferunt, ii non ignorant *partem minorem*, adeóque *minoris momenti esse toto:* sed præ adfectu verissimum, vel ipsis judicibus, Axioma rebus suis non aptant.

* *Epictetus apud Arrianum Lib.* III. c. 26.

CAPUT VIII.

De Supposito & Persona.

1. IN antecedente Capite, Totum & Partes contemplati sumus, cui materiæ valde adfine est quod à Metaphysicis traditur de *Supposito* & *Persona*; nam hæc quoque Tota quædam sunt, & eo respectu à Metaphysicis considerantur.

2. *Suppositum* vocant *id quod neque est pars, neque adjunctum alterius rei.* Ita *suppositum* est Canis, aut quodvis aliud animal, quod neque est pars alterius animalis, neque illi inhæret. Suppositum caput, aut crus, aut aliud membrum, quòd sit pars totius, dici nequit. Suppositum etiam non est rotunditas capitis, aut figura totius corporis, quòd sint adjuncta substantiæ. Ejusmodi autem Entia dicuntur *incompleta*.

3. *Suppositalitas*, seu id quo fit ut aliquid Suppositum vocetur, dicitur etiam vulgò *subsistentia*, & Supposita adfirmantur *subsistere*; dum Entia incompleta, quæ Supposita non sunt, subsistentiâ propriâ prædita esse negantur. Ita *caput*, *pes* animalis in se non subsistunt, sed in animali; cùm animal propriâ præditum sit subsistentiâ.

4. Suppositum dividitur in duo genera; sunt enim Supposita *intelligentiâ destituta*; sunt quæ *intelligunt*. Hæc propriè vocantur *personæ*; & ejusmodi sunt *homines*, *Angeli*, *Deus*. Itaque Persona definitur *Suppositum intelligens*.

5. Diffident Metaphysici de natura Suppositalitatis, & in varias eunt sententias, quas non referemus. Quidquid dicant, Suppositalitas aut Personalitas sunt denominationes externæ; quæ significant potiùs Relationem, cum qua Ens consideramus; quàm quidquam quod rei aliquid addat, si accedat; aut detrahat, si dematur. Hinc fit ut immutata prorsus rei natura amittat, aut adipiscatur Suppositalitatem. Ita gutta aquæ, dum seorsim est ab omni alia, eatenus est Suppositum; sed si alteri

misceatur,

miſceatur, perit utriuſque propria Suppoſitalitas, exſurgitque tertia quæ ad majorem aquæ guttam pertinet. Rurſus, ſi hæ guttæ ſejungantur, utraque denuò propriam recipit Suppoſitalitatem. Eadem eſt ratio plantarum & animalium, quæ dum ſeorſim exſiſtunt, Suppoſita ſunt; ſi verò ita conjungerentur, ut plures plantæ unum corpus, quod eodem ſucco, per communes tubos fluente, aleretur; útque plura animalia machinam unam conſtituerent, deſinerent eſſe ſingula ſuppoſita.

6. Hæc doctrina quando & quem in uſum ſit inventa, ſi quis quæſiverit, reſponſum accipiet ad uſum quod adtinet, eum unicè eò ſpectare, ut abſtractas quaſdam ideas nominibus certis adpellemus. Nihil enim de natura intima Suppoſitorum ampliùs novimus, ubi didicimus ea *ſuppoſita* aut *perſonas* vocari; ſed hinc quibus vocibus, certo quodam reſpectu conſiderata, adpellari queant, diſcimus. Neque hoc incommodum eſt, poſtquàm uſu Scholarum invaluit, ut de ejuſmodi reſpectibus ſermones inter homines eſſent; quem uſum induxit paullatim hominum, circa divina potiſſimùm, curioſitas.

7. Ad tempus quod ſpectat, quo ejuſmodi voces primùm inventæ ſunt, id non poteſt certò definiri. Hoc tantùm conſtat de earum in quæſtionibus Theologicis uſu, *Platonicos*, præſertim qui poſt Chriſtum vixerunt, cœpiſſe dicere eſſe * varias ὑποστάσεις divinas, eáſque ſeorſim conſideratas ὑφιστᾶναι *ſubſiſtere*. Apud hoſce Philoſophos ὑπόστασις, duplici ſenſu ſumitur. 1. *Exſiſtentiam* abſtractè conſideratam, ſeu *ſubſiſtentiam*, quâ res ſeorſim ab omni alia ſubſiſtit: 2. Rem ipſam quæ ita ſubſiſtit, ſeu exſiſtit: hoc eſt, *ſuppoſitalitatem* & *ſuppoſitum* ſignificat.

8. Cùm autem Chriſtiani ceteris omnibus Platonicam præferrent Philoſophiam; quod magis ad Chriſtianam Religionem accedat quàm ceteræ; ubi de Patre, Filio & Spiritu Sancto, item de Chriſto cœperunt diſceptare, libenter his vocibus uſi ſunt, quibus poſtea Scholaſtici ſequentium ſæcu-

* *Vide Plotinum Enead.* V. *L.* 1.

ſæculorum, qui omnia ſubtiliùs perſequuti, alias addiderunt.

9. Dixerunt in Deo uno tres eſſe ὑποστάσεις, ſeu *perſonas*, quod duplicem ſenſum capit; nam poteſt ſignificare, ſubſtantiam divinam communem eſſe tribus Naturis numero diverſis, quales ſunt *Petrus*, *Joannes* & *Paulus*; ſed ad unicam ſpeciem pertinentibus; aut, eſſe unicam numero eſſentiam, ſeu naturam tribus diverſis modis ſubſiſtentem, ſeu in qua ſint tres perſonæ, quarum una neque eſt pars, neque adjunctum alterius. Prior fuit ſententia Platonicorum, poſterior Scholaſticorum. Sed ut Platonicorum ſententia poteſt intelligi: Scholaſticorum doctrina capi nequit.

10. Poſtquàm coorta ſunt diſſidia de Chriſti Naturis, alii dicebant in Chriſto duas eſſe *Perſonas*; hoc eſt, duas Naturas exſiſtentiis diſtinctis præditas, divinam & humanam; alii eſſe unicam *Perſonam*, ſeu duas illas Naturas conficere unum Suppoſitum, quòd Naturæ humanæ non eſſet peculiaris ſubſiſtentia, ſed ſubſiſteret in Divinitate.

11. In homine quidem, qui duabus Naturis conſtat, Mente & Corpore, duæ illæ Naturæ ita concurrunt in unum compoſitum, ut *ſubſiſtentia* communis utrique pariter conveniat. Sed propter diſſimilitudinem, quæ eſt inter Divinam & humanam naturam, Theologi paria tribuere Divinitati & Humanitati Chriſti nolentes, dixerunt Divinam Naturam ſuam æternam Perſonalitatem retinuiſſe, atque huic Naturæ adjunctam fuiſſe humanam Perſonalitate carentem, quæ proinde in Divinitate ſubſiſtit.

12. At cavendum monent ne credamus humanam naturam ſubſiſtere in Divinitate, ut adjuncta alia ſubſiſtunt in rebus creatis. Exempli cauſâ, crines in homine ſunt adjunctum, quod adhæret corpori hominis, quaſi implantatum, atque in eo ſubſiſtit. Humanitas non ita ſubſiſtit in Divinitate, quæ dicitur ſuſtentare humanitatem, modo quodam quem non capimus.

13. Litem movere Scholaſticis nolim, propter meras voces, quibus ſanè licet, prout volunt, utantur;

tur; sed iis non uti, hoc in negotio, præstitisset; quoniam cùm, ipsis fatentibus, res de qua proferuntur ignota sit, vereri debuissent uti verbis, quorum significationes ignorant, & ut ne satis idoneis nominibus res ἀκαταλήπτους exprimerent.

CAPUT IX.
De Causa & Effectu.

1. CUM omnia Entia possint instar *Causæ*, aut *Effectûs* considerari, hac de re etiam agunt Metaphysici. Causam definierunt *principium cujus vi res est*, quæ definitio parum erat necessaria; quandoquidem vox *principium* non est clarior voce *causa*, quâ solo usu satis notum est designari id quo fit ut aliquid sit. Effectum etiam obscuriùs *causatum* vocantur, *idque quod per causam est* definiunt.

2. Causa potest considerari concretè, cum tota sua natura, vel abstractè quatenus est causa; unde nascitur idea *causalitatis*, quæ est relatio quæ intercedit inter causam & causatum; quæ relatio nititur actione causæ, quâ gignitur effectus.

3. Ceterùm causarum varia sunt genera, quorum hæc quatuor præcipua censentur: *Materialis*, *Formalis*, *Efficiens*, & *Finalis*. *Materialis* causa est ipsa materia, seu id quo constat res aliqua; ut lutum, quo vas conflatum est. *Formalis* est forma, quâ accedente, materia ita disponitur, ut res formâ suâ individuâ ab omnibus aliis rebus, etiam ejusdem speciei, differat. *Efficiens* causa est, quâ fit ut materia accipiat formam; sic figulus lutum ita format, ut certæ figuræ, certíve coloris vas effingat. *Finalis* est finis, quem sibi proponit Causa intelligens, quando aliquid adgreditur; neque enim est intelligentis Causæ, sine fine sibi proposito, agere.

4. Veteres Peripatetici, qui crediderunt, aut mundum ipsum, aut saltem ejus materiam initio carere; in causa efficiente nihil, præter dispositionem materiæ, seu immissionem formæ in materiam agno-

agnoverunt. Sed Scholastici Christiani addiderunt esse unicam causam efficientem, quæ ipsam materiam eduxisset è nihilo; nempe, Deum. Meritò materiæ, in qua nihil videmus præter extensionem, divisibilitatem, impenetrabilitatem, seu soliditatem; quæ semet ipsa non movet, neque ullam dispositionem per se induit; quæ non intelligit, neque se ipsa novit; meritò, inquam, materiæ æternitatem tribui non posse statuerunt. Nam carere prorsus initio proprietas est, quæ multò majoris est momenti, quàm intelligere, & movere; neque, si materia æternitatem haberet, ullo modo quare proprietatibus minoris momenti destitueretur intelligimus. Fatendum tamen simplicis extensionis initium nos non satis animo adsequi. Intelligere enim nitentibus, quid ante mundum hunc adspectabilem fuerit, non substantia modò cogitans, sed extensio quædam corporibus seu solidis destituta, ac sine limitibus obversatur, quam frustra amoliri conemur.

5. Ceterùm variæ adferuntur causarum cùm Efficientis, tum Finalis divisiones, quas unâ serie recensebimus; quod hìc tantùm de vocibus, ex usu aut vulgari, aut Scholastico definiendis, sermo sit.

I. Est causa *Physica*, quæ verè & per se gignit effectum; ut quando causa movens immotam antea materiam, suâ vi, movet.

II. Causa *Moralis* non ipsa agit, sed occasio est propter quam, secundùm ordinem naturæ, aliquid fit; aut impellit aliam causam Physicam, ad agendum. Ita absentia *Naucleri* dicitur causa naufragii navis, non quòd is navem submerserit; sed quia si adfuisset, ut adesse eum oportuerat, submersionem impediisset. Qui suadet homicidium, nec occidit ipse manu suâ, causa est moralis, ob quam aliquis interficitur.

III. Est *Totalis* & *Partialis* causa. Prior gignit sola totum effectum, ut causa motûs, quæ sola facit ut corpus moveatur; posterior conjunctim cum alia agit, ut si, vento velum impellente, præterea

terea remis navis agatur; ventus & impulsio maris causæ erunt motûs navis partiales.

IV. Est causa *Principalis* & *Instrumentalis*, quarum prior per se agit in instrumentalem, ut instrumentalis, quæ alioquin actura non erat, effectum, quem vult principalis, edat. Artifex, qui malleo aliquid peragit, est causa principalis, malleus instrumentalis.

V. Non multùm à præcedente Causæ distinctione, abludit distinctio in *mediatam* & *immediatam*; cùm posterior dicatur causa cujus vis, nullâ aliâ interveniente, effectum gignit; prior quæ, non nisi interventu alterius, eum edit. Ita Nauclerus agit in navem, interposito gubernaculo; gubernaculum verò immediatè navem dirigit.

VI. Est causa *per se*, & causa *per accidens*: Prior est quæ gignit effectum quem cupit, si sit intelligens, aut cui comparata est, si sit intelligentiâ destituta. Ita causæ per se characterum chartæ illitorum sunt vir, qui vult scribere, penna, atramentum, &c. Causa per accidens est quæ contra voluntatem, aut destinationem naturæ agit; ut si quis medicamento, sed extra tempus propinato, ægrum interficiat.

VII. Deus est causa *Prima*, creaturæ verò *Secundæ*; quòd priùsquam hæ egerint, à prima causa eas, cum omnibus proprietatibus suis, procreari oportuerit.

VIII. Sunt *causæ subordinatæ*, quæ non possunt sine superioribus causis agere. Ita Causas omnes secundas aiunt esse subordinatas primæ; quòd sine ejus concursu agere posse negentur, qua de re in *Pneumatologia* dicemus.

IX. Causa *universalis* dicitur Deus, *particulares* Creaturæ; quòd ille universa procreaverit Entia, & ea conservet; hæ verò nonnisi in res particulares agant. Simili ratione generaliores causæ possunt, specialiorum respectu, universales dici.

6. Hæ sunt præcipuæ distinctiones Causarum, quibus alias addere haud difficile esset, si id alicujus usûs foret. Satis erit summatim observasse,

unam

unam eamdémque rem posse esse interdum Causam alicujus effectûs, variis modis; ideóque distinctiones modò adlatas non esse eo animo à nobis recensitas, quasi Metaphysici existimarent semper uno respectu causam eo nomine adfici; sed perspicuitatis tantùm, & ordinis causâ.

7. Vix opus est monere, unicuique causæ respondere ex adverso suum effectum, ac proinde totidem Effectuum species posse distingui, ac Causarum; hæc enim manifestò sunt correlata, ut posito altero ponatur alterum.

CAPUT X.

Axiomata Metaphysica de Causa.

1. POstquàm Causarum varia genera recensuimus, superest ut quædam Axiomata, circa Causas, hîc proponamus. Pertinent ea ad Causas efficientes, & quidem totales & immediatas, quæ propriè dictæ Causæ: & tria potissima sunt.

2. Primum est, *inter Causam propriè dictam & effectum, oportere esse necessarium nexum*; adeò ut, positâ actione causæ, sequatur necessariò effectus. Cùm Deus vult aliquid efficere, id necessariò eveniat oportet; quia cùm Deus sit omnipotens, nec ullo ullius rei subsidio indigeat ad agendum, positâ ejus solâ actione, necessariò sequitur effectus.

3. Quia autem ejusmodi nexus non cernitur inter causas creatas & effectus, nonnulli causas secundas, seu creatas, suâ vi agere negarunt. Negant corpora à corporibus moveri, quòd inter motum corporis, & motum eorum in quæ incidit, nullus deprehendatur nexus; adeò ut moto corpore A, necesse sit moveri corpus B, cui colliditur. Iidem quoque negant corpora à spiritibus moveri, quia inter voluntatem spirituum & motum corporum nullam connexionem animadvertunt.

4. Fatendum à nobis hujusmodi connexum nullum cerni, nec sequi ex eo quòd corpore moto id, in

in quod incidit, movetur; aut ex eo quòd mente volente, corpus agitatur, corpora, & mentem esse veras motûs causas. Fieri posset, ut occasiones tantùm essent, quibus positis, alia causa ageret. Verùm sicuti, ex ejusmodi possibilitate, non collegeris rem ita se habere: ita nec eò quòd non adsequeris aliquid, consequens est ut nihil sit; nisi aliunde probaveris tibi esse earum rerum, de quibus agitur, adæquatam ideam, aut rem repugnare.

5. Possunt inesse corporibus motis, & spiritibus facultates ignotæ, de quibus judicium nullum, aut negando aut adfirmando, ferre possumus. Itaque ex æquo peccant, qui adfirmant inesse iis certò facultates efficiendorum quorumdam, quæ an ab iis fiant, ignorant: & qui negant quidquam inesse corporibus & spiritibus, quod non in iis perspicuè norunt.

6. Secundum Axioma, de Causis, hoc est: *Causam esse priorem effectu*, quod Metaphysici cùm de prioritate *naturæ*, tum de prioritate *temporis* interpretantur. Aiunt enim esse causas, quæ non sunt citiùs quàm effectus, ut sol non est luce suâ prior. Talia sunt quæcumque necessario & naturâ suâ aliquid gignunt; non enim prius est ea natura, quàm effectum necessarium edat. Sunt aliæ causæ, quæ priores sunt effectibus suis, etiam tempore; qualis est Mens, exempli causâ, respectu cujuspiam cogitationis. Atque hujusmodi sunt omnes causæ liberæ, & quæ necessitate naturæ non agunt.

7. Tertium Axioma est: *Nihil esse in effectu, quod non sit in causa*, seu *neminem dare quod non habet*. Hoc evidentissimum cùm sit, conceptum est etiam iis verbis quæ explicatione non indigent; adeò ut omnes statim ei intellecto adsentiri necesse sit.

8. Quidam addunt Axiomati voces: *eminenter*, *aut formaliter*, aiúntque omnem effectum inesse causæ suæ propriè dictæ alterutrâ ratione: aut *formaliter*, qualis in se est, ut nigror, qui inest atramento, chartæ illitus est formaliter in atramento, ut postea in charta adparet: aut *eminenter*; hoc est, modo quodam præstantiore, adeò ut quod est in effectu

effectu contineatur in eo quod fuit in causa, ut *minus* in *majore*. Ita dicunt in Deo, qui est omnium substantiarum causa, contineri substantiam spiritualem & corpoream. Cùm Mentes intelligentes creaverit, ipse etiam intelligit, sed excellentiore ratione. Cùm corporeas naturas genuerit, earum proprietates omnes reales ei inesse oportet; sed sine imperfectionibus, quæ in corporibus sunt.

9. Alii ipsum Axioma, non rationibus, sed exemplis oppugnant; quibus id interdum inesse effectui, quod in causa nullo modo est, constare putant. Dicunt è luto, à Sole Insecta gigni, quæ vivunt; cùm neque Sol, neque lutum ullo modo vitam in se habeant. Verùm præterquàm quòd non definiunt clarè quid *vitam* vocent, adsumunt quod nullo modo probare possunt. Insecta enim ex luto à Sole calefacto non nasci, probarunt nostri sæculi Physici.

10. Verùm tamen, licèt Axioma abstractè & generaliter consideratum verissimum illico videatur, nec ulla objiciantur exempla, nisi solutu facilia; fatendum à nobis non intelligi quomodo in Deo sint simul proprietates reales omnium Creaturarum, seu eas omnes quæ aliquid Entitatis involvunt. Ut Dei probare exsistentiam, seu ostendere esse aliquam Causam omnium rerum æternam facile est: ita naturam ejus Causæ introspicere mortalium non est. * *Cùm ad illum mentis humanæ intentio & acumen, & memoria pervenerit; quasi subductis & consumtis omnibus viis, subsistit, hæret, deficit: nec est aliquid ulterius, quo progredi possit.*

11. Neque in augusta illa Natura, ex qua ceteræ omnes profluxerunt, sola eam difficultatem experimur; sed & plurimarum aliarum substantiarum exsistentiam & aliquot proprietates demonstramus; dum subjectum ipsum, cui proprietates inesse oportet, tenebris nullâ ingenii luce collustrandis obvolutum manet, & manebit, ut alibi ostendimus.

12. Hinc veritatem Axiomatum Metaphysicorum, non pendere ex aptatione eorum quibusdam [illegible] singula-

* *Lactant. Lib. 5. de Fals. Relig. §. 7.*

ſingularibus Naturis colligere eſt; quoniam non minùs vera ſunt, licèt aptationis ratio intelligi nequeat. Duas ideas abſtractas immediatè comparare, earùmque relationes certiſſimè cognoſcere poſſumus; unde, ſine erroris periculo, adfirmamus, omnia inter quæ eadem eſt ratio, quæ eſt inter eas ideas, iiſdem judiciis ſubjacere. Verùm, ubi ad res ipſas devenimus, qui poſſit Axioma ex abſtractis ideis collectum eis applicari, difficillimum ſcitu eſt; imò interdum nullo modo ſciri poteſt.

CAPUT XI.
De Fine.

1 CApitis IX. §. 3. inter Cauſas, *finalem* numeravimus. Metaphyſici operosè agunt non tam de Finis natura, quàm de ratione, ob quam inter Cauſas recenſeatur; dum quærunt quare *Cauſa* vocetur, quæ eſt mera diſceptatio de vocibus. Hoc vitio ſæpe laborant Peripatetici, quo traditis vocum definitionibus, quare in ſermone quotidiano aut Philoſophico iis vocabulis res deſignentur, multis docere adgrediuntur.

2. His omiſſis, obſervabimus primùm, *Finem* dici *cauſam externam cujus gratiâ res eſt.* Metaphyſici proferunt hìc etiam plurima de fine, qui non poteſt eſſe niſi quod nobis bonum aut eſt, aut videtur; & oſtendunt finem optari propter ſe, quæ verò adhibentur ad eum conſequendum, propter finem; quæ vera quidem ſunt, ſed omnibus notiſſima, & circa quæ nemo mentis compos erraverit.

3. Secundò, ſolent variæ finis claſſes conſtitui, quarum præcipuas enumerabimus.

I. Eſt finis *cujus*, & finis *cui*. Prior eſt quem ſibi proponit adſequendum is qui aliquid operatur, ut cùm Medicus ſibi ſanitatem ægrorum curæ ſuæ commiſſorum proponit. Poſterior finis eſt, in cujus gratiam prior expetitur; ut æger, cui ſanitatem reſtituere nititur, arte ſuâ, Medicus.

II. Finis

II. Finis *cujus* eſt aut *actio* aliqua, aut *opus*, aut *uſus* utriuſque. Finis Muſicæ, exempli causâ, eſt cantus; artium mechanicarum opera, ut domus Architectonicæ; finis virtutis eſt fructus, qui naſcitur ex bonis actionibus, in tranquillitate animi, & ſpe felicitatis futuræ ſitus.

III. Alius eſt finis *Artis*, alius finis *Artificis*. Finis artis dicitur, id quod arti ipſi propoſitum eſt, ſeu id ad quod tendit; ut finis Muſicæ eſt tradere leges bene canendi, & efficere, ut aliquis bene canat. Finis verò artificis eſt finis, qui nihil ad artem pertinet, ſed quem ipſe adpetit, qualis eſt lucrum, quod Muſicus quærit.

IV. Finis eſt *primarius*, vel *ſecundarius*. Prior eſt quem præcipuè ſpectamus; ut cùm veſtibus utimur, ad tegendum corpus. Poſterior, quem poſt alterum conſequi cupimus; ut quando veſtibus non tegitur modò, ſed & ornatur corpus. Poteſt etiam hæc diſtinctio paullò aliter intelligi, nimirum, ut ſecundarium finem eum vocemus, quem aliquis conſequi optat, non unà cum primario, ſed ſi primario excidat. Ita cùm aliquem vitiis deditum monemus ut redeat ad meliorem frugem, id facimus eo potiſſimum fine, ut vir probus fiat; ſin minùs, ut officio noſtro defuncti ſaltem ſimus, ne Deus à nobis rationem repetat vitæ non probæ proximi, quem emendare fortè poteramus.

V. Eſt *finis ultimus*, & *ſubordinatus*. Finis ultimus eſt qui ad ulteriorem nullum refertur, ſed propter ſe expetitur. Summa beatitudo eſt finis, ad quem referuntur omnes alii, & quem propter ſe expetimus. Sed poteſt eſſe finis ultimus omnium omnino finium, qualis eſt beatitudo, ad quam omnes noſtræ actiones tendunt: vel finis ultimus in certo genere rerum, ut domus eſt finis ultimus Architecti, qui propterea ligna ſecat, lapides, calcem, &c. comparat. Finis verò ſubordinatus eſt, qui ad ulteriorem finem tendit; ita Architectus it ad lapicidinas, ut lapides comparet; neque in eo conſiſtit, ſed comparat ut ædificet. Igitur quando dicitur iviſſe ad lapicidinas, *eo fine* ut lapides compararet,

pararet, is finis eſt ſubordinatus ultimo; exſtructioni, nempe, ædium.

VI. Eſt finis *proximus* & *remotus*, quæ diſtinctio ferè eadem eſt cum antecedente, quia finis ultimus remotus, ſubordinati proximi ſunt. Attamen hoc eſt inter eos diſcrimen, quòd in ſerie finium ſubordinatorum poſſint diſtingui proximi & remoti, antequàm ad ultimum deveniatur. Ita iturus Lutetiam, proficiſcor ut eam *Harlemum*; hic eſt proximus finis itineris; dein ſcapham conſcendo, ut eam *Lugdunum*; hic finis eſt remotior, reſpectu antecedentis, & ſic porrò.

4. Atque hæc ſatis ſupérque, ut intelligatur Metaphyſicorum, eorúmque, qui hinc vocabula mutuantur, ſermo; quò plurima, quæ hîc traduntur, ſpectant. Hîc aliquid de quæſtione multò graviore, quæ in ſæculo noſtro mota eſt, addemus. Quæritur nempe, an in Phyſica locus eſſe poſſit conſiderationi finium, propter quos Deus Univerſitatem rerum, variáſque ejus partes creavit? Occaſio quæſtionis inde orta eſt, quòd nonnulli Phyſici multa probare niterentur ex finibus Dei; diceréntque varia in rerum natura ita ſe habere, uti putabant; quia hoc eſſe oportebat, ut convenirent fini quem Deus ſibi in iis gignendis, ut opinabantur, propoſuit. Neque in Phyſica ſola, ſed in Theologia etiam ejuſmodi ratiocinationes à multis proferuntur; ut quando dicitur Deus auctoritatem ἀναμαρτητὸν inſtituiſſe in terris, quia hoc neceſſarium videtur ad dubia omnia ex hominum animis amolienda, & imperitos ad ſalutem deducendos.

5. Cùm igitur multi abuterentur ea ratiocinatione, R. *Carteſius* negavit nos *poſſe cognoſcere ullum finem Dei, in creatione Naturarum corporearum, niſi Deus eum ipſe revelaverit*; indéque hoc deduxit conſectarium, malè eos ratiocinari, qui ex finibus Dei quidquam colligerent. Verùm hoc Carteſii effatum, ita generaliter ſumtum, vix admitti poteſt. * Si enim

M ponamus

* Conſulendus hac de quæſtione Anglicus Illuſtris Viri R. *Boilæi* libellus inſcriptus: *A Diſquiſition about final Cauſes of natural Things, &c.* Londini 1688.

ponimus Deum intelligentem esse Naturam, quod sanè agnoscit *Cartesius*; quædam autem eorum quæ fecit, aptissima sint ad insignem effectum edendum, eúmque necessariò, mechanicâ suâ dispositione, edant; quis negarit Deo hunc finem fuisse, ut effectum memoratum ea res ederet? Oculi sint exemplo, qui summâ arte dispositi sunt ut eum præstent usum, quem præstant. An Deus, humani corporis auctor, oculos eum in finem creavisse non censebitur? Potest quidem fortè & alius esse oculorum usus nobis ignotus, sed hunc saltem est fatendum à Deo fuisse spectatum.

6. Verùm in eo peccarunt Physici, quòd aliquando finem Dei non ex ipsis ejus operibus collegerint; sed ex temeraria adsumtione cujuspiam finis, ad operis dispositionem, argumentati sint. Ut Sol, Stellæ fixæ, & Planetæ circa Terram, quasi centrum, agerentur; quòd omnia Terræ nostræ causâ facta sint, consequens esse dixerunt. Si ita ratiocinati essent, postquàm certis argumentis Terram in centro hujus vorticis stare immotam comperissent, potuisset ferri ratiocinatio; sed ex incertissima hypothesi, Terram immotam esse oportere, collegerunt.

7. Licet ergo Physicis ex usu necessario creaturarum, colligere Creatoris fines; non ex finibus, quos fingunt, rerum dispositiones de quibus non constat, deducere. Idem licebit etiam Theologis circa fines Dei, in administratione rerum humanarum. Quandoquidem nullum ducem habemus, præter Scripturam & Rationem, meritò Deum voluisse nos iis uti, in investiganda vera Religione, contendimus; quoniam is est earum necessarius usus, si quâ salutis tangimur curâ. Sed non est colligendum, esse Ecclesiam erroris periculo exemtam, ut servari queant idiotæ, qui non possunt veritatem examine agnoscere; quia alio quopiam modo Deus idem efficere potest; nempe, si illi simplices & indocti, pro sua cognitione, bene se gerant, eámque augere nitantur; quod facile foret ostensu, si res esset hujus loci.

CAPUT XII.
De Subjecto & Adjuncto.

1. HIC Subjectum vocatur, *id quod per se est*, seu *Substantia*; dividitúrque in subjectum *adhæsionis*, & *inhæsionis*. Prius est, cui aliquid extrinsecus adhæret, ut vestes adhærent homini. Posterius id in quo res aliqua est, ut cera cui inest figura. Hinc colligere est Subjectum vocem esse relativam, quæ involvit considerationem *Adjuncti*; quo nomine designatur *quidquid adhæret, vel inhæret cuipiam subjecto*, quo in numero sunt vestes & figura.

2. Nemo negat id quod extrinsecus rei adhæret, esse ejus naturæ, ut possit seorsim esse; est enim substantia. Sed gravis, ex quo Transubstantiatio credi cœpta est, inter Philosophos agitatur quæstio; utrum, nempe, Adjuncta inhærentia, seu Accidentia prædicamentalia possint sine subjecto cui inhærent, saltem divinâ potentiâ, esse? Qui Transubstantiationem tuentur, adfirmant; quia accidentia panis, sine pane, esse credunt in Eucharistia. Alii, quos nullum dogma Theologicum à rectæ Rationis tramite transversos egit, præfractè negant.

3. Constat utrimque Accidens dici, id quod per se non est, sed subjecto inhæret; nec posse id seorsim intelligi, nisi abstractione. Rotunditas, exempli causâ, potest quidem abstractè considerari; sed sine materia cui insit, quasi exsistens, intelligi nequit. Quantumvis nitamur, non possumus efficere ut animo nostro obversetur idea rotunditatis exsistentis, sine ulla materia cui inhæreat.

4. Cùm hoc agnoscant Transubstantiationis patroni, quod non intelligimus, nec intelligere possumus, id divinâ tamen potentiâ fieri autumant. Verùm eodem res redit, ac si dicerent, se credere à Deo aliquid fieri, quod quid sit ignorant, & cujus nulla ullo respectu idea animo ipsorum obversatur. Igitur idem credunt ac alii, sed verba eorum ideis consentanea non sunt.

5. Theologicum aliud dogma, hac in re, alterum inter Philoſophos Chriſtianos diſſidium creavit. Qui credunt Chriſti corpus eſſe in Euchariſtia, nec tamen Tranſubſtantiationem admittunt; ut tuerentur ſuam illam *præſentiam realem*, excogitarunt Ubiquitatem corporis Chriſti, quam ita à ſe probari poſſe ſperarunt. Nempe, contendunt poſt adſcenſum Chriſti, quem metaphoricè intelligunt, ejus humanam naturam ſuſcepiſſe proprietates divinas, inter quas eſt Ubiquitas. Theologica argumenta hîc non expendemus, ne limites Ontologiæ tranſiliamus.

6. Hinc nata eſt quæſtio, an proprietates poſſint communicari? Hujus quæſtionis eſt duplex ſenſus. Poteſt enim quæri, an ex re proprietas poſſit in aliam tranſire, adeò ut eadem numero proprietas, quæ inerat cuipiam ſubjecto, in alio eſſe incipiat? Huic quæſtioni reſpondent ii, qui credunt accidentia ſine ſubjecto eſſe non poſſe, ſe etiam non intelligere quî proprietas è ſubjecto in alterum tranſferri queat; quia eo momento, quo tranſiret, eſſet ſine ſubjecto. Præterea Accidens ſingulare (nam Accidens in genere non eſt) ita eſt Accidens ejus ſubſtantiæ cui inhæret, ut alterius eſſe nequeat. Exempli gratiâ, rotunditas globi, ita ejus eſt cui inhæret, ut ſine illo ſingulari globo intelligi nequeat, nec poſſit ei adimi, quin ea ſimul intereat. Ponamus, animi causâ, eſſe globum, cui ſubitò auferatur ſua rotunditas, ut in aliud corpus transferatur; eo momento, quo rotunditas deſeret prius corpus cui inerat, erit rotunditas in genere; neque enim ulli inhærebit corpori; quo nihil abſurdius excogitari poteſt. Metaphyſici, dum abſtractionibus animum ſuum adſuefaciunt, tot Entia eſſe ſeorſim exſiſtentia, quot ſunt in eorum animo abſtractæ ideæ, paullatim ſibi perſuadent; deinde ex iis Entibus componi ea, quæ vident, judicant.

7. Alter quæſtionis adlatæ ſenſus hic eſt, an duæ res naturâ diverſæ poſſint ita conjungi, ut utriuſque proprietates, non tantùm de utraque prædicentur, ſed & utrique inſint? Seu an Dei proprietates, exempli

exempli causâ, inesse possint, ut subjecto, humanæ naturæ; ânve humanæ proprietates inhærere possint Deo? Hoc adfirmant plurimi ex iis, qui viri magni *Martini Lutheri* doctrinam sequuntur; alii negant.

8. Qui aiunt, eos ante omnia oportet intelligere quod adfirmant; propositionis enim, cujus nullus est sensus, etiam nulla est fides. Non opinor autem eos intelligere, quòd in una natura Divina sint proprietates contrariæ, ut cœpisse & non cœpisse. Idem de omnibus proprietatibus divinis & humanis, quæ in humana natura esse dicuntur, judicium ferendum est. Sanè ipsi rem esse ἀκατάληπτον, hoc est, se eam non intelligere, fatentur. Itaque dum sibi aliquid credere videntur, nihil credunt, uti nec Transubstantiationis Patroni.

9. Secundò, in * memoratum incommodum incidunt; oportet enim eos dicere eadem numero adtributa divinæ & humanæ naturæ inhærere, aut transire ex una in alteram; quorum nec prius, nec posterius intelligi potest, súntque omnibus nostris cognitionibus contraria. Atque hujusmodi sunt ut plurimum dogmata Philosophica, in quæ delabimur non vi veritatis, per necessaria ex indubitatis principiis consectaria deducta; sed propter utilitatem Partium in quibus sumus, quibus expedit ea videri vera.

10. Metaphysici Subjecti & Adjuncti alias adferunt divisiones, sed quoniam nihil fermè habent dignum observatu, quod à nobis in † Logica, aut in hoc Opusculo § dictum non sit aliis verbis, & alio loco, ea prætermittemus. Eadem de ratione, quæ possent dici de identitate *, proprietatum & subjecti, non repetemus.

* § 6. † *P.* 1. *c.* 3, & 7: § *Cap.* 1. * *Log. P.* 1. *c.* 7.

CAPUT XIII.
De Necessario & Contingenti.

1. CUM nihil sit quod dici nequeat, aut necessariò esse, aut ejus naturæ ut possit non esse, ad proprietates generales Entis referri debent *Necessitas* & *Contingentia*; quarum definitiones, & genera tradere, hoc Capite, adgredimur.

2. *Necessarium* in genere dicitur, *quod non potest non esse*; cui est oppositum *impossibile*, seu quod non potest esse, de quo in sequente Capite. Necessitas porrò variè dividitur & subdividitur à Metaphysicis, quorum præcipuas tantùm hîc indicabimus sententias.

3. Necessitas ergo est vel *Exsistentiæ* & *Simplex*, vel *Coëxsistentiæ* & *Composita*. Prior est quâ aliquid ita est, ut non possit non esse; atque hæc rursus duplex est, *Absoluta* & *Hypothetica*. Deus absolutâ necessitate est, quia naturâ suâ est, & eum non esse repugnat. Creaturæ verò exsistunt, necessitate tantùm Hypotheticâ, hoc est, ponendo Deum velle eas exsistere. Nam licèt à nulla alia re creata eripi eis exsistentia possit; attamen, qui eam dedit, eam eripere potest.

4. Necessitas Coëxsistentiæ, quæ & *Cohæsionis*, dicitur, quâ res nonnullæ unà necessariò conjunctæ sunt, aut coëxsistunt. Duplex quoque est, dicitúrque vel *Consequentis* & *Naturalis*, vel *Consequentiæ* & *Hypothetica*. Necessitas consequentis est, quâ res ita conjunctæ sunt, ut numquam possint, incolumi earum naturâ, separari. Ita à triangulo non potest divelli proprietas, quâ duo latera simul sumta majora sunt tertio, quin natura trianguli pereat. Igitur necessitate consequentis, Triangulo eam inesse proprietatem necessarium est. Necessitas consequentiæ ea est, quâ duæ res naturâ suâ non conjunctæ, certo tamen tempore non possunt non conjunctæ esse; seu id à causa externa oriatur, seu quòd ita rem se habere ponamus. Ita globus, & motus

non

non sunt necessariò conjuncti, sed si vis major globum, vi non æquali ad resistendum præditum, impellat, tunc necessariò moveri dicitur. Quando etiam ratiocinando aliqua in re plura conjuncta esse ponimus, non possunt quasi divulsa considerari, nisi destruatur hypothesis; neque ullum necessarium consectarium deduci potest, nisi hæc illibata maneat. Ita posito hominem peccato deditum esse, nec per totam vitam id habere, quod necessariò postulatur ad habitum peccati exuendum; inde colligimus, necessitate consequentiæ, hominem in peccato mansurum, nec ullâ ratione vitaturum pœnas peccatori debitas impœnitenti.

5. Quamvis hîc veluti gradus quidam in Necessitate distinguantur, quorum est 1. necessitatis consequentiæ: 2. consequentis: 3. exsistentiæ hypotheticæ: 4. absolutæ; attamen effectus causarum necessariarum, quocumque tandem horum sensuum sint necessariæ, æquè necessariò & ineluctabiliter eduntur. Ita licèt peccatum non sit cum humana natura conjunctum, adeò ut alterum sine altero esse nequeat; attamen, ex adlata modò hypotheti, homo æquè necessariò & ineluctabiliter malus est, ac si malus necessitate consequentis esset.

6. Cùm porrò Jurisconsulti omnes, imò Humanum Genus universum judicet homines necessitate excusari, seu non esse reos ejus rei, quam impedire supra vires eorum est & semper fuit; necessitas consequentiæ non minus excusat, quam necessitas consequentis; neque enim magis impedire possumus effectum prioris, ac posterioris; seu, ne sit ambiguitas in voce *posse*, utrumque supra vires nostras est. Hinc colligere est illos distinctione eâ abuti, qui putant se hominem inexcusabilem facere, cùm dicunt eum esse peccatorem n ecessitate consequentiæ, non consequentis. Verùm hoc Theologicum est.

7. *Contingentia*, ut ex definitione adlata adparet, contraria est Necessitati, & posset æquè multipliciter distingui, seu dividi, ac Necessitas; verùm hoc nullius esset usûs, & facilè potest ab unoquoque

 fieri.

fieri. Quærendum eſt potiùs quibuſnam in rebus inveniri queat Contingentia, deinde an omnino ſit?

8. Subſtantiæ nobis notæ ſunt duûm generum, *corporeæ* & *intelligentes*. In rebus merè corporeis, quoad nobis notæ ſunt, certum eſt nullam eſſe contingentiam; nam agunt & aguntur, ſecundùm regulas quaſdam mechanicas, quæ ab iis violari nequeunt. Neceſſe eſt, neceſſitate conſequentiæ, minorem vim cedere majori; ideóque quotieſcumque corpus minùs firmum ad hærendum in loco, ab alio impellitur majore vi acto, minùs firmum à firmiore loco pelli neceſſe eſt.

9. Supereſt ergo ut, ſi quæ ſit Contigentia, quæratur in Naturis intelligentibus. In hiſce autem Naturis ſunt quatuor. 1. intellectio ac imaginatio: 2. ſenſatio: 3. volitio: 4. libertas. Ad hæc refertur quidquid in nobis ſentimus, quod in Pneumatologia oſtendemus. Ergo in quonam horum ſit Contingentia, videndum.

10. Quando aliquid intelligimus, aut imaginamur, id coram mente noſtra verſatur, & ita eam adficit ut eam ad ſe convertat; niſi cogitatio, ſeu idea validior aliò Mentem avertat. Statuamus nos cogitare de triangulo, tamdiu de eo cogitabimus, quamdiu nulla alia idea ſeſe Menti noſtræ offeret, quæ eam ad ſui contemplationem alliciat. Nihil eſt in ea re contingens; Mens enim eſt inſtar oculi ſemper aperti, qui omnia objecta quæ ſeſe ei offerunt, neceſſariò videt.

11. Ad ſenſationem quod adtinet, Experientiâ nobis conſtat hanc eſſe inviolatam legem, ut commoto certo modo corpore, Mens certas ſenſationes habeat. Itaque neque hîc ulla eſt contingentia; quoniam, Deo volente, ſenſationes animi ſunt cum motibus corporis inviolabili nexu conjunctæ.

12. Volitiones ſunt duplicis generis; quædam neceſſariò, & quidem neceſſitate, ut videtur, conſequentis ſunt in nobis, ut volitio quâ optamus bonum, & malum refugimus, & volitiones quibus adquieſcimus in idea diſtinctiſſima. Non poſſumus nobis infortunia optare, neque poſſumus non adſentiri

ſentiri propoſitioni evidenti. Hîc ergo nulla eſt Contingentia.

13. Aliæ volitiones verſantur circa res, quas neque bonas, neque malas nobis eſſe credimus; ſeu quæ bonæne, an malæ ſint dubitamus; aut circa quaſdam propoſitiones dubias, ſive non ſatis claras. Ad haſce volitiones nullâ neceſſitate adducimur; atque hiſce in rebus propriè ſita eſt Contingentia, quod ut clariùs appareat, paullò pluribus perſequemur.

14. Omnia noſtra judicia feruntur 1. de iis quæ *bona* vocantur, hoc eſt, quibus nobis creari poteſt voluptas, aut lætitia; vel de *malis*, aut ex quibus aliquis dolor, aliquáve triſtitia poteſt ad nos redire; & de iis quæ dicuntur *indifferentia*, quæ nec bona, nec mala ſunt: 2. de *veris* aut *falſis*, & *dubiis*, quæ ſolius contemplationis ergò conſideramus. Quidquid animo noſtro obverſatur, ad hæc duo rerum genera referri poteſt. Actiones, circa bona, aut mala, & indifferentia; contemplationes meræ, circa vera aut falſa, & dubia verſantur.

15. Ut à prioribus ordiamur, quando animo diſquirimus an facturi ſimus, quod neque bonum, neque malum eſſe putamus; exempli causâ, an ſimus domo ſeriùs aut citiùs exituri, ubi planè id perinde eſſe exiſtimamus, nec quidquam inde boni, aut mali ad nos redibit, utrumvis eligamus; cùm, inquam, dubitamus, & poſt dubitationem ſine ulla cauſa, quam proferre queamus, alterutrum eligimus, tum contingens fuit háncne horam ad exeundum electuri eſſemus, nécne. Nulla enim erat ratio, ex re ipſa petita, exeundi, aut non exeundi certo tempore; nulla quoque in nobis fuit, quæ nos invictè impelleret ad alterutrum, quandoquidem nullius nobis conſcii ſumus.

16. Igitur Contingentia primùm agnoſcenda in iis quæ ſcimus, aut nos ſcire putamus eſſe planè indifferentia. Eſt quoque in iis quæ dubitamus an nobis ſint conducibilia, nécne; hoc eſt, quæ non novimus perſpicuè nobis prodeſſe, aut obeſſe poſſe facta, aut omiſſa. Tunc enim nihil eſt, neque in

nobis, neque in re ipsâ, quod nos ad agendum, aut actionem cohibendam necessariò impellat. Sentimus nos posse, si velimus, agere, aut ab agendo supersedere; neque ullam rationem videmus, quæ nobis dubitationem eximat. Exempli causâ, est mihi negotium, in quo favore Caji, aut Titii fortasse indigeo. Priusquàm eum mihi conciliare adgrediar, oportet me judicium hoc ferre, *posse mihi favorem Titii aut Caji prodesse.* Statuamus autem me nullam rationem habere, quâ mihi certò constet eum favorem mihi conducere posse; sentio me posse judicare eorum favorem non futurum inutilem, vel contrà futurum inutilem; nullo pondere animum meum huc, aut illuc trahente.

17. Ita res habet in omnibus rebus dubiis; sed quoniam, ut in II. Logicæ Parte vidimus, sunt varii gradus dubiarum propositionum, judicia nostra sunt quoque magis aut minùs contingentia. Ubi res est maximè dubia, tunc est maximè contingens facturíne aliquid simus, an cessaturi. Ubi verò rationes sunt, quæ nos possint magis ad alterutram partem inclinare, aut adfectus, vel quidpiam simile; quamvis non sint evidentes rationes, nec adfectus, aut alia ejusmodi, ut iis resistere nequeamus; attamen judicia tunc videntur minùs contingentia, quia est aliquid quod nos ad alterutrum trahat, licèt non necessariò, quod in altera parte non est.

18. Hinc colligere est omnem Contingentiam, ubi ferendum est judicium, ex quo sequitur nos quidpiam facturos aut omissuros, pendere ex eo quòd nulla certa ratio animo obversetur, neque aliud quidquam sit; quod nos ad agendum invictè impellat, aut ab agendo deterreat.

19 Ubi ferendum judicium de re merè theoretica, unde nulla actio pendet; exempli causâ, an vivat nunc Japonensium Rex, nécne? an duæ lineæ sint æquales? ubi, inquam, ejusmodi ferendum judicium, si nulla sit ratio evidens, quæ nos in alterutrum trahat, primò quidem dubitare possumus, utrum judicaturi simus nécne; deinde, si judicemus,

mus, poteſt eſſe judicium adfirmativum, aut negativum, pro arbitrio. Igitur utrum judicaturi ſimus, nécne, in ejuſmodi caſu contingens eſt. Contingens item eſt, utrum adfirmaturi ſimus, an verò negaturi, ubi ſimile quid dijudicandum nobis proponitur.

20. Igitur Contingentia occurrit in iis omnibus ſeu actionibus, ſeu judiciis, in quibus nulla ratio evidens aut agendi, aut judicandi nobis ſuppetit. Poteſt tamen hîc aliquid objici ſolutu difficile; nempe, ut diximus, ad judicia ferenda, adeóque ad agendum, non tantùm rationibus intellectui noſtro obverſantibus, ſed etiam adfectione animi, & perturbationibus impellimur; quo poſito, videbitur quidem quidpiam contingens, reſpectu rationum, quibus ad judicandum aut agendum commovemur; non verò, ſi ſpectetur animi noſtri adfectiò. Exemplo illuſtrari poteſt hæc objectio, quo ſolutu difficilior fiet. Ponamus virum librorum amantem, qui nec animum curis ullis diſtractùm habeat, neque oculos objecto vividiore, aut alia quapiam de cauſa, averſos ſibi ſentiat à via in qua ambulat. Statuamus ei ambulanti fortè offerri ante pedes libros plurimos pulcrè compactos, quorum & argumentum & dominum ignoret; quæritur an ſit contingens eum libros illos arripere, ut videat quinam ſint, aut non arripere? Si dicatur eſſe contingens, eò quod nulla invicta ratio ejus animo occurrat, ob quam neceſſariò libris manum injiciat; inde orietur hæc difficultas, rei contingentis eventum præſtitutum eſſe; nemo enim vel minimùm dubitet, an vir litterarum ſtudioſus manum ſit libris admoturus. Si negetur eſſe contingens, ſequetur quædam non eſſe contingentia, in quæ tamen nullâ evidenti ratione, nullo invicto adfectu inclinamur, adeóque falſa eſſe quæ diximus; imò nos non poſſe judicium ferre de contingentibus, quandoquidem nulla eſt certa ratio, quâ ea dignoſcamus.

21. Huic objectioni reponimus, I. nos fateri hominum actiones & judicia non minùs ab animorum adfectione, quàm ab ideis eorum animis obverſan-

tibus

tibus fluere; II. superesse quæstionem, an ejusmodi adfectioni resistere nequeamus, nécne; vel an in nobis sit facultas cohibendæ, aut exserendæ actionis; seu ad eam animi adfectione impellamur, aut ab eadem deterreamur? III. eam facultatem, quæ *Libertas* solet vocari, non aliter posse cognosci, quàm ex nostro ipsorum sensu. Neque enim aliter an sit in nobis facultas aliqua, quàm conscientiâ, scire possumus. Non est spectandus eventus, quoniam posset in nobis esse facultas non faciendi quod facimus, aut faciendi quod non facimus. Hîc autem conscientiam eorum, qui agunt in ejuscemodi rebus dubiis, aut de incertis judicant, adpellamus, & oramus, dicant an non sentiant in se vim abstinendi actionibus & judiciis, licèt libentissimè agant, eo ipso tempore quo agunt? Si ex nobis aliorum animum æstimare licet, adfirmabunt sibi inesse ejusmodi facultatem, quam exserere possent in contrariam partem; quæ facultas nulla est, ubi de summo bono, aut veritate evidente agitur. Sentimus enim, uti non possumus non amare summam felicitatem, neque adsensum negare veritati evidenti: ita nos, in aliis omnibus bonis & veritatibus, in alterutram partem, sine invicta ratione, ferri.

22. IV. Longo habitu fieri potest, ut aliquid libenter & cum voluntate faciamus; adeò ut, certis positis circumstantiis, id nos facturos adeò verisimile sit, ut vix possit in dubium revocari, uti liquet exemplo allato. Attamen, etiam illis circumstantiis positis, quamvis habitu contracto illuc feramur, sentimus habitûs vim non esse tantam, ut nequeamus ei resistere. Exempli causâ, ponamus hominem vino deditum, fruentem prosperâ valetudine, animo curis vacuo, & sitientem ingredi locum, ubi combibones inveniet unà potantes; vix dubitare possumus quin, nullo interdicto impeditus, & invitatus, cum iis bibiturus sit. Attamen quis dubitet quin idem ille vir, si pignore contendisset cum aliquo, se non bibiturum, eo in loco, posset habitui & invitationi amicorum obsistere?

Hinc

Hinc quoniam ſpe alicujus lucri, aut gloriolæ cujuſpiam, poteſt ab eo abſtinere, quo maximè delectatur, eum ad eam voluptatem ineluctabiliter non ferri colligimus.

23. Hinc jam videmus *Libertatem* eſſe Contingentiæ fundamentum, ut non poſſit poni Libertas, quin Contingentia agnoſcatur. Vice versâ, non poteſt agnoſci Contingentia, quin admittatur Libertas. Quoniam autem ejuſmodi Libertas eſt tantùm in Naturis intelligentibus, ex iis ſolis oritur eventuum Contingentia; non ex merè corporeis, ut antea jam diximus.

24. Sed quandoquidem ita Naturæ intelligentes ſunt conjunctæ cum Corporeis, ut hæ volentibus illis agantur, & moveantur, quocumque tandem modo hoc fiat; eveniunt etiam multa in corporibus contingentia, ubi iis miſcentur intelligentes Naturæ. Humana corpora, & quæcumque poſſunt hîc à nobis moveri, non modò mechanicis cauſis, ut meræ machinæ; ſed præterea à nobis variè, pro liberæ Naturæ arbitrio, moventur; unde fit ut multa in iis eveniant contingentia, non reſpectu quidem Corporum ipſorum, ſed cauſarum moventium. Fortè & in aliis Corporibus, quæ ſunt aut à nobis remota, aut ſupra vires noſtras poſita, contingunt mutationes, operâ aliarum Naturarum intelligentium, ut jam Deum omittamus.

25. Quæri ſolet, an à Deo eventus contingentes præcognoſci poſſint? verùm hac de Quæſtione, *Pneumatologiæ* Sectione Tertiâ, ubi de Deo, agemus.

CAPUT XIV.
De Poſſibili & Impoſſibili.

1. POſſibile generaliter dicitur quod poteſt fieri, nec tamen fit; *impoſſibile* quod neque eſt, neque eſſe poteſt. Sed præterea à Metaphyſicis dividitur impoſſibile in tres claſſes, 1. *abſolutè*, 2 *certo reſpectu*, 3. ex *hypotheſi*. *Abſolutè* impoſſibile eſt quod involvit

involvit contradictionem, ut dari circulum quadratum, aliquid esse & non esse. *Certo respectu*, quod non involvit quidem contradictionem, sed ab Hominibus fieri nequit; ut solem exstingui, terram ad eum accedere magis, aut recedere. Ex *hypothesi*, quod suâ quidem naturâ fieri posse intelligitur, sed, positâ quadam conditione, eventum sortiri nequit; ut posito Deum nolle ut densissimæ nubes in pluviam à vento cogantur, quamvis hoc suâ naturâ fieri possit, non fiet tamen.

2. Si hîc Scholasticos imitari vellemus, ex sermone, possibilitatis aliquot genera, ut & impossibilitatis hîc addere possemus. Exempli causâ, passim dicimur non posse facere quod aut nolumus, aut licitum non est, & contra, posse facere contraria; hoc est, ea legi esse, aut voluntati nostræ consentanea. Verùm vocabulorum observatio ad Criticen, non ad Metaphysicen pertinet. Potiùs hîc paucis naturam possibilitatis & impossibilitatis, prout à nobis intelligitur, explicabimus.

3. Cùm omnia judicia nostra complectantur comparationem duarum minimùm idearum, quando dicimus aliquid esse possibile: comparatis inter se duabus ideis, nos videre inter eas ejusmodi connexum, ut possint unà esse, adfirmamus. Ita fieri posse, ut Adamas crassitie caput humanum æquet autumamus; quia nempe, humani capitis magnitudinem cum Adamantis natura esse posse cernimus. Dicimus posse fieri, ut Mons in pulverem comminuatur; quòd ex consideratione partium, quibus Mons constat, colligamus eas posse dividi eò usque, ut pulveris æquent tenuitatem.

4. Veritas autem horum judiciorum pendet ex cognitione rerum, de quibus judicamus. Cùm enim certò novimus proprietatem aliquam rei cujuspiam, cum qua esse potest alia, tum verè dicimus eam rem cum alia illa proprietate esse posse. Sic scimus rupium partes posse frangi & conteri, cum qua proprietate idea minutissimi pulveris conjuncta est; atque hinc meritò Montem posse in tenuissimum pulverem comminui contendimus.

5. Quan-

5. Quando verò ita ignoramus naturam rei, ut cum nulla ejus proprietate nota connecti quæpiam alia intelligatur, quidquam de eo adfirmare nexu nequimus. Ita non possumus respondere huic quæstioni, an materia, quâ ferrum constat, possit admittere omnes proprietates; quas in argento aut auro novimus? Quî enim dicemus pondus, colorem, &c. auri aut argenti esse posse cùm proprietatibus ignotis ferri? Quî scimus an non sit aliquid in ferri natura, quod eas proprietates penitus respuat?

6. Igitur tunc demum possibile aliquid tutò dicimus, ubi perspicuè nexum videmus inter prædicatum & subjectum propositionis, quâ eam possibilitatem adfirmamus. Temerè ii loquerentur, qui dicerent fieri posse ut Corpora cogitent; quia nulla est Corporum proprietas nobis nota, quæ nexum aliquem, aut convenientiam habeat cum cogitatione.

7. Impossibile vice versâ quidpiam dicimus, cùm duas ideas ità dissentire deprehendimus, ut se invicem destruant, nec ullâ ratione eas conjungere, aut conjunctim considerare Mente possumus. Sic negamus posse dari circulum quadratum, quia idea circuli, & idea quadranguli planè dissentiunt, neque stare unà possunt, cùm una alteram evertat. Ubi sunt anguli, non potest intelligi circumferentia æqualiter undecumque à centro remota; atque ubi est hujusmodi circumferentia, anguli inveniri ulli nequeunt.

8. Impossibilia igitur dicere non possumus, quæ nescimus, an unà consistere queant, necne; hoc autem nescimus quando eorum, quæ comparamus, natura nobis ignota est. Exempli causâ, dicere non possumus, fieri non posse ut cogitatio & extensio in uno eodémque subjecto sint; quia ignota nobis sunt subjecta, quibus insunt cogitatio & extensio. Possumus quidem, sine periculo, adfirmare cogitationem non esse extensionem, aut motum; quoniam earum rerum ideæ sunt prorsus diversæ; sed de subjectis

ſubjectis ignotis, quibus inſunt, nullum ſatis certum ferri poteſt judicium.

9. Hoc in negotio, multò arctiores limites humanæ ſunt cognitionis, quàm vulgò creduntur. Etenim cùm ſubjecta ſubſtantiarum ſint ignota, adfirmare non licet quidquam de *convenientia* eorum, aut *diſconvenientia*, ut ita loquar; hoc eſt, unum eſſe ſimile aut diſſimile, adverſari aut non adverſari alteri. Ad ideas verò, quod adtinet, proprietatum abſtractas, licèt paullò ulteriùs humana porrigatur cognitio; attamen innumeræ occurrunt, de quibus quidquam adfirmare, ubi quæritur utrum unà eſſe poſſint, quia nulla certa habent *ἀσυστασίας* indicia, temerarium eſſet. Ita ſi quæratur an cum certa diſpoſitione corporis eſſe queat cogitatio, quis neget quidquam hîc, aut adfirmet, ſine temeritate? Si noſſemus ſubjectum in quo ſunt, & unde profluunt, poſſemus fortè dicere quæ à natura ejus manare queant; ſed cùm ſit prorſus ignotum, aqua nobis hæreat neceſſe eſt.

10. Non defuerunt inter recentiores Philoſophos, qui negarint etiam ullum nos poſſe certum judicium de *ἀσυστασία* ferre. Aiunt enim nos à Deo accepiſſe intellectum, ſtatui rerum præſenti aptatum; ſtatum autem illum, abſolutè loquendo, potuiſſe eſſe diverſum, adeóque divinâ potentiâ poſſe fieri id quod nos repugnare judicamus. Sic, ut putant, bis duo eſſe quatuor intelligimus, quia cùm Deus bis duo quatuor eſſe voluerit, ita intellectum noſtrum adfecit, ut rem aliter intelligere nequeamus. Sed ſi Deus voluiſſet bis duo eſſe ſex, quod ab illo pendebat, id quoque intelligeremus, quod nunc non poſſumus. Atque hinc à nemine quidquam abſolutè impoſſibile, ne potentiâ quidem divinâ, pronunciari poſſe dicunt.

11. Hanc ſententiam jam confutavimus Cap. IV. hujus Opuſculi, ubi Eſſentias rerum eſſe æternas oſtendimus. Nec quiſquam tam abſona umquam adfirmaſſet, niſi eò vi aliquâ majore, quàm eſt ratiocinatio, delatus fuiſſet; nempe, metu offendendæ

dæ Ecclesiæ Pontificiæ, cui addicti erant hujus sententiæ patroni.

12. At solent nonnulli regerere, à nobis ergo limites poni divinæ potentiæ, qui dicimus aliquid à Deo fieri non posse. Verùm facile est intellectu, Dei potentiam nequaquam minui, quando repugnantia facere posse negatur; cùm merum Nihilum, qualia sunt illa, divinæ potentiæ objectum non sit. Deus potest efficere, ut quod non erat, incipiat exsistere, & ut quod inceperat desinat; sed quî fieri queat ut Deus faciat ut aliquid sit, & ut ne sit simul? Hoc sanè est merum nihil, quod latet sub vocabulis, seorsim quidem aliquid significantibus, sed conjunctim nullum prorsus sensum fundentibus. Idem dicunt hîc, dum divinam potentiam extollere videri volunt, ac qui magnificâ voce inclamaret, *Deum esse omnipotentem, quòd possit facere* **BLITRI**, quæ vox nihil significat. Deo certè, sibi, & aliis illudunt, qui tragicis querelis omnia miscent, & superstitionis fuligine rerum adspectum intercipere nituntur; ut absurda ejusmodi dogmata intrudant, quæ admitti nequeunt nisi sensui communi, si consentanea saltem agenda sint, valedicatur.

CAPUT XV.
De Potentia & Actu.

1. QUO subtiliùs de *Potentiâ* & *Actu* agunt Metaphysici, eò paucioribus rem adtingemus; quoniam quæ de hoc negotio habent, ea, si vera concedantur, prorsus sunt ad veritatis ignotæ ac utilis investigationem inutilia. Hîc tantùm tradunt, quæ nomina ideis quibusdam Abstractis imposuerint; quas ideas diu contemplari planè supervacaneum est.

2. Summatim ergo dicemus, *Potentiam* & *Actum* esse correlata. Id *potentiâ esse* dicitur, quod nondum est, sed esse potest; & Potentia *facultas id faciendi*,

ciendi, aut patiendi. Ita cogitatio de Triangulo in quovis homine dicitur esse potentiâ, cùm nondum eam animo præsentem habet; quia potest quivis de Triangulo cogitare. In massa cerea dicitur esse potentiâ quælibet figura, quia quamlibet figuram admittit.

3. *Actu* verò id est, quod non tantùm potest esse, sed re ipsâ est. Ita cùm cogito de Triangulo, inest Menti meæ actualis de Triangulo cogitatio; cera, in quadratam formam ducta, dicitur actu habere quadratam figuram. Res verò dicitur *transire ex potentia in actum*, ubi quod antea poterat esse, re ipsâ est.

4. Quamvis hæc distincta sint, tamen arcto nexu sibi invicem cohærent, ut alterum succedat alteri. Atque hinc fortè factum ut Metaphysici aliquatenus eorum misceant nomina. Dividunt Actum in *primum* & *secundum*; & *primum* quidem vocant ipsam rei essentiam, aut exsistentiam; *secundum* verò, operationem uniuscujusque rei. Ita Gratiam *in actu primo, & in actu secundo*, distinguunt. Gratia in actu primo est ipsa Gratia, in se spectata; in actu verò secundo, ejus effectus, seu Gratia respectu effectûs considerata. Ille autem actus primus æquè commodè, si Scholasticis visum esset, *potentia prima* dici posset.

5. Haud absimili ratione, Potentiam in *proximam* & *remotam* dividunt. Potentiam proximam vocant eam, quæ ejusmodi est, ut ad eam exserendam nihil, præter volitionem, desideretur; Potentiam verò remotam, eam quæ est ejusmodi, ut nisi fiat aliqua mutatio in agente, volitio accedere numquam possit. Sic aiunt viro, qui jam habitum agendi convenienter virtuti contraxerit, nulla alia re, præter volitionem, opus esse. At homini vitio cuipiam dedito, & longo habitu corrupto, numquam evenit ut constanter velit rectè agere; nisi priùs habitum illum vincere adgressus fuerit, & tandem superarit. Hic dicitur habere *potentiam remotam* virtutis colendæ, quia præditus est Mente, quæ si alio imbuta esset habitu, posset virtuti adhærere.

Poten-

Potentiam verò *proximam* habet vir probus rectè vivendi, quia jam habitum ad hanc rem necessarium contraxit.

6. Solent quoque Scholastici dividere Actum in *purum* & *impurum*. Actum *purum* vocant, qui cum nulla potentia conjunctus ab illis censetur. Aiunt Deum esse Actum purum, quòd in Deo, ut putant, nihil sit nisi Actu, quippe qui planè est immutabilis. Contrà omnibus Creaturis tribuuntur Actus *impuri*, quòd multa Creaturis, quæ in iis non sunt, esse queant. Verum quidem est Deo nihil accedere, nihilve decedere, quod aliquam proprietatem ei inferat, vel detrahat; sed nulla ratio est quare in eo non possint esse actiones quædam, quæ non sunt. Imò hoc omnes agnoscant oportet, quoniam à Deo multa fieri posse, quæ non fiunt, fatentur.

7. Hæc sunt, quæ de Potentia & Actu potissimùm observanda duximus; & quæ ad intelligendum Scholasticorum sermonem, inservire queant. Jam pro iis, quæ solent ab illis hìc pluribus diduci, paucis dicemus quî Potentiæ, aut Facultatis formetur in nobis idea.

8. Observantes quotidie cùm in rebus quæ extra nos sunt, multa immutari, adeò ut non semper easdem animo nostro ideas offerant; tum in nobis ipsis, prout volumus, interpolari eas in quibus contemplandis animus noster versatur; inde colligimus in iisdem objectis, eodem modo, in posterum evenire posse mutationes quasdam; & nos, quod non facimus, posthac etiam facturos, ut quotiescumque voluerimus certas contemplari ideas, aut volitiones edere, id facere possimus. Ita quoniam sæpe vidimus plumbum igni injectum liquefieri, hinc igni facultatem liquefaciendi plumbi; plumbo verò liquidi evadendi potentiam inesse didicimus. Quia sæpe cogitavi, ubi volui, de aliqua actione edenda, aut de quopiam objecto; inde me habere potentiam, quotiescumque vellem, iterandarum earum cogitationum sensi.

9. Indidem duplicis potentiæ ideam mihi obversari sentio, *passivæ*, nempe, & *activæ*. Passiva potentia

tentia eſt in plumbo, liquidi evadendi, vi ignis; igni videtur ineſſe activa liquefaciendi, quamquam hac de re ſunt magnæ dubitandi rationes, quas hîc non adferemus. At certè ex animi noſtri actionibus, facultatis activæ ideam colligimus. Sentimus enim nos ab alio non agi, neque impelli ad volendum; cùm corpora mota agantur ab aliis cauſis, ut alibi oſtendemus.

10. Ceterùm ſi quis quærat quid voce *Potentiæ* aut *Facultatis* intelligamus, an ſit ſubſtantia quæ per ſe ſit, an accidens quod ſubſtantiæ inhæreat? Reſpondebimus ideam Facultatis eſſe abſtractam, quæ neque ſubſtantiæ, neque accidentis ideam includit, adeóque nos non poſſe dicere accidens aut ſubſtantiam eâ voce deſignari. Significatur tantùm Ens illud, quodcumque tandem ſit, quo ſubſtantia agit aut patitur. Sed ſi quæratur non quid cogitemus, cùm ea vox *facultas* profertur, ſed quodnam ſit Archetypum (ſi Archetypum dici poſſit) illius ideæ, quam tunc contemplamur? Archetypum illius ideæ, ſeu id quod nobis ejus contemplandæ occaſionem præbuit, eſſe accidens, ſeu proprietatem ſubjecto cuipiam inhærentem, reſpondebimus. Ita in plumbo liquidi evadendi potentia, nihil eſſe aliud videtur, præter diſpoſitionem, ſeu figuram & ſitum particularum inſenſibilium, quibus plumbum conſtat.

11. Diſtinximus hîc, quod & aliàs facere conducibile eſt, ideam abſtractam Facultatis ab ejus Archetypo; quòd Scholaſtici dum ea confundunt, ita loquantur de rebus ipſis, quaſi in iis eſſet neſcio quid prorſus ſimile ideæ earum abſtractæ; quod nec ſit accidens, neque ſubſtantia. Interdum etiam ſubſtantias cenſent, quæ proprietates ſunt; unde natæ *formæ ſubſtantiales* corporum, hoc eſt, ſubſtantiæ quædam à materia diverſæ, in quibus facultates quas in corporibus animadvertere ſe putabant, & potiſſimùm quidem activæ eſſent; quæ formæ an ſint ullæ admodum dubium eſt.

CAPUT XVI.
De Perfecto & Imperfecto.

1. INter ideas abstractas, quibus considerandis occupantur Metaphysici, non ultimum locum tenent *perfectio* & *imperfectio*, quia longè maximus est vocabulorum *perfectus* & *imperfectus*, in sermone cùm Philosophico, tum quotidiano, usus. Sunt quidem inter recentiores Philosophos viri eximii, qui volunt adeò perspicuum esse quid sit *perfectum*, ut ea vox non magis definitione, quàm vocula *esse*, indigeat. At ex sequentibus eos hallucinari satis liquebit.

2. Vox *perfectus* petita est ab rebus, quæ arte fiunt, & quæ *perfectæ* dicuntur, ubi nulla re indigent ampliùs ad eum usum præstandum, cui ab Artifice destinatæ sunt. Ita perfectum esse dicitur Horologium, cui nihil deest eorum, quæ ad Horologii usus præstandos necessaria sunt. Similiter, apud Græcos τέλειον dicitur, cui τέλος impositum est; hoc est, *finis*.

3. Deinde ea vox ab rebus, arte humanâ confectis, etiam ad res spirituales & metaphysicas ideas translata est. Unde de perfectione Dei, Spirituum, virtutum, ratiocinationum, &c. loquimur. Hinc quoque gradus perfectionum animo fingimus, dicimúsque esse animalia aliis alia perfectiora, Spiritus esse perfectiores corporibus, &c. Ubi autem hæc vox ad res ejusmodi efferendas adhibetur, non est unius significationis.

4. Generaliter quidem perfectum esse dicitur, quidquid omnibus proprietatibus, quæ ad ejus essentiam pertinere putantur, præditum est; sed præterea multas ea vox habet potestates.

5. I. Perfectum vocare solent *absolutè, aut secundùm quid.* Absolutè *perfectus* dicitur *Deus*; quod licèt interpretatione indigere non putet *Cartesius*, attamen paucis explicabimus. Quando ergo dicimus Deum esse *perfectissimum*, nihil aliud intelligimus;

mus, nisi Deo omnes omnium rerum proprietates reales, sine ullius defectûs mistura, inesse; quod inde colligimus, quòd omnia creaverit, & in se potentiâ habuerit, priusquàm actu exstiterint; atque, ex iis quæ creavit, innumera alia, ac denique quidquid animo concipimus ab eo posse fieri intelligamus Omnia itaque omnium rerum quæ sunt ac esse possunt, includit genera. Verùm hoc copiosiùs & planiùs in Pneumatologia ostendemus. Ceterùm Deo collatæ Creaturæ *imperfectæ* omnes dicuntur; hoc sensu, quòd tot proprietatibus, quot Deus, nulla prædita sit.

6. II *Perfectum* est *secundùm quid*, aut *quoad speciem*, id cui nihil deest eorum, quæ existimamus ad singularem ejus speciem pertinere. Exempli causâ, perfectum est triangulum æquilaterum, quando tres ejus anguli sunt æquales. *Imperfectio*, quæ huic opponitur perfectioni, sita est in privatione proprietatis, quæ rei pro ejus genere, inesse deberet. Ita triangulum diceretur imperfectum, cujus aliquod latus deesset aliqua ex parte, aut pro angulo sectionem aliquam circuli haberet.

7. III Perfectum est, *quoad partes*, sive *integritatem*, id cui omnes partes ejus, quod perfectum dicitur, insunt. Ita integrum est triangulum, quod tres suos angulos & latera integra habet. Imperfectio huic perfectioni opposita est *mutilatio*, quâ pars rei, de qua agitur, deest.

8. IV. Perfectio est *graduum*, ubi rei proprietates sunt in suo genere absolutissimæ. Imperfectio, in gradibus sita, inde oritur, quòd proprietates magis intendi possint. Eo sensu res unius, ejusdémque generis inter se conferuntur, & aliæ aliis perfectiores esse dicuntur; licèt ad speciem quod adtinet, æquè sint perfectæ, neque una plures habeat partes quàm altera. Ita perfectissimum dici potest aurum, quod est coloris flavissimi, ponderis maximi, & minimam omnium igne exploratum patitur diminutionem; contrà, minùs perfectum quod colore pallidiore, levius est, & minuitur magis igne coctum. Vir est perfectissimus, qui maximè

omnium illis pollet virtutibus, iisque eminentissimis, quæ virum decent; minùs perfectus, in quo sunt minores ejusmodi virtutes.

9. V. Perfectio est *essentialis*, vel *accidentalis*. Prior ibi est, ubi omnia adsunt quæ ad essentiam necessaria sunt, ut in circulo circumferentia æqualiter undequaque à centro distans. Posterior, ubi sunt quædam accidentia, quæ ad ornatum aut majorem rei usum faciunt; ut virtutes homini, quippe accidentales perfectiones, quia iis destitutus non minùs homo esset.

10. VI. Perfectio est *speciei cum specie collatæ*. Ita quadrupedes bestiæ dicuntur esse perfectius animal piscibus, & avibus; Angeli perfectiores Hominibus; Deus perfectior Angelis. Perfectio illa est sita in eo, quòd in una specie sint, aut plures perfectiones seu proprietates, quàm in alia, aut proprietates latiùs patentes. Ita in Deo sunt proprietates, quæ non sunt in Angelis; & præterea eæ proprietates, quæ sunt communes Deo & Angelis, in Deo latiùs patent. Deus in se continet omnium rerum proprietates, quâ proprietate carent Angeli. Deus item intelligit, Angelique intelligunt; sed Dei intellectio ad plura porrigitur, quàm Angelorum. Hoc uno modo possunt species inter se conferri, præsertim si habeant inter se aliquid commune, qualis est intellectio, quâ Deus, Angeli, & Homines præditi sunt. Quando verò nihil est inter eas species commune, numerantur specierum quæ comparantur proprietates & defectus; atque ea species quæ habet plures proprietates & pauciores defectus, perfectior dicitur. Ita Spiritus perfectiores Corporibus, quòd plures sint in iis proprietates, minores defectus, habentur. Corpora sunt tantùm extensa, divisibilia, impenetrabilia, solida, variarum figurarum capacia, mobilia; sed se ipsa non movent, destituta sunt omni cognitione & sensu, non possunt obstare quin comminuantur vi majore, &c. Spiritus verò cognoscunt, sentiunt, corpora agunt innumeris modis, &c. sunt ab omni corporeo impetu tuti, non indigent alienâ ope ad cogitandum,

tandum, &c. Hoc exemplo usus sum, non quòd mihi compertum sit quidquid modò dixi, esse verum; sed quia verum vulgò creditur, eóque posito, Spiritus perfectiores dicuntur Corporibus. Ceterùm meminisse nos oportet, valde periculosum esse res diversorum generum inter se conferre; quoniam, in enumeratione proprietatum, eas tantùm adtingimus quæ sunt nobis notæ; ideóque potiùs ideas nostras inter se, quàm res ipsas conferimus. Accidit autem facilè ut ideæ duarum rerum non sint pariter adæquatæ, hoc est, ut norimus rem quampiam meliùs quàm aliam; quo fieri posset ut temerè perfectiorem judicaremus eam quæ notior esset, tantùm quia minùs notæ nobis proprietates alterius essent.

CAPUT XVII.

De Finito & Infinito.

1. OMnia Entia, cujuscumque tandem sint naturæ, finita sunt aut infinita; ideóque doctrina de Finito & Infinito pertinet ad eam partem Philosophiæ, quæ de iis quæ omnibus Entibus conveniunt, agere solet. Ac sanè sunt hoc in negotio nonnulla Philosophorum mediatione dignissima, quod ex sequentibus liquidum futurum speramus.

2. Ad id quod *Finitum* vocatur quod adtinet, nulla est difficultas; quoniam *finitorum*, vel *finium* ideam perspicuam habemus. Quidquid est hac in re obscuri Infinitum spectat; quod etiam non potest expendi, quin eo ipso Finiti natura clarius explicetur. Igitur statim de Infinito verbo faciemus, & ante omnia infiniti posse quatuor genera constitui observabimus. Est Infinitum 1. *extensione*: 2. *duratione*: 3. *numero*: 4. *perfectione*. De hisce quatuor ordine agemus.

3. I. Cum unicuique nostrûm insint ideæ certarum mensurarum finitarum, variarúmque magnitudinum; sentimus nos posse mensuras ejusmodi

unà addere, quoties volumus. Tantam facultatem progrediendi in hiſce additionibus, in nobis deprehendimus, ut quantumvis addiderimus, nulla ſit ratio conſiſtendi major, quàm cum eas bis, aut ter addidimus; neque nos umquam fini additionum poſſibilium propiores ſentiamus, quàm antea.

4. Ita nobis obverſatur idea infiniti ſpacii; nam ſanè id extenſione infinitum eſt, in quo nullos fines eſſe ſtatuimus; quale eſt ſpacium quod numquam additionibus quantarumvis magnitudinum exhaurire poſſemus. Quando autem conſideramus eam potentiam, quâ æternùm menſuris novis metiri ſpacium poſſumus, nec exhaurire tamen, eam *Infinitatem* vocamus.

5. Hîc autem probè diſtinguere nos oportet ideam *Infiniti* ab idea *Infinitatis*, una enim multò clarior eſt alterâ. Quando animo noſtro obverſatur idea ſpacii cujuſpiam, quod infinitum vocamus, ea valde eſt confuſa; quoniam ſimul duo conjungimus, quæ conjungi nequeunt, finitum cum infinito. Etenim nullum ſpacium clarè concipere poſſumus tantum, cui aliquid addi nequeat; adeóque omnis idea ſpacii, actu intellectui noſtro obverſantis, eſt finita. Attamen dicimus id ſpacium, quod animo concipimus, eſſe infinitum; quia ſimul animo ideam *inexhauſtibilitatis*, ſi ita loqui licet, aut ἀνεξαντλησίας, ſi Græcâ voce fictâ uti quis malit, intuemur.

6. Itaque ſi id eloqui velimus quod intelligimus, nec ulteriùs progredi, dicemus, 1. nos ideam claram habere *inexhauſtibilitatis*, quæ tamen eſt negativa, nihil enim tunc intelligimus, ſi propriè loquamimur, in abſtracta illa idea; præter negationem litum, vel *hauſtibilitatis*, ἀνεξαντλησίας. At obſervandum hanc ideam negativam ſtatuere eſſe aliquid poſitivum, nempe, extenſionem, quam meram negationem nemo dixerit; & quæ majorem Entitatem involvit, quàm ea omnia quæ finibus incluſa eſſe exiſtimamus. Si enim Extenſio parva eſt aliquid poſitivum & reale; multò magis ea, quæ infinita eſt. 2. Nos ideam quidem aliquam, eámque poſitivam animo obverſantem habere, quando cogitamus de re

infinita in concreto, ſed ei proprie non convenire infinitam, quandoquidem nullam extenſionem, cui nihil poſſit addi, actu capimus.

7. Sub hoc Infinitatis genere continetur alia Infinitas, quæ poteſt dici *Diviſionis.* Nam quemadmodum materiæ, ac extenſioni partes poſſent in infinitum addi: ita eidem in infinitum detrahi poſſunt, cùm nulla ſit tam parva extenſio, quâ minor intelligi nequeat. Quod diximus de Infinitate additionum, quâ quantumvis progrediamur, numquam ad finem pervenimus; id intelligi etiam debet de Infinitate detractionum, quâ quantumvis retrogrediamur, numquam ad partem, ex qua nihil detrahi queat, devenimus. De Diviſibilitate, pluribus agemus in *Phyſica.*

8. II. Alterum genus infiniti eſt *infinitum duratione*, duplex quidem; ut oſtendimus, ubi de Duratione egimus. Eſt enim infinitum cùm ratione præteriti, tum etiam futuri temporis; & infinitum, ratione futuri tantùm.

9. Eodem modo philoſophandum de Infinitate durationis, ac de Infinitate extenſionis. Scilicet, nullam tantam poſſe durationem fingi, cui addi aliquid non poſſit. Si adderentur in æternum infinitæ *Periodi Julianæ*, numquam ad finem perveniretur; nam addere in æternum, & numquam ad finem pervenire, unum idémque ſunt. Hîc quoque ἀνεξαντλησίαν, negativo conceptu, ſatis clarè intelligimus; ſed durationis ἀνεξαντλήτȣ idea, quæ animo noſtro præſens eſſe videtur, quando de ea cogitamus, omnino fallax eſt, & ex duabus ἀσυςάτοις ideis, finita, nempe, duratione, & negatione terminorum, conſtat.

10. III. Cùm non adipiſcamur ideam extenſionis, aut durationis infinitæ, vel potiùs *infinitatis extenſæ* & *durantis*, niſi poſtquàm deprehendimus eſſe in nobis vim addendi inexhauſtam; hoc ipſo ideam tertii generis Infinitatis, quæ pertinet ad *Numeros*, formamus. Ideóque nullum eſt diſcrimen inter hanc Infinitatem, quod ad ejus naturam adtinet, & alias. In aliis conſiderantur Entia quædam, in hac numeri

numeri abſtracti, ſine Entibus; quod ad ipſam Infinitatis naturam nihil facit.

11. Poteſt tamen hoc diſcrimen, inter tres memoratas Infinitates, externum ſtatui. In *Numeris*, quando incipimus ab Unitate, videmur eſſe veluti in extremitate lineæ, quam ex altera parte in infinitum porrigimus. In *Duratione* utrimque infinitos revolutionum quarumdam numeros, in præteritum & futurum, extendimus. In *Spacio*, ſumus veluti in centro quodam, ex quo quaquaverſum repetitas in infinitum menſuras ex æquo projicimus.

12. IV. Infinitas *perfectionis*, quod quartum genus eſt, tribuitur ſoli Deo, & duplex quidem eſſe poteſt. 1. Perfectiones, ſeu proprietates Dei (nam hiſce vocabulis idem ſignificari oſtendimus) ſunt infinitæ numero. 2. Sunt infinitæ enſione, ſi ita loqui liceat, ſeu gradibus.

13. Proprietates Dei dicuntur numero infinitæ, quòd nulla res animo concipi queat, quam efficere non poſſit; nulla natura intelligi, quam creare nequeat. Quoniam autem nemo dat quod non habet, ſi poteſt dare proprietates omnes poſſibiles; ſequitur eas omnes in Deo eſſe, adeóque infinitis eum gaudere perfectionibus; cùm poſſibilia infinita ſint, hoc eſt, tanto numero ut numquam exhauriri queant.

14. Eædem perfectiones gradu infinitæ ſunt, quòd ad omnia objecta ad eas pertinentia porrigantur; nec ulla dici poſſit perfectio divina ſubſiſtere in gradu, quo ulterior aliquis detur. Exempli gratiâ, Potentia divina extenditur ad omnia poſſibilia, nec ulla res poſſibilis dici queat eſſe ultra divinæ Potentiæ fines; quos nullos habet, non magis quàm rerum poſſibilium numerus. Scientia divina ſimiliter porrigitur ad omnia quæ ſciri poſſunt, nec quidquam eſt ejus generis, quod divinam Scientiam ſuperet.

15. Verùm hac de re rurſus, in tertia Pneumatologiæ Sectione, ubi de Deo agemus.

CAPUT XVIII.

De Divisione Entium in Genera & Species.

1. AD ea quæ de Ente in genere dicuntur, pertinent quæ solent de Entium in Genera & Species divisione tradi; quæ divisio, duplici de ratione, est à Philosophis instituta. Primùm in philosophando, hoc est, in quærenda natura Entium sibi ex parte notorum, ordinem sequendum sibi aliquem duxerunt, qui nullus fuisset, nisi Entia ad certas referrent classes, secundùm quas de iis agerent. Secundò, constitutâ naturâ Generum & Specierum omnium Entium, de singulis tutiùs se philosophaturos judicarunt. Postquàm enim natura Substantiæ, exempli causâ, semel constituta est; cùm devenitur ad Ens quod ad Substantiarum ordinem refertur, jam eo ipso quòd numeretur inter Substantias; nobis constat de eo nihil dici posse, quod sit cum natura substantiæ ἀσύςατον; & contrà quidquid de Substantia notum est, de eo posse adfirmari.

2. Lustratis omnibus quæ norant Entibus, propriè dictis (Relationes enim, quæ Entia impropriè dicta hîc omittuntur) Philosophi nullum animo suo occurrere deprehenderunt, quod non posset referri ad hæc duo summa genera, *Substantiam* aut *Accidens*. Substantiam vocant id *quod non indiget subjecto ad existendum, sed per se est*. Corpus est Substantia, quia nulli subjecto inhæret, sed seorsim ab omni alio est. Accidens est *quod subjecto inhæret, nec sine subjecto esse potest*; ut figura, quæ sine corpore figurato esse nequit.

3. Substantiam rursus & Accidens Philosophi dividunt in varias species. Accidentis divisiones non ita accuratè persequuntur, quia sunt nimio numero; nam quamvis novem tantùm species, in Aristotelicis Categoriis, recenseantur, possent multò plures memorari.

4. Missis

4. Missis ergo Accidentis divisionibus, Substantia primùm dividitur in *Increatam* & *Creatam*, seu *Creatorem* & *Creaturas*. Increata est Deus; de quo vide Pneumatolog. Part. III. reliquæ omnes, quæcumque tandem sint, creatæ.

5. Creatæ Substantiæ dividuntur in Substantias *Vitales* & *Non-vitales*. Substantiæ Vitales sunt, quibus inest principium *Vitæ*, quæ est vis quædam agendi, quæcumque sit, quæ non extrinsecus advenit, sed inest ipsi rei viventi. Substantiæ verò Non-vitales sunt, quæ nullum ejusmodi principium habent, sed sunt dumtaxat passivæ; quales sunt mera & nuda extensio, & Substantiæ corporeæ, in quibus ad extensionem accedit soliditas & divisibilitas. Hæ enim sunt per se omni vitali principio destitutæ, nec quidquam possunt agere. Distinguuntur iterum in *Corpora simplicia*, seu *homogenea*: & *mista*, seu conflata ex variis corporum generibus. Mista rursus sunt *organica*, ut Plantarum & Animalium; vel organis destituta, ut metallorum, lapidum, &c. corpora.

6. Substantiæ Vitales sunt *conscientiâ internâ prædita*, vel ea destitutæ; hoc est, sentiunt se vivere, seu agere; vel non sentiunt. Conscientiâ internâ sunt præditæ, quæcumque sentiunt, aut intelligunt, ac ratiocinantur. Ea verò carent, quæcumque vegetantur quidem internâ vitâ, sed nequaquam sentiunt.

7. Ut à posterioribus pergamus Entia in classes suas dividere, *Substantiæ Vitales vegetativæ* eæ sunt, quæ curant formationem & vegetationem Plantarum & Animalium; hæc enim solis mechanicis causis fieri non videntur. Quemadmodum enim nemo intelligat prima rudimenta Animalium & Plantarum, quæ seminibus continentur, solis mechanicis legibus fieri, ita ut sine interventu ullius principii activi formentur: sic nec, sine principio activo, vegetari, ali ac moveri queant. Possumus quidem, ut Physicæ Lib. IV. diximus, ostendere quæ sit mechanica ratio corporis Plantarum & Animalium, & quibus viis iis administretur alimen-

tum, quibúsve organis moveantur; sed præter hæc Philosophi contendunt esse principia quædam activa, quæ œconomiæ Vegetabilium præsunt, quemadmodum præfuerunt primæ eorum formationi. Constat quidem in nobis hæc non fieri, operâ Mentis nostræ, seu Substantiæ cogitantis quæ est in nobis; quoniam nescit quomodo hæc fiant, nisi ope sensuum & meditationis, neque potest ea per se curare, promovere, aut impedire. Imò ne sentimus quidem hæc in nostro corpore fieri; neque enim Mens nostra sentit motum liquorum, qui per corpus nostrum moventur tantâ rapiditate, per tot varios tubos, qui Anatomis demum, & ne omnes quidem noti sunt. Igitur in nobis principium intelligendi, ac sentiendi non idem est, ac principium vegetationis. Idem dicendum de principio motûs; quamvis enim Mens nostra imperet motibus nonnullis corporis, attamen eos ipsa non exsequitur, nec novit quomodo imperia illa sua exsequutioni mandentur, ut observavimus *Pneumatologiæ* Sect. I. Cap. 6. Sed ut meris Mentis imperiis, corpus moveri jubentis, parere non potest solus mechanismus: ita nec solus vegetationis & nutritionis œconomiæ sufficere potest.

8. *Substantiæ vitales sensitivæ* sunt Animalia, quæ in duos ordines dividuntur, quorum alia *Bruta* dicuntur, alia *Rationalia*. In utrisque præter vegetativum principium, est principium sensitivum, seu Substantia Vitalis sentiens, & quæ etiam ratiocinatur; quamvis non eadem sit præstantia ejus principii, in Brutis & Rationalibus, ut ostendimus Physicæ Lib. IV. Cap. 12. Ideò hominibus collatæ pecudes *Brutæ* dicuntur, non quòd sensu & ratiocinatione omni sint prorsus destitutæ; sed quòd earum ratiocinatio ad humanam nequaquam accedat. Nec negandum est gradibus perfectionis variari speciem, cùm ejus axiomatis Scholastici nulla sit certa ratio. Iterum Animalium brutorum possunt constitui varii gradus, seu species, ut diximus Physicæ Lib. I. Cap. IV. §. 28. Sed rem hîc accuratiùs proponemus.

9. I. Infimus gradus Subſtantiarum Vitalium ſentientium, eſt earum quæ ſunt conjunctæ cum corporibus eorum Animalium, quæ loco cuidam adfixa ſunt, nec inde moventur, ut Oſtreæ, aliáque Conchyliorum genera, quæ nullo ſenſu prædita ſunt, præter tactum; nulla enim reliquorum ſenſuum organa, aut indicia in iis deprehenduntur. II. Supra hæc Animalia ſunt, quæ duos ſenſus habent, tactum & guſtum, cum facultate ſeſe movendi; ſed organis omnibus ſunt deſtituta, præter muſculos; ut Cochleæ, ſeu Limaces qui teſtam circumferunt. III. Proximè ſuperiores ſunt Vermes, qui habent eoſdem duos ſenſus & ungues, ſed ſine cruribus ac pedibus. Unguibus utuntur ad progrediendum faciliùs in corpore, cui adhærent. IV. Supra hos ſunt Erucæ, quæ habent præterea pedes unguibus inſtructos, quibus adſcendunt in arbores, foliiſque ſuſpenduntur. Verùm temerè moventur & lentè, quia carent oculis. V. Ad ſuperiorem ordinem pertinent, quæ ſunt præterea viſu prædita, & motum habent facilem & celerem, ope crurum & alarum, qualia ſunt Inſecta volantia. VI. Superiùs collocandi ſunt Piſces, qui & odoratu ſunt inſtructi, ſed ſunt muti & ſurdi. VII. Hinc gradus fit ad Aves, & Quadrupedes, quæ habent præterea auditum & vocem. VIII. Supremus denique ordo eſt Hominum, qui ſermone & intelligentia ſunt præditi, quibus multùm reliqua omnia Animalia ſuperant.

10. Præter Vitalem illam Subſtantiam, quæ à nobis *Mens Humana* vocatur, poſſunt eſſe aliæ Vitales Subſtantiæ, eâ præſtantiores variorum ordinum. Quemadmodum enim ſunt in Animalibus & varia corpora & varii ordines principiorum vitalium: ſic in rebus Intelligentibus facilè poſſunt capi varii gradus, quorum aliis alii præſtantiores ſunt; antequàm perveniatur ad eum, cujus præſtantiæ nihil addi poteſt; nimirum, Deum. Nec tantùm poſſunt intelligi varii illi ordines Subſtantiarum Intelligentium, ſed omnino eſſe videntur; ſi de immaterialibus Dei operibus judicium ferre ex materiali-

bus liceat. Cur enim tantam Naturarum varietatem, tótque perfectionum gradus in materiali mundo creasset; in intellectuali verò, nihil præter Mentem Humanam fecisset? Cur tot vitalium naturarum genera infra hominem creasset, nullum verò supra hominem collocasset? Immensus profectò est hiatus inter Humanam Mentem & Deum, qui nisi ordinibus variis Intelligentiarum, aut Spirituum impleretur, quoad licet, dissimilis sibi in suis Operibus esset Deus. Ac sanè Sacræ Litteræ nos docent esse Angelos, eósque variorum ordinum inter nos & Deum; ita ut Revelationi optimè conveniat, cum eo quod Recta Ratio dictat.

11. Possunt esse I. Angeli, qui sint compositi tenuiore corpore & Intelligentia, quæ ope illius corporis sentiat; sed præstantiore modo quàm nos, quamvis eum non adsequamur. Etenim ut qui sunt cæci nati, non formant sibi ideam nostri visûs: sic possunt esse sensus, in præstantioribus naturis, quorum ideam nullam habemus. Quis scit annon sint Intelligentiæ hujusmodi, quæ amplissimum Universi spacium integrum simul videant, ut aliquot Vortices, cum omnibus eorum Planetis, eâ magnitudine quâ sunt revera, omnibusque quæ in iis sunt & fiunt, sine ulla lucis corporeæ opera? Annon etiam, in hac ipsa re, innumeri queant esse gradus? II. Possunt capi Intelligentiæ, tametsi omni corpore exutæ, tamen Imaginatione, qualis est nostra, præditæ; adeóque obnoxiæ incommodis, quæ ex Imaginatione profluunt. III. Possunt esse Intelligentiæ aliis aliæ perfectiores, in ipsa intelligendi ratione, quamvis Phantasiæ imaginibus essent destitutæ. Hisce de rebus copiosiùs agere possemus, nisi satius duceremus conjecturis modum imponere, quàm in nimio errandi periculo versari. Sed de his variarum Intelligentiarum ordinibus, ceterisque omnibus, quibus divina opera distinguuntur, adeundus vir acutissimus *Nehemias Grewius*, Libro II. Cosmologiæ Sacræ.

12. Nemo autem à nobis postulet accuratas definitiones omnium generum Entium, quæ memoravimus;

vimus; profitemur enim Subſtantiarum intimas naturas nobis eſſe ignotas, nec quidquam de iis proferre poſſumus, niſi proprietates quaſdam, experientiâ tantùm atque à poſteriore nobis notas. Satis autem eſt compertas nobis eſſe haſce proprietates, ut adfirmare poſſimus eſſe Naturas quibus inſunt, neque enim ſunt Accidentia ſine Subſtantiis; nec Subſtantiarum varietates ac diſcrimina aliunde haurire ſolemus, quàm ex differentia proprietatum nobis notarum.

13. Hîc eſſent multa in medium adferenda, quæ jam expoſuimus, *Logices* P. I. C. VII. & VIII. ubi de Generibus & Speciebus egimus; idem enim eſt hîc erroris periculum, quod ex doctrina vulgari de Generibus & Speciebus oritur. Verùm quæ locis Logices laudatis diximus, inde peti, atque huic aptari loco poterunt.

FINIS.

PNEUMATOLOGIA,

SIVE

DE SPIRITIBUS.

PNEUMATOLOGIÆ PRÆFATIO.

De Natura, Divisione, & Usu Pneumatologiæ.

1. PNEUMATOLOGIA, ut ipsa vox ostendit, est *Doctrina de Spiritibus.* *Spiritus* autem omnia Entia, Intellectu & Voluntate prædita, à nobis vocantur.

2. Hîc, ut in Logica & Metaphysica, non contemplamur ideas abstractas, sed res ipsas; hoc est, spirituales substantias, quarum naturam introspicere, quantùm licet, in votis est. Ostendimus autem alibi * à nobis ignorari, cùm substantiarum quarumvis, tum Spirituum etiam intimam naturam; unde intelligere licet à nobis non debere exspectari Spirituum omnibus numeris absolutam descriptionem.

3. Substantiarum omnium, Spiritualium non minùs ac Corporearum, aliquot tantùm proprietates novimus; ideóque quidquid de iis tradi potest, totum in recensione earum proprietatum situm est. Pulcrè nos officio defunctos existimamus, ubi in ea recensione nihil in medium, præter aut contra id quod nobis constat, protulimus. Quoniam ad ea quæ vellemus, pertingere nostra nequit investigatio; hoc unum superest, ut ea quæ à nobis cognosci putamus, certò & sine erroris periculo, norimus.

4. Igitur proprietates Spirituum investigandas, quasi objectum, sibi proponit Pneumatologia; & quidem eo fine, ut usus qui ex ea cognitione manant, indidem deducamus. Cùm enim omnis cognitio, quæ in mera speculatione consistit, nec ullum usum

* Log. P. I. C. III. §. 6.

usum ad vitam præbet, inanis sit; inutilem etiam crederemus Pneumatologiam, si nudâ contemplatione animum nostrum pasceret, nec quidquam subsidii ex ea ad summam consequendam Beatitudinem deduci posset.

5. Ut quinam sint hi Usus cognoscamus, observandum tres esse Spirituum ordines, quos in hac Disciplina contemplamur. Primò sunt *Mentes humanæ*, seu id quod in hominibus cogitat, quidquid tandem sit; secundùm, *Mentes aliæ*, quæ aut nulli prorsus corpori, aut certe tenuiori conjunctæ sunt; tertiò, *Deus*, qui certissimè intelligit ac vult, quoniam & intelligere, & velle nobis dedit. Hæc autem Spirituum genera nobis notissima esse, quantùm saltem licet, nostrâ maximè interesse putamus.

6. I. Nemo dubitet an nostrâ intersit Mentem humanam cognoscere, qui quanta inde ad nos redeant, emolumenta, reputarit. 1. Ex cognitione Mentis nostræ, utrum immortalis dici possit, cognoscimus. Alioqui si prorsus neglexerimus in nos descendere, ut de proprietatibus Mentis nostræ aut numquam, aut rarò seriò cogitaverimus; quî scimus an Mentis natura eam corpori superstitem esse patiatur? 2. Ex eo quod de Mente nostra novimus, subsidia, ut meliùs & commodiùs facultatibus suis utatur, petimus. Exempli causâ, postquàm semel observavimus nihil à nobis in Mente perspicuè cognosci, præter cogitationes; hinc colligimus, ad Mentis facultates acuendas, nullam esse meliorem vivendi rationem, quàm si omnia quæ facilitati cogitandi obstant vitemus; quales sunt crapula, & occupatio inanis, quâ rebus, quæ nullam aut exiguam adtentionem postulant, nimis diu distinemur. Possent & alia similia addi, sed adlata sufficient, & ad plura invenienda viam monstrabunt.

7. II. Non est inutile, quid possit de spiritibus aliis resciri, cognitum habere. Pleræque Gentes, & Orientales quidem potissimùm, credidere esse innumeros Spiritus, qui circa nos versantur, nec sub sensus nostros cadunt; quorum tamen, in humanarum

rum rerum administratione, maxima esset potentia, & hominum etiam non levis cura. Præter ea, quæ Sacræ Litteræ nos docent de inconspicuis Dei Ministris, quos *Angelos* vocant; innumera apud diversissimas Gentes de Spirituum adparitionibus, & actionibus mirabilibus passim jactantur. Ergo scire expedit quatenus hîc humana porrigatur cognitio; ne nobis fabulas, pro rebus compertis, propinari sinamus; néve in superstitionem Ethnicam, circa inferiorum Spirituum cultum, delabamur.

8. III. Cùm apud sapientiores Gentes, præstantissimam esse Naturam, quam *Deum* vocamus, indubitatum semper fuerit; attamen quantopere circa ejus proprietates dissenserint, & quàm stultas opiniones homines, alioqui non inepti, de hisce foverint, vix credibile est. Igitur exigui non est momenti, in id, quod de Deo cognoscere possumus, inquirere; ut semel eo quod compertum nobis est constituto; neque Philosophorum diversæ sententiæ nos in dubitationem nimiam conjiciant, neque superstitiosæ variarum Gentium opiniones transversos agant.

9. Nec dixeris, in hac Christianismi luce, periculum esse exiguum ne in ejusmodi errores delabamur; quoniam & inter eos, qui Christi doctrinam ore profitentur, sunt qui de Dei exsistentia dubitent, & fœdos foveant de Numine errores; qui homines, solis pænè Philosophicis rationibus, ad saniorem mentem revocari possunt.

10. Hi sunt Pneumatologiæ usus, qui ex sequentibus etiam magis elucebunt. Et nos quidem, in ea tradenda, ordinem jam indicatum sequemur, ut 1. de Mentibus Humanis: 2. de aliis Spiritibus creatis: 3. de Spiritu increato, seu Deo agamus.

PNEU-

PNEUMATOLOGIÆ

SECTIO PRIMA.

DE MENTE HUMANA.

Caput I.

Quâ ratione Mens Humana innotescat, & quæ sint ejus proprietates in genere.

1. AD eorum quæ novimus cognitionem, non eadem viâ, pervenimus. Sunt quorum notitiam, interventu potissimùm sensuum, adquirimus; qualia sunt omnia corporea, quæ semel sensus nostros perculerunt. Alia ut cognoscamus, abstractione animi utimur; & ideas quæ animo nostro obversantur, sine ullo externo Archetypo cui sint similes, contemplamur; quales sunt, inter alia innumera, ideæ virtutum & vitiorum abstractè consideratorum. Utrorumque cùm abstractorum, tum eorum quæ per sensus nobis innotuerunt, ideas quasi extra animum nostrum, & nihil ad nos pertinentes, intuemur.

2. Sed præterea aliquid novimus, cujus cognitio neque occasione sensuum, neque abstractione animi ad nos pervenit, & cujus etiam non contemplamur ideam, extra nos veluti exsistentem. Cùm quid simus ipsi, qui ratiocinamur, quærimus; quorumdam nobis conscii sumus, quæ in nobis esse, sine ratiocinatione ulla, sentimus. Neque ea instar aliarum rerum, in ideis, quasi in tabulis quibusdam, contemplari possumus; sed tamen intra nos esse, conscientiâ internâ, deprehendimus.

3. Comparatione ut rem illustremus, oculis nostris duplici ratione objecta innotescunt (de oculis loquimur, quasi oculi sentirent, ut vulgus solet, docendi

docendi causâ) nam quædam ab oculis cernuntur quasi extra se, alia verò intra ipsos sentiuntur. Vident, exempli causâ, arbores extra se positas, & quæcumque interdiu, sine interpositione corporis alîus opaci, sibi objiciuntur. Ophthalmiam verò & quæcumque ex ea fluunt incommoda intra se, non ut objecta externa, sentiunt. Similiter id quod in nobis cogitat, & quod *Mentem* nostram vocamus, plurima extra se, quasi objecta quædam quæ contemplatur, prout libet, animadvertit. Præterea sentit quæ intra se peragantur, sive sui ipsius sibi conscia est.

4. Hinc fit ut Mens de se judicium nullum, quod non nitatur iis quæ in se sensit, ferre possit. Quarum sensationum capax sit, nisi postquàm eas experta est, nescit. Ita cæci nati, qui numquam colores ullos viderunt, Mentem suam posse habere ejusmodi sensationem, quam prorsus ignorant, ne suspicantur quidem. Si autem eveniat eos oculorum usum recuperare, quod solitâ naturæ ratione, aut extraordinariâ Dei voluntate factum aliquando esse memoriæ proditum est; tum demum Mentem suam ejus sensationis fuisse capacem, intelligunt.

5. Igitur, si semel statuerimus nos voce Mentis intelligere id quod in nobis cogitat, quod ab omnibus fit, quærentibus quid sit Mens, nihil aliud responderi poterit nisi, quod in ea interno sensu deprehendimus. Sensimus autem Mentem nostram sentire, intelligere, velle, judicare, ratiocinari, libera circa quædam ferre judicia, &c. unde sequitur eam, *Ens quod sentit, intelligit, vult, judicat, ratiocinatur, liberum est*, &c. à nobis definiri oportere.

6. Si ulteriùs quæratur an habeat Mens facultates alias, præter eas quas enumeravimus? reponemus nos nescire, neque judicium ea de re ferre posse; tum demum enim incipimus intelligere esse aliquam in nobis facultatem, postquàm ea semel saltem usi sumus. Denuo quærenti quæ sit ea res, quæ cogitationes tam varias in nobis versat; nihil de ea nobis esse notum, præter hoc ipsum quòd cogitat,

cogitat, ideóque præterea quidquam adfirmari non posse, regeremus.

7. Si quis percunctetur, an Mentem corpoream esse judicemus, hoc est, extensam, divisibilem, & solidam? dicemus nos nullam prorsus in ea extensionem videre, nec posse adfirmare utrum corpus sit earum proprietatum capax; neque negaturos, quoniam res est incomperta. Uno verbo, hîc adfirmamus quod nobis constat, cetera in medio relinquimus.

8. Æquè temerè nobis facere videntur, qui audacter adfirmant Mentem nihil aliud esse præter *Substantiam cogitantem*, quæ nihil prorsus commune habeat cum corpore; & qui contrà, Mentem esse tenuissimum corpus contendunt. Nam & hi dicunt esse in Mente, quod in ea numquam deprehenderunt; & illi statuunt nihil esse in Mente, præter id quod senserunt; quod cùm experientiæ contrarium, ut constat exemplo cæci, tum etiam temerarium est; quoniam sine ratione, quasi perspicuum ponitur, quod obscurissimum est.

9. Meritò tamen posteriores observarunt, inter philosophandum, si, omissis omnibus prioribus judiciis, quæramus, quid nobis ante omnia innotescat, & extra omne dubium positum sit, esse *cogitationem* nostram, seu exsistentiam rei cogitantis. Nam sanè nihil nobis propiùs conjunctum est, nihil exploratius quàm facultatem illam inesse nobis; neque vel minimùm ratiocinari possemus, quin hoc ipso, ante omnia, exsistentiæ rei ratiocinantis conscii nobis simus.

10. Rectè quoque iidem, quod in nobis cogitat esse substantiam adfirmant; quandoquidem cùm cogitatio merum sit accidens, quod per se exsistere nequit, esse subjectum cui insit necesse est. Igitur Mentem, quatenus nobis nota est, nihil esse præter *Substantiam cogitandi facultate præditam*, adfirmare possumus. Sed quoniam varia sunt cogitationis genera, quorum præcipua suprà memoravimus, sunt nobis singillatim expendenda paullò diligentiùs; quod Capitibus sequentibus hujus primæ Sectionis faciemus,

faciemus, si priùs quæstionem celebrem, *utrum essentia Mentis sita sit in cogitatione actuali, an in facultate cogitandi*, expenderimus.

CAPUT II.

Utrum essentia Mentis in actuali cogitatione, an in facultate cogitandi sita sit?

1. PRopositæ quæstioni ante omnia respondemus, licèt in Mente nihil, præter cogitandi facultatem & cogitationes varias, perspicuè norimus; attamen nos non adfirmare nihil esse præterea in Mente, ut superiore Capite ostendimus. Hinc sequitur nihil posse definiri de intima Mentis natura, quæ nobis ignota est; ac proinde nos non posse certò dicere utrum Mens sine actuali, aut etiam sine potentiali cogitatione, seu cogitandi facultate, esse possit, adeóque utrum essentia ejus intima ea in re sita sit; nam essentia est id, sine quo res esse nequit. Igitur si cogitationem actualem, aut potentialem quis velit essentiam Mentis vocare, erit *essentia nominalis*, non *realis*; hoc est, essentia rei, quatenus nobis nota est, non qualis est reverâ. Certè hanc reverâ esse adfirmare non possumus.

2. Sed audiendi qui in utramque partem hîc abeunt. *Ren. Cartesius*, qui in orbem eruditum opinionem de Mente essentialiter actu cogitante primus intulit, hoc uno nititur fundamento, quòd nobis experientiâ constat, dum vigilamus, perpetuò nos cogitare. Atque inde collegit Mentem nostram sine cogitatione numquam esse, neque esse posse.

3. Si objiceretur ei ætas infantilis, aut tempora somni, etiam tunc Mentem cogitationibus occupatam esse, sed earum nullam superesse memoriam reponebat. Sæpe etiam vigilantibus evenire cogitationum, quarum alii quibus eas significavimus recordantur, ne levissimam quidem nobis memoriam superesse.

4. Qui

4. Qui non putant Mentem perpetuò cogitare, primò consequentiam, quam ducit *Cartesius* à vigilia ad somnum, ab ætate rationis compote ad infantiam primam, aut etiam tempus quo in utero matrum fuimus, admitti quasi certam posse negant; nec aliud inde eum potuisse colligere, nisi fortè posse Mentem perpetuò cogitare, contendunt.

5. Secundò, quamvis aliquid reverâ cogitaverimus, cujus tamen obliti sumus, non sequitur, hoc perpetuò evenire; ita ut unaquaque die per aliquot horas dormientes cogitemus, nec expergefacti ullatenus cogitationum recordemur. Deinde ex oblivione ducta responsio *Cartesii* ostendit tantùm, objectionem ejus Adversariorum indidem petitam, non probare nullam fuisse cogitationem, eo quòd nulla sit ejus memoria; non probat reverâ fuisse cogitationem, cujus obliti simus.

6. Tertiò, cùm rationes *Cartesii* nihil præter perpeeuæ cogitationis possibilitatem probent, quamvis concederemus non esse eam possibilem modò, sed actu Mentes semper cogitare, hæc esset difficultas solutu haud facilis. Singulæ cogitationes, quibus Mens destinetur, sunt accidentia, quibus carere posset, & quæ subjecto cuipiam inhærent. Quodnam autem est id subjectum? Substantia, nimirum, quæpiam, cujus natura est ignota. Si corpus semper moveretur variis modis, & constaret omnes illos modos esse accidentia corpori inhærentia, & quibus etiam carere posset, an quisquam essentiam corporis illius in perpetuo motu esse sitam adfirmare auderet? Eadem est ratio Mentis, si ponamus cum *Cartesio* Mentem semper cogitare.

7. Quartò, si Mens in somnis perpetuò cogitat, quî fit ut cùm sine somniis dormiimus, nulla cogitationum illarum supersit memoria? Respondere solent, id inde oriri, quòd nulla sint earum cogitationum in cerebro vestigia, quorum ope conservatur memoria. Sed primùm hîc statuunt rem obscurissimam; nempe, Spiritus quidem, aut certè Mentes humanas sine interventu corporis cogitare, sed memo-

memoriâ nullâ valere. Non licet autem, ſine ratione, ponere quidquid defendendæ hypotheſi conducit. Deinde cui uſui eſſet ea cogitandi, ſine corporis interventu, facultas, quæ ſe in ſomnis exſerit, ſi nulla ſit Menti cogitationum memoria? Quænam poteſt eſſe ſine memoria ratiocinatio? Si eam tantùm cogitationem teneam, quæ mihi actu ineſt, ſed reliquarum omnium præteritarum oblitus ſim; inter ſe propoſitiones comparare, adeóque ratiocinari nequeo.

8. Quintò, objicitur *Carteſio*, perpetuâ, etiam in ſomnis, cogitatione efficere eum ex uno eodémque homine duos homines. Nam homo vigilans eſt ſibi conſcius eorum, quæ vigilans facit, eorumdémque recordatur. Poteſt dicere ſe hæc facere, ſe ſcire hæc à ſe geſta. At idem homo dum dormit, ſine ſomnio, alia omnia cogitat, quæ nullum habent connexum cum iis quæ vigilans cogitarat. Dormiens ſine ſomnio non magis recordatur eorum quæ fecit vigilans, quàm ſi ab alio eſſent facta, ipſo neſcio; vigilans non majorem memoriam habet eorum quæ dormiens cogitavit, quàm ſi ab alio homine eſſent cogitata. Ita eadem Mens duas veluti perſonas ſuſtinet. Ubi corpus vigilat, ejus operâ utitur ad memoriæ conſignandas cogitationes ſuas, quas ex memoriæ corporeæ tabulario, quando vult, repetit & recognoſcit. Sed corpore ſopito, clauſum id tabularium eſt, Mens nihil in eo reponere poteſt; & quantumvis cogitet, clanculariæ illæ cogitationes in nulla acta referuntur, Mentíque ipſi poſt aliquot momenta latent.

9. Poſſent & alia plura adferri, quæ *Carteſio* objiciuntur, verùm hæc ſufficiunt ut conſtet hypotheſin viri ſummi (nam mera hypotheſis eſt, nullâ demonſtratione nixa) iis laborare incommodis, ut nulla ſit ratio cur ei mordicùs, quaſi commodior eſſet omnibus iis, quæ hactenus inventæ ſunt, adhæreamus.

10. Hinc colligere eſt nobis quidem notiſſimum eſſe Mentem cogitare, neque ullam aliam proprietatem perſpicuè in ejus natura à nobis deprehendi,

ſed

ſed non ſequi nihil in ea eſſe aliud ; imò neceſſe eſſe in Mente eſſe aliquod ſubjectum cogitationum, cùm ſingulæ ſint accidentia, licèt nobis ignotum, ſeu quamvis ejus naturæ nobis conſcii non ſimus.

11. Præterea videtur ſubjectum illud ſine cogitatione, ut corpus ſine motu, eſſe poſſe ; quod eſt experientiæ conſentaneum, ut rationes è noctibus ſine inſomnio tranſactis petitæ oſtendunt. Ut meliùs hoc intelligatur, comparatione corporis, & Mentis utemur, non ut argumento, ſed doctrinæ causâ. Videmus rapidiſſimum motum paullatim minui, per gradus varios, ut tandem planè deſinat, corpúſque in perfecta quiete remaneat: ſic quoque Mentem ſentimus vividiſſimis ideis occupatam, adtentiſſimam eſſe, & omnes earum partes diſtinctiſſimè pervidere ; paullò pòſt minuitur vividitas idearum, adtentio veluti ſubſidit, & confuſiùs à mente conſiderantur ; jam uni ideæ non magis adtenta quàm aliis, tranſeuntes coram ſe perfunctoriè ſpectat, neque ampliùs uni immoratur quàm alteri, quo tempore dicimur *cogitare de nihilo.* Inde Mens ideas prætervolantes ferè negligit, ac ſpectare dedignatur ; tum confuſa omnia apparent, & adeo leviter iis adficitur ut vix percipiat ; donec tandem torpedine quadam veluti oppreſſa, ne leviter quidem quidquam animadvertat. Tunc demum præducta ſomni cortina ſpectacula omnia idearum Menti intercipit.

12. Unuſquiſque poteſt in ſe obſervare, ubi à vigilia in ſomnum paullatim delabitur, annon ſimile quid in ſe fiat. Hoc probè expenſo, viderit an malit ſibi credere, quàm Hypotheſi pro arbitrio arreptæ, neque ullo certo argumento ſuffultæ. Hoc tamen poſſit in gratiam *Carteſii* dici, ſi Mens ſit ſæpe ſine ratiocinatione, at non eſſe ſine ſenſu quopiam corporis ſui ; ac proinde ſine cogitatione, etiam in arctiſſimo ſomno. Sed quamvis perpetuus fermè ſit is ſenſus, attamen poteſt fortè fieri ut interdum eo, non minùs quam ratiocinatione, careamus. Certè ſemper eum nobis adeſſe, nemo invictè probarit.

C A-

CAPUT III.

De Proprietatibus, seu facultatibus Mentis summatim, & singillatim de Intellectu, Voluntate, Sentiendi facultate, & Libertate.

1. POstquam summatim ostendimus hanc solam Mentis proprietatem nobis esse notam, quòd cogitet, aut cogitare possit; jam quotuplicia potissimùm aut cogitationum, aut facultatum ad cogitationem pertinentium genera in ea deprehendamus accuratiùs videndum est.

2. Septem sunt præcipuæ Mentis facultates, quas singillatim contemplari operæ pretium est: *Intellectus*: 2. *Voluntas*: 3. *Sentiendi facultas*: 4. *Libertas*: 5. *Phantasia*: 6. *Memoria*: 7. *Habitus* varii repetitis actibus contracti. Hoc Capite quatuor priores expendemus, Capite sequenti reliquas tres explicaturi.

3. Voce *Intellectûs* hìc significatur ea *Mentis facultas quâ res prorsus incorporeas intelligit*; exempli gratiâ, ideas abstractas, & quæ ad Mentis ipsius naturam pertinent, in quibus nullam proprietatem corpoream cernimus. Hæc facultas solet etiam *intellectus purus* dici, ejúsque objectorum ei observantium perceptio *intellectio pura*. Opponitur, nempe, intellectioni rerum corporearum, aut quâ ideæ saltem quædam corporeæ percipiuntur.

4. Intellectus dicitur *facultas passiva*, quòd cùm Mens nostra intelligit nihil propriè agat, sed objecta tantùm quædam excipiat. Est, nimirum, instar oculi, qui nihil agit, ubi objecta considerat, nisi quòd eorum excipit imagines. Nihil iis addit, nec detrahit, sed quales ad se veniunt admittit.

5. Scholastici quidem distinguunt intellectum *theoreticam* & *practicum*, sed ea nomina ex natura potiùs rerum, quæ tunc considerantur, quàm ex intellectionum diversitate petita sunt. Etenim intellectum *theoreticum* vocant eum, qui circa res meræ speculationis, seu veritatem & falsitatem, simpliciter

ſimpliciter in ſe ſpectatas, verſatur; *practicum* verò qui *bonum* & *malum*, & quæ ad praxin pertinent conſiderat. Verùm aliud non patitur Mens, in intellectione boni, & mali, quàm ubi verum aut falſum intelligit.

6. *Voluntas* altera eſt facultas, quâ *volumus aut nolumus aliquid contemplari Mente, aut fieri à corpore, quatenus ab imperiis voluntatis pendet.* Ita ideas Menti obſervantes volumus diutiùs conſiderare, aut aliò Mentis aciem avertimus. Volumus moveri brachium, aut membrum aliud, quod voluntatis ſubeſt imperiis.

7. Quando Veritatem inveſtigamus, comparatione variarum idearum inſtitutâ, ſi nondum ſatis perſpicuæ ſint ut relationem earum deprehendamus; interdum eas diutiùs conſiderari, interdum omitti, nec ullam Propoſitionem de iis memoriæ mandari, niſi quòd ſint obſcuræ, placet; interdum etiam in obſcuris ideis inter ſe confusè comparatis adquieſcimus, quaſi perſpicuè aliquid vidiſſemus, & memoriæ mandamus aliquam de iis Propoſitionem, quaſi nobis compertam; denique tanta interdum occurrit in ideis perſpicuitas, ut illico de iis Propoſitiones formemus. Atque hæc vocantur *judicia*, quæ dicuntur cohiberi, ubi Mens dubia ulteriùs rem indagare, aut eam ad tempus, vel in perpetuum, nullâ propoſitione de ea memoriæ mandatâ, miſſam facere vult.

8. Scholaſtici tamen judicium tribuunt *Intellectui*, ac potiſſimùm quidem *practico*; & aliquando ita rem explicant, quaſi crederent Intellectum *theoreticum* rem expendere & verſare; quo peracto, Intellectus *practicus* judicium ultimum ferret, contra quod nulla eſſet provocatio; Voluntate, quæ *facultas* cæca eſt, ejus imperia ſemper exſequente. Verùm dum ita loquuntur, vocibus tantùm ab iis, quæ hactenus diximus, diſcrepant; at rem per ſe facilem, Rhetoricâ quadam fictione, impediunt. Facultates προσωποποιοῦσι & de iis loquuntur, quaſi de variis Entibus ſejunctis, quæ tamen unicæ inſunt Naturæ. Eadem Mens adſentitur, ſeu judicat, cohibet

cohibet judicium, imperat aut non imperat corpori, quocumque tandem designetur nomine. Præstat loquutiones obscuras, & quæ incautos in errorem conjicere possent, omittere.

9. *Sentiendi facultas* est, *quâ ex occasione quorumdam motuum corporis, dolorem, voluptatem, aut aliam cogitationem, volentes, nolentes in nobis nasci sentimus.* Circa hanc nulla est difficultas, neque aliter meliùs intelligi potest, quàm si unusquisque in se jubeatur descendere, ut videat quid in se fiat. Ad corpus quidem quod adtinet, de motu ejus, in sensationibus, quædam dici possent consideratu digna; verùm hîc Mentem solam spectamus, in Physicis de eo quod in corpore fit acturi.

10. *Libertas* est facultas, *quâ Mens propositioni adsentiri, aut adsensum negare; optare vel non optare bonum aut malum; cogitationem aliquam fovere, aut amoliri potest.* Exempli causâ, credere aut non credere Lunæ inesse Mentem, quæ eam circumagat; optare aut non optare bona singularia; cogitare ea de re, aut aliò Intellectum avertere possumus.

11. Tria de Libertate observanda sunt. Primum est, eam à nobis non tribui Voluntati, sed Menti; nam cùm Voluntas sit facultas Mentis, alia facultas, qualis est Libertas, ei quasi subjecto inhærere, nisi impropriè, dici nequit. Impropriè autem loqui hîc nos nihil cogit, & potest ea in loquendo improprietas in errorem conjicere, aut quæ dicimus, sine usu ullo, obscurare.

12. Alterum est, Libertatem solere dividi in Libertatem *contradictionis* & *contrarietatis*. Prior est, quâ Mens potest agere aut non agere, ubi res una objicitur; posterior, quâ potest hoc aut illud agere, ubi plura proponuntur. Verùm in posterioris Libertatis exercitio nihil occurrit, præter duos actus prioris. Quando enim malo Hebraïca, exempli causâ, quàm Græca legere; primò, nolo nunc Græca legere; secundò, malo Hebraïca legere, quàm non legere. Itaque ex iis, quæ de Libertate contradictionis dicentur, facilè poterit de altera judicium ferri.

13. Tertium est, non oportere Libertatem cum *spontaneitate* misceri, spontaneïtas enim est eadem ac Voluntas. Mens nihil potest facere non sponte, hoc est, volendo, hæc enim sola est actio Mentis. Itaque non potest spontaneïtas in volendo Menti eripi, nisi eripiatur ipsa Voluntas. At potest Mens non liberè adsentiri, non liberè cupere, non liberè quid sentire, uno verbo velle non liberè; quod paullò fusiùs diducendum est.

14 I. Sæpius in Logica observavimus, ubi idearum, quas contemplamur, relationes summam perspicuitatem consequutæ Menti nostræ obversantur, nos non posse Propositioni, inde in animo nascenti, adsensum negare. Ita postquàm comparavimus duos numeros, eósque æquales deprehendimus; fieri nequit, ut inæquales eos esse putemus. Qui comparavit tres decades, cum tricenario numero, non potest ampliùs dubitare quin ii duo numeri sint æquales. Contrà, ubi ideæ quas Mente comparamus adhuc obscuræ sunt, sentimus nos posse de relatione, quam nondum distinctè videmus, dubitare. Ita cùm duos numeros nondum distinctè novi, sed varias summas quibus constant leviter lustravi, possum dubitare æqualésne sint, an inæquales; aut judicium etiam in alterutram partem ferre, prout mihi libet; licèt ejusmodi judicium temerarium sit. Sic quotidie videmus homines de rebus gravissimis, planè incompertis, judicare; qualia sunt ea quæ ad Religionis controversias pertinent, de quibus ignarissimi, pro se quisque, sine provocatione judicant. Igitur est Libertas judicii in rebus obscuris, quæ nulla est in evidentibus.

15. II. Omnes homines sponte naturæ beati esse optant; quidquid agunt, quidquid moliuntur, eò tendit, ut felices vivant, &, si fieri possit, æternam consequantur beatitudinem. Tantâ vi eò feruntur, ut nequeant in contrarium tendere, aut non optare felicitatem. Itaque ubi de summo agitur bono, nulla est deliberandi Libertas, id necessariò concupiscimus. At bona minora, ut sunt omnia, quæ ad hanc vitam pertinent, optare, aut non optare,

quærere aut negligere possumus. Nullâ ineluctabili cupiditate ad ea amplectenda ferimur. Exempli causâ, optare voluptatem percipere, quæ est in comedendo fructu quopiam, eumdémque negligere quisque se posse sentit. Ubi putamus boni cujuspiam præsentis fruitionem noxiam postea nobis futuram, id refugimus. At nihil quidquam est, quod in nobis summæ beatitudinis cupiditatem exstinguere queat. Hinc cupiditatem bonorum singulorum esse liberam, sed summi illius boni, quod omnia complectitur, cupiditatem necessariam esse cognoscimus.

16. III. Corpore nostro certo modo dispostio & adfecto, necessariò quædam sentimus; quas sensationes, quamvis velimus, amoliri nequimus. Ita si manus nullo morbo corrupta uratur, necessariò sensationem molestissimam habebimus, licèt nolimus. Si, bene disposito corpore, sitientibus offeratur gratus liquor, hunc summa cum voluptate hauriemus. Hac in re nulla est Libertas. Sed in amoliendis aut vitandis causis externis, quæ nobis dolorem creant; aut in iis corpori nostro admovendis, si dolorem illum postea nobis valetudinem, aut bonum majus conciliaturum judicemus, Libertate uti possumus. Hîc observandum, ad voluptatem quod adtinet, sponte quidem nos & libenter eam sentire, si eam putemus esse ἀμεταμέλητον, sed non liberè; quoniam bibendo, exempli causâ, cerevisiam frigidam, in magno ardore sitis, non possumus impedire quin voluptatem percipiamus. Atque hæc eò diligentiùs sunt animo insigenda, quòd quidam, datâ operâ, spontaneïtatem cum Libertate perpetuò confundant.

17. Hisce ita constitutis, aliquid addendum de quæstione celebri; quoniam Mens in multis, ut vidimus, libera statuitur, *quâ re fiat ut, in ejusmodi rebus, ad quidpiam volendum adducatur?* Respondent Scholastici Mentem, seu Voluntatem, ut illi loquuntur, adduci ultimo Intellectûs practici judicio, quo lato non potest Voluntas non id exsequi; hoc est, cùm Mens aliquid judicavit esse volendum, id

 velle;

velle; quod veriſſimum eſt, nam judicare eſſe volendum, & velle idem ſunt. Verùm hoc non ſatiſfacit quæſtioni, quæ non ſolvitur niſi oſtendatur quid faciat ut in rebus ejuſmodi Mens judicium ferat.

18. Præſtat ergo reſpondere, verè quidem Menti obverſari ut plurimum aliquam rationem, propter quam eò fertur ut velit, nunc obſcuriorem, nunc clariorem; eámque cùm ex objectis, tum ex noſtra ipſorum diſpoſitione naſcentem; ſed id quo fit ut Mens adquieſcat in certo judicio, quando agitur de re libera, eſſe in ipſa Mente, quæ adquieſcit, quia vult adquieſcere, cujus voluntatis nulla eſt neceſſaria cauſa. Quæritur exempli causâ, an judicaturus ſim de re non comperta, nécne? ſi judicem, aut judicio abſtineam, quid Mentem meam in alterutrum inclinabit? Eſt quidem interdum ratio ab altera parte, ſed cùm negetur eſſe invicta, quæritur quid ei pondus addat? Quoniam nullam ipſi, qui talia judicia ferimus, poſſumus rationem proferre; ſequitur ut nulla ſit, præter Menti inſitam Libertatem, quâ fertur quò vult (in rebus obſcuris, aut bonis ſingularibus) ſine ulla impellente cauſa, extra ipſam ſita. Atque hoc jam in Ontologia attigimus, ubi de Contingentia egimus.

19. Proponitur & alia Quæſtio, utrum nempe *poſtquàm Mens judicavit eſſe aliquid faciendum, poſſit tamen contra hoc ſuum judicium agere?* Ea quæſtio non proponeretur, ſi ſatis obſervatum fuiſſet quid judicium ſit. Etenim cùm Mens judicat eſſe aliquid faciendum, eo ipſo facit, quantum in ipſa eſt. Exempli causâ, quæritur utrum ſit Evangelio habenda fides? Si Mens judicet eſſe habendam, eo ipſo Evangelio credit; nam judicare aliquid eſſe verum, & verum credere perinde eſt.

20. Verùm paſſim Mens judicat agendum eſſe contra id quod verum, aut juſtum credit; hoc eſt, externis actionibus, in quibus intervenit Corpus, repugnari internis luminibus. Ita cùm aliquis per totam vitam homicidium illicitum eſſe judicarit, attamen adfectu perturbatus homicidium admittit.

Poteſt

Poteſt etiam Mens, poſt judicium aliquod verum à ſe latum, ejus, aut infirmitate, aut perturbatione, aut alia de cauſa, oblivifci; & falſum poſtea de eadem re judicium ferre. Poteſt quod ſummatim judicavit non rectè ſingularibus rebus aptare. Tunc dicitur contra conſcientiam, ſeu proprium judicium antea latum, agere. Sed numquam eodem tempore atque eodem reſpectu vult & non vult, hoc enim repugnat.

21. Denique quæritur, quid ſit illud ipſum quod facit ut quiſpiam, exempli causâ, malit homicidium committere, quàm humano ſanguini parcere? Hoc ex tranquillo Mentis judicio, quod naſcatur ex comparatione quarumdam idearum, adeò ut omnibus expenſis Mens judicet melius eſſe hominem interficere, quàm non interficere, non fluit; ſed ex adfectu, cui ſemper cum voluptate indulgemus. Qui enim irâ percitus eſt in aliquem, propter contumeliam ab eo acceptam, aut quid ſimile, libenter & cum voluptate illi malefacit. Hinc ſine ullo judicio, ex collatis ideis elicito, dum ira vehemens eſt, bruto veluti impetu eum interficit.

22. Eadem eſt ratio omnium, quæ ſine certis rationibus facimus; impetu quodam in ea ferimur, propter voluptatem, quam in iis perpetrandis experimur. Solâ voluptatis cogitatione occupata Mens eò, ſine ulteriori examine, fertur.

23. Neque tamen ea voluptas tantam vim habet, ut ineluctabiliter Mentem eam in partem flectat: quemadmodum Mens neceſſariò, ad amandum ſummum bonum, fertur; cujus rei hoc certum indicium habemus. Si edicto vetarent omnes Principes & Magiſtratus optari ſummum bonum, & exquiſitiſſimis ſuppliciis eos adficerent, qui optare ſe beatitudinem aliquâ actione teſtarentur, quàm primùm illis eſſet totum humanum genus interficiendum; & ſi ipſi legibus ſuis ſtare vellent, ſibi ipſos manus, interfectis carnificibus, adferre oporteret. Nam nulla eſt ratio vitandæ ejus cupiditatis; nec eam diſſimulare quiſquam poteſt. Sed ſi Principes & Magiſtratus alicubi vetarent vinum bibi, & gravi-

bus bibentes plecterent pœnis; brevi tempore, vini bibendi cupiditatem omnium animis evellerent.

24 Hinc colligimus Mentem liberam esse, ubi est adsensus præbendus aut negandus obscuræ, seu non evidenti Propositioni; aut bona quædam, quæ non sunt summum, ad quod sponte naturæ tendimus, ei vitanda, aut amplexanda offeruntur. De non evidentibus judicare, aut cohibere judicium; bonum quodpiam singulare quærere, aut omittere potest.

25. Solent Scholastici proponere hìc Quæstionem, quam omittere quidem potuissemus, quippe quæ ex superioribus facilè solvitur; neque in animum eorum veniet, qui ea legerint. Quia tamen nobilis est, ei vocibus solitis conceptæ posita à nobis principia adcommodabimus. Quærunt an *Voluntas possit ferri in malum, quà malum?* Negant magno consensu, & meritò quidem, nam *malum* nihil aliud est hoc in loco, nisi quod nobis aliquam molestiam sine fructu ullo, ei molestiæ æquiparando, creare posse judicatur. Quamdiu autem aliquid nobis ita displicet, hoc est, quamdiu voluntas id aversatur, non potest idem placere, aut voluntas in id ferri; sunt enim hæc repugnantia.

CAPUT IV.

De Phantasia, Memoria, & Habitibus Mentis.

1. MEns nostra non modò quæ proprietatibus omnibus corporeis destituta sunt, ut ideas abstractas, & propositiones generales, aliáque incorporea intelligit; verùm etiam rerum corporearum imagines ante se versantes videt; cùm ubi præsentes, tum ubi absentes res ipsæ sunt. Videmus obversantem nobis arborem, quando interdiu arborem intuemur; eamdem in somnis interdum cernimus, & vigilantes absentem in memoriam revocamus. Ea Mentis facultas *Phantasia*, quòd *Phantasmata*, seu imagines

imagines corporearum rerum contempletur, dici solet.

2. Ut intelligamus facultatis hujus naturam, accuratè distinguendum quod in animo nostro fit, nobis consciis, quando quidpiam imaginamur, ab eo cujus conscii non sumus, sed quod ratione colligimus. Prius dicitur esse in Mente, posterius in Corpore.

3. Ut à posteriore initium faciamus, quando nobis obversatur vigilantibus objectum corporeum, primùm radii lucis ab eo objecto ad oculos nostros veniunt, ut in Physica ostendemus; secundò, ii radii, qui instar fluctuum internas oculorum partes feriunt, movent nervos, quibus tunica oculorum quæ *retina* dicitur constat; tertiò, is motus nervorum ab oculorum intima parte ad cerebrum porrigitur. Hæc ita se habere colligimus ratiocinationibus, quæ potiùs ad Physicam, quàm ad Pneumatologiam pertinent, neque à nobis hîc memorabuntur.

4. Hoc peracto, Menti nostræ obversari ideam rei extra nos positæ sentimus. Hîc non quærimus quis sit nexus in cerebro excitati motûs & ejusce-modi ideæ; satis est modò constet, quando fit ejusmodi motus, ideam objecti Menti se ingerere. Nobis illis motibus cerebri adsuetis, evenit etiam ut, absentibus objectis, eodem modo, quæcumque tandem sit causa motûs, ac solet objectis præsentibus, moveatur. Atque hæc perceptio objectorum propriè *Phantasia*, vel *Imaginatio*, in sermone potissimùm quotidiano, vocatur.

5. Igitur Menti inest facultas absentium objectorum imagines percipiendi, seu in somnis, cerebro, insciâ Mente, temerè moto; seu in vigilia, eo motu Mentis imperio in cerebro excitato, fiat.

6. Non inquiremus hîc quænam sint imagines, quæ proximè Menti sese objiciunt, quando videt aut imaginatur quidpiam. Disquisitio ea singulari Capite digna est. Verùm quæritur, quî fieri queat ut Mens quidpiam imaginari velit? Nempe, ut cupiat aliquid imaginari, oportet jam illi hoc esse

 notum,

notum, nam ignoti nulla cupido. Quæritur autem quomodo notitia ejus rei ad Mentem perveniat? Respondemus, 1. posse excitari, aliqua mechanica de causa, motum tenuem in cerebro, quò subobscura ejus rei nascatur Menti imago, quam Mens clariorem esse cupit: 2. Mentem, quædam similia considerando, aut imaginando, aliarum rerum iis conjunctarum ad se quodammodo ideas advocare.

7 Plura solent de Phantasia agitari, sed quia pendent ex cognitione accuratiore cerebri, & totius corporis humani; ea hîc prætermittemus, ut ad Memoriam transeamus.

8. *Memoria* dicitur *ea facultas, quâ quod imaginati sumus, aut sine imagine corporea intelleximus, aut sensimus, ita coram Mentem revocamus, quando volumus, ut rursus ejus rei nobis obversetur idea.* Certissimâ experientiâ constat, inesse Menti ejusmodi Facultatem; sed quomodo exerceatur, non ita compertum est.

9. Sunt qui velint Memoriam ope cerebri ita exerceri, ut turbato cerebro, aut violento motu, aut aliâ ratione, Menti rerum quas olim norat nulla supersint vestigia. Quotiescumque de re quapiam cogitamus, motu quodam nostrum cieri cerebrum aiunt. Unde fit ut quotiescumque idem motus incipit, rei illius, quam motus ille comitari solitus est, illico nascatur memoria. Quia autem sæpe evenit, ut de duabus rebus eodem tempore cogitaverimus, ac proinde ut motus duo simul in cerebro nostro orti sint; hinc, si illis credimus, fit ut alterutro eorum motuum excitato, excitetur etiam alter, ac proinde unius rei memoria alterius in Mentem revocet ideam.

10. Quærentibus quâ ratione motus, qui semel desiit, rursus ab alio creari queat, cum quo olim excitatus fuerat? reponunt motus cerebri in ejus fibris excitari, ope tenuissimarum sanguinis partium, quæ *Spiritus animales* vocantur & nervis potissimùm continentur; hos autem Spiritus certâ ratione fibras flectere, ut flexionis illius supersint vestigia:

aut

aut poros certos permeare, quos si sæpius ingressi fuerint, apertos relinquunt: unde fit ut facilè postea eosdem subeant poros, aut per certas fibrarum cerebri flexiones fluant. Si ergo simul fluxerint per certas cerebri partes, & pori quos permearunt meatibus quibusdam conjuncti sint; ubi rursus porum unum subeunt, facilè, ut putant hi Philosophi, per apertos meatus fluunt, & conjuncta olim vestigia rursus renovant.

11. At si tanta mutatio facta in cerebro esset, ut omnia priora vestigia deleta, omnes pristini meatus occlusi aut mutati essent; tunc nulla, inquiunt, præteritarum rerum superesset memoria, quod quibusdam longinquis morbis contigisse memoriæ proditum est. * *Nec aliud est æquè fragile in homine, morborum & casûs injurias atque etiam metus sentiens, aliàs particulatim, aliàs universa. Ictus lapide oblitus est litteras tantùm. Ex prealto tecto lapsus matris & adfinium, propinquorúmque cepit oblivionem. Alius ægrotus servorum etiam; sui verò nominis Messala Corvinus orator.*

12. Propter eamdem causam fieri aiunt ut ebrii multa faciant, quorum, ubi crapulam edormierunt, nulla ipsis superest memoria. Nempe, fumis vini adeò cerebrum impletur, ut vestigia rerum quas egerunt deleantur. *Postero die,* ait † Scriptor modò laudatus, *ex ore halitus cadi, ac ferè rerum omnium oblivio, mórsque memoriæ.*

13. Quin ea memoriæ explicatio philosophica sit ingeniosissima, & multis phænomenis apprimè satisfaciat, nemó inficietur. Sed duæ potissimùm difficultates vix, ejus Hypotheseos ope, solvi queant. Prima est non capi quâ ratione omnium eorum, quæ memoriæ mandavimus, quæ infinita pænè sunt, & quotidie augentur, possint certa & distincta in cerebro servari vestigia. Innumera sunt vocabula & phrases, ideæque abstractæ & concretæ omnium generum, quorum distinctè recordamur; & quorum omnium, si sint distincta in cerebro vesti-

* *Plinius Hist. Nat.* L. VII. c. 24.
† *Id. Lib.* XIV. c. 22.

gia, cerebrum noſtrum capacius eſſe vaſtiſſimâ Bibliothecâ fatendum eſt. Quæ enim volumina non ſcriberentur à viro memoriâ præſtante, ſi omnia quorum meminiſſet, parva, magna, litteris conſignaret? *Vide Auguſtinum Confeſſ. Lib. X. c. 8. & ſeqq.*

14. Altera difficultas eſt, ex Hypotheſi memoratâ, ita recordandi facultatem à cerebro pendere, ut Menti ſine eo nulla tribuatur; quod ſanè cum eorum ſententia, qui Menti ſoli cogitandi facultatem ineſſe aiunt, non conſentit. Cui enim uſui illa cogitandi facultas ſeparatæ eſſet Menti, quæ præteritæ cogitationis nullius recordaretur? Oporteret Mentes corpore deſtitutas in perpetua omnium rerum ignorantia, licèt per totam æternitatem cogitarent, verſari. Cùm enim præſentia tantùm cognituræ eſſent, præteritorum omnium oblitæ, quæ comparari poſſet eruditio? Ne longiuſculam quidem ullam ratiocinationem inire poſſent, quoniam cùm ad extremam propoſitionem deveniſſent, primarum deleta eſſet memoria. Denique unoquoque momento, quo nova inciperet cogitatio, Mens, quæ eâ percelleretur, eſſet veluti nova Mens, quæ tum exſiſtere inciperet; cùm præteritæ exſiſtentiæ non recordaretur, & proinde ſe tunc primùm eſſe crederet. Igitur ii, ex quorum ſententia memoria à cerebro prorſus pendet, Mentes ſeparatas inferiores prorſus Mentibus conjunctis faciunt; quod tamen nollent, quippe qui Mentem à corpore præpediri dictitare ſolent.

15. Si contendant ſe Mentibus ſejunctis memoriam tribuere à Corpore minimè pendentem, doceant nos oportet quomodo Mens, dum Corpori conjuncta eſt, eam non habeat; quam ſtatim, à ſoluto Corporis vinculo, habitura ſit. Sanè quemadmodum certò conſtat eam ineſſe nobis facultatem, æquè eſſe ignotum quo pacto exerceatur fatendum eſt. Neque objici poteſt, eam partim ſaltem in Corpore ſitam eſſe, quoniam adfecto Corpore mutatur; nam quid obſtat quominùs dicamus, propter conjunctionem Mentis & Corporis, perturbato Corpore, præpediri facultatum ejus uſum? Mens quidem

quidem sola, secundùm *R. Cartesium*, ratiocinatur; attamen cerebro perturbato, ratiocinari desinit, aut in delirium agitur.

16. Neque mirum ulli videri queat, si dicamus inesse Menti nostræ facultatem, quam quomodo exerceat nescit; quandoquidem cùm nemini dubium sit, quin percipiendi facultate, seu Intellectu sit prædita, nemo idearum ei obversantium naturam, modùmque quo eas intelligit, adhuc cum aliqua verisimilitudine explicare potuit.

17. Si quis quærat, quomodo Mens possit in Memoriam revocare ea quorum oblita est? Respondebimus ferè idem, quod suprà de Imaginatione §. 6. diximus: 1. Cognitâ aliquâ rei circumstantiâ, reliquas revocat; si enim nulla prorsus superesset, neque ab ullo suggereretur circumstantia, de ea re ne scire quidem possemus nos olim cogitasse: 2. Experientiâ novimus inter res semel in animo nostro conjunctas, eum esse connexum, ut una in memoriam revocata alias, quasi fune quodam, trahere soleat.

18. Postea quàm quid de Memoria notum, quid ignotum sit ostendimus, ad omnes Habitus Mentis in genere transibimus. Atque *Habitum* quidem in genere vocamus *Adfectionem certam, repetitis actibus adquisitam, quâ Mens faciliùs de re quapiam cogitat, aut aliquid vult, quàm antea.* Ita lectione librorum Geometricorum, adquiritur habitus intelligendarum demonstrationum Mathematicarum, sine labore ullo; cùm non adsuetis, etiam perspicacibus ingeniis, res sit primâ fronte difficillima.

19. Hîc quoque de re constat, de modo rei non est levis difficultas. Verisimillima tamen videtur eorum sententia, qui Habitus à Memoria distingui negant, quorum aliquot argumenta proferemus. Existimant actus, qui Habitibus tribuuntur, debere Memoriæ tribui, quod hoc modo probant.

20. I. Dividuntur Habitus in *Intellectuales*, & *Morales.* Inter intellectuales est *Scientia*, quæ in eo sita est Disciplinæ principia & consectaria teneamus. Hæc autem quid est, præter Memoriam,

quæ

quæ in animum principia olim cognita, & consectaria inde deducta revocat? Cùm scienter quispiam ratiocinatur, de re quam probè tenet; quid aliud facit, nisi quòd propositiones olim notas memoriâ recolit, & cum aliis comparat? Si oblivisceretur se umquam de re illa ratiocinatum, & omnium actuum Mentis circa id objectum deleta omnis esset Memoria; quî, quæso, posset doctè disputare? Idem de reliquis habitibus intellectualibus dixeris. *Morales* vocantur Virtutes & Vitia, quæ pendent etiam ex Memoria, ut exemplo Ebrietatis, & Sobrietatis liquebit. Sobrietatis habitu is præditus esse dicitur, qui legum Sobrietatis memor, sæpe sibi à nimiis cibis, nimiòve potu temperavit; quod cùm in animum revocat, facilè sobrius esse pergit. Quò plures Sobrietatis actus edit, eò magis virtutis ejus memoriam recolit; adeò ut quotiescumque aliquâ occasione in contrariam partem trahitur, illico Sobrietatis idea Menti ejus sese ingerat, hominémque ab intemperantia deterreat. Similiter ebriosus memoriæ præsentem habet voluptatem, quam bibendo sæpiùs expertus est; eáque tantopere adficitur, ut primæ cuique occasioni plus satis bibendi succumbat.

21. II. Nemo negarit actionum bonarum & malarum superesse memoriam; quo tamen posito, ad habituum naturam describendam, aliud nihil postulatur. Habitus facultatem certo modo adficiunt, in certam partem inclinant, vires & facilitatem ad quædam peragenda addunt; quæ omnia à Memoria fiunt, ut aliò confugere supervacuum sit. Quando recordamur quo modo & quo ordine aliquid fecerimus, modo ne externa subsidia quæ necessaria sunt desint; nihil aliud, ut facilè idem à nobis denuò fiat, desideramus. Quò vividior est Memoria, eò facilior actio. Pictor qui aliquoties vultum, aut corpus humanum pinxit, ideam ejus Menti obversantem, ut denuò simile quid pingat, spectet necesse est.

22. III. Ex ratione, quâ Habitus & Memoria ingenerantur & delentur, augentur & minuuntur, ac connexu

connexu qui inter hæc intercedit, ex Memoria agere, aut Habitui obſequi idem eſſe colligimus. Habitus & Memoria procreantur ſenſim, iiſdem cogitationibus ſæpiùs repetitis; & quò frequentiùs hæc cogitamus, eò firmiores & Memoria & Habitus fiunt. Contrà paullatim minuuntur, prout minùs ac minùs eaſdem cogitationes animo verſamus; donec iis longo tempore omiſſis, & Memoria & Habitus prorſus intercidant. Memoria non habet ſemper actu ſibi obverſantes omnes ideas, quas tamen quando volumus ad animum revocamus. Eas quaſi in penu quodam ſervat, unde quotieſcumque neceſſe eſt depromuntur. Sic & Habitus perpetuò non agunt, quieſcunt identidem, & ubi opus eſt exſeruntur; unde peritus Artifex eamdem ſoliti operis elaborandi dexteritatem, ſeu quieſcat, ſeu operi incumbat, ſecundùm Horatianos verſus, habere cenſetur:

Ut quamvis tacet Hermogenes cantor, tamen æquè
Optimus eſt modulator; & Alfenus vafer, omni
Abjecto inſtrumento artis, clauſáque tabernâ,
Sutor erat.

Poteſt denique obſervari nexus, qui inter Habitus & Memoriam eſt, in eo quòd ubi alterutrum deſinit, alteri quoque finis imminet. Ætate florentes, & quibus adhuc eſt felix Memoria, quidquid edidicerunt facilè faciunt: contrà ſenes, quos deficit Memoria, non ampliùs id facere quod in juventute factitabant, queunt.

23. Hæ ſunt præcipuæ rationes, quibus utuntur, qui habitus Spirituum à memoria non differre volunt. Scholaſtici ſolent diſtinguere habitus ſimul ac ſemel *infuſos* à Deo, ab *adquiſitis* repetitis actibus. Verùm hæc ſunt Theologica, quibus immorari nos non patitur inſtitutum noſtrum. Non moramur quoque diviſionem Ariſtotelicam habituum in quinque genera, quibus impoſuit nomina *Artis, Scientiæ, Intelligentiæ, Sapientiæ & Prudentiæ*. Ut enim vocabulis

bulis sensum quem voluit tribuit: ita ad cognitionem ignotarum alioqui rerum, eâ divisione, nullomodo nos deducit.

CAPUT V.

De Idearum Natura, atque an sint innatæ?

1. QUÆ de Ideis hìc observanda habemus, ad tractationem de Intellectu & Imaginatione pertinent; sed quia plura hac de re, quam ut commodè superioribus, eodem in Capite, conjungi possent dicenda habebamus, ideò in singulare Caput ea conjicienda censuimus.

2. Ante omnia, hìc nobis duo monenda sunt, quorum primum est nos voce *Ideæ* intelligere *id quod Intellectûs nostri immediatum objectum est*; seu *quod Intellectus noster immediatè contemplatur.* Alterum est, pro ejusmodi objecto immediato non haberi Mentem ipsam, si quando de se cogitat; neque enim se contemplatur, ut reliqua omnia, in Idea quadam externa, sed tantùm sensationes suas internas adtendit.

3. Ut meliùs intelligatur quid sit Idea, considerandum est quid nobis eveniat, cùm Ideas per sensus externos ingestas consideramus, & cùm Ideas abstractas & incorporeas contemplamur. Cùm montem consideramus, lux ad oculos nostros adpulsa nervos opticos movet, motúsque is ad intimum cerebrum pertinet. Commoto intimo cerebro, nobis montis obversatur Idea, seu Mens nostra montem videt. Ea Idea, quæ Menti tunc sese objicit, non est motus cerebri; quid enim motus fibrarum cerebri simile habet imagini montis? Non est etiam ipse mons, nam ea Idea modò minor, modò major est, pro montis distantia, cùm mons semper idem sit. Non est modificatio, aut essentia Mentis, nam præterquam quòd sentimus ingens esse discrimen inter Ideæ perceptionem, & sensationem; quid habet Mens nostra simile monti, aut innumeris ejusmodi Ideis?

4. Quando

4. Quando Ideam Virtutis contemplor, ut Misericordiæ; nihil mihi obversatur, quod simile sit rei actu exsistenti; neque enim Ens est Ideæ Misericordiæ in genere simile. Non considero tunc Mentem meam, nam neque Mens mea, neque ulla ejus adfectio, ullúsve habitus est Misericordia in genere.

5. Postquàm vidimus quid non sint Ideæ omnium consensu, superesset ut ostenderemus quid sint; verùm cùm eò usque procedere, nostro judicio, non liceat, aliorum dumtaxat sententias proferemus, &, quod facillimum est, confutabimus. Meliora dare non pollicemur, & ut quisquam umquam verisimilem hîc Hypothesin invenire queat, veremur.

6. I. Scholastici existimant ex objectis ipsis manare quædam simulacra iis similia, quæ ab iis vocantur *species impressæ*; quia ab objectis imprimuntur sensibus externis, unde deferuntur ad *sensum communem*, hoc est, nescio quam facultatem, quæ proprietates omnium sensuum externorum complectitur. Deinde hæ corporeæ species offeruntur *Intellectui agenti*, qui eas spirituales reddit, & *Intellectui patienti* offert. Tum vocantur *expressæ*, quia ab Intellectu agente ex impressis exprimuntur, & per eas tandem Intellectus patiens objecta corporea percipit.

7. Ut confutetur ejusmodi Hypothesis, nullâ aliâ re opus esset, nisi merâ negatione. Nullo enim prorsus nititur fundamento, nisi eorum qui eam invenerunt opinione; quam veram esse, quòd aliam commodiorem non nossent, sibi persuaserunt. Sed 1. Nobis conscii non sumus duplicis illius Intellectûs, sed tantùm *patientis*; sentimus enim, cùm objectum animadvertimus, nos tantùm pati. 2. Quî potest fieri ut Intellectus ille agens res animadvertat, quas non percipit Intellectus patiens? Quodnam est eorum discrimen? Cui usui denique est Intellectus ille patiens, qui nihil animadvertit quod ab altero jam perceptum non sit? 3. Quomodo possunt emanare ex objectis corporeis tot species, sine corporum imminutione? Quomodo possunt undequaque ex innumeris corporibus, ad oculos nostros, venire species distinctæ? Sed diutiùs abso-

absonam Hypothesin, quæ solâ negatione destruitur, confutare opus non est.

8. II. Alii fatentur quidem nullas esse ejusmodi species, & Mentem percipere censent ex occasione quorumdam cerebri motuum, quibus nihil cum objectis commune; sed in sententiam, priore haud faciliorem intellectu, delapsi sunt. A Mente Ideas rerum quas percipit, creari volunt.

9. Verùm hîc rursus occurrit, quod priori sententiæ objecimus. Nempe, mirum esse Ideas à Mente nostra, nobis insciis, creari; nam cùm nobis subitò obversantur varia objecta, priusquàm de iis cogitaverimus, imò interdum nobis invitis, oportet eorum Ideas à Mente inscia, aut etiam invita, gigni. Deinde unde novit Mens Ideas, quæ certis cerebri motibus respondent, esse progenerandas, quando ne motus quidem cerebri animadvertit? Verè quidem Mens interdum eorum, quæ purâ intellectione percipit, corporeas imagines, commoto cerebro, excitat. Sed & in hoc est difficultas haud levis, nam Mens quomodo cerebrum sit movendum nescit, sed tantùm sibi obversari imaginem quamdam corpoream cupit; & quis sit connexus inter desiderium illud Mentis, & ejusmodi Ideam, qua de re postea dicemus, quærendum superest.

10. III. Alii putant *ideas*, & *perceptiones idearum* easdem esse, licèt relationibus differant. Idea, uti censent, propriè ad objectum refertur, quod Mens considerat, perceptio verò ad Mentem ipsam quæ percipit, sed duplex illa relatio ad unam modificationem Mentis pertinet. Itaque, secundùm hosce Philosophos, nullæ sunt propriè loquendo *Ideæ* à Mente nostra distinctæ; & quando nos dicimus *rerum Ideas percipere*, aut *eas obversari intellectui nostro*, hæ phrases desumtæ sunt ex rebus corporeis; ut cùm dicimur videre picturam alicujus corporis, quando, corpore ipso absente, ante oculos nostros collocatur Tabula. Oculi nihil videre dicuntur, nisi quod extra ipsos est: sic de objectis quoque Mentis solemus loqui, licèt Mens non adficiatur, ut Oculi, Tabulâ quadam externâ rerum quas contemplatur,

templatur, sed certâ ratione adfecta videat quod extra se est; cùm nihil sit, præter objecta & motum ab iis in cerebro excitatum.

11. At qui ita rem intelligunt, sensationes rerum intra nos, seu intra Mentem nostram, cum perceptionibus rerum extra nos positarum confundunt. Nec si ita se res haberet, uti volunt, satis distinguere quæ sunt tantùm in nobis, ab iis quæ foris sunt possemus. Pungimur exempli causâ, acu; dolorem in nobis esse sentimus, qui Mentis nostræ modificatio est. Sed cùm videmus montem, judicare non possumus montem esse intra Mentem nostram, conscii enim nobis sumus id quod contemplamur extra nos esse.

12. IV. Sunt denique qui velint rerum omnium ideas, quas contemplamur, esse in Deo. Mentem nostram judicant immediatè cum eo esse conjunctam; ita ut ejus substantiam immediatè cernat, cùm aliquid cernit, quatenus Dei substantia continet rei quam contemplamur Archetypum. Cùm enim Deus omnia crearit, & omnia quæ à nobis intelligi possunt, creare queat; in eò rerum omnium proprietates continentur; quas Menti nostræ ipse ingerit, prout à rebus illis cerebrum nostrum adficitur, aut eas Mens nostra contemplari cupit.

13. Ut rerum omnium proprietates reales Deo inesse verissimum est: ita quî fieri possit, ut Mens nostra cernat imperfectiones, seu defectus creaturarum in Deo, non capimus. Exempli causâ, soliditas quidem perfectio est, quam si creavit Deus, ut sanè creavit, intra se complectitur; hoc est, vim coërcendarum partium, ita ut impellenti resistant; sed solidum certa figura limitatum, aut potiùs limitatio ipsa, seu defectus majoris extensionis, est imperfectio, quæ quomodo in Deo cernatur nemo capiat. Neque dixeris in Deo esse solidum infinitum *νοητὸν*, cujus partem tantùm videmus, non consideratis reliquis; nam capi nequit, quâ ratione, Menti obversante infinito solido *νοητῷ*, in eo videat tantum quadratum pedale, aut ejusmodi aliam figuram.

14. Hinc

14. Hinc viri acutissimi, qui hac de re Gallicè nuper certarunt, magnâ animorum contentione, *Franciscus Malebranchius* & *Antonius Arnaldus*, quorum ille ultimam tuetur, hic tertiam sententiam, sibi invicem multùm negotii facesserunt, & mutuis telis ita confossi ex eo certamine abierunt, ut uter vicerit haud facilè constet. Certè multis victores esse, ubi oppugnant adversarium; victi, ubi se contra irruentem tueri conantur, visi sunt.

15. Nos hoc in negotio ἐπέχειν, & naturam Idearum inter ea numerare, ad quorum cognitionem aut omnino pervenire non licet, aut adhuc saltem non licuit, tutius censemus. Neque hoc mirum videatur, quando ne Mentis quidem ipsius natura nobis nota est; quâ ignoratâ, numquam omnes ejus operationes satis plenè noscemus.

16. Altera quæstio, quam in inscriptione hujus Capitis tractaturos hîc nos indicavimus, ad id quod solet de Ideis, omnibus hominibus naturâ insitis, jactari, pertinet. Lis est inter Philosophos, num sint *ideæ innatæ?* quod, aliis negantibus, alii constanter affirmant. Ut autem unde stet veritas deprehendere queamus, quid sibi velint voces, quibus concipi quæstio solet, primùm inquiramus necesse est.

17. Si τὸ *innatum esse*, significaret hoc in negotio, *præsens esse Menti perpetuò, ab eo usque tempore quo esse cœpit*, vix posset ulla esse inter cordatiores controversia; quis enim dixerit seriò esse Ideam, quam indesinenter contemplemur? Si eæ voces quidpiam denotarent *quod ante omnem ratiocinationem, omnémque experientiam, Menti primùm existenti inest*; quærendum esset quid illud sit, de quo ante omnem experientiam, omnémve ratiocinationem Mens cogitarit? Nemo sanè ullius ejusmodi Ideæ memor est; nemo quod non meminit, id in se fuisse adfirmarit; aut adfirmans fidem apud alios invenerit. Si quis dixerit significari *facultatem homini esse naturâ insitam, cujus ope eas ideas contemplatur*, nulla etiam erit controversia; quia sic omnes Ideæ dicentur *innatæ*, & eo sensu innatæ ab omnibus agnoscentur.

18. Igitur

18. Igitur omissis iis significatibus, superest ut qui affirmant *ideas esse innatas*, hoc sibi velint, Ideas esse quasdam, *quæ aliquando sine occasione objectorum externorum, ac sine ulla deductione consectariorum Menti obversantur.* Si eo numero censerentur tantùm ea quorum conscii nobis sumus, & quæ sine ratiocinatione in nobis sentimus, nullum esset hac de re, inter amantes veritatis, dissidium. Quin enim *intellectionum, volitionum*, &c. ab omnibus objectis externis sejunctarum, absque consectariorum subsidio, conscii nobis simus dubium esse nequit. Sed qui *ideas innatas* esse volunt, superioribus varias Propositiones adjiciunt, cùm ad meram theoriam, tum etiam ad praxin pertinentes, quas innatas contendunt. Sic, ut aiunt, *Dei* Ideam, *partem esse minorem toto*, aliáque generalia axiomata innata sunt. *Virtutum* & *vitiorum* innatæ etiam, si iis fides est, Ideæ. Atque in hisce sita est omnis controversia, omnes enim hujusmodi Ideas aut meditationis operâ, deductione consectariorum, aut ope vel occasione sensuum nobis innotescere alii volunt.

19. Priusquàm sententiæ priori adsensum præbeamus, alterutrum horum evidenter nobis probari necesse est; nimirum, aut aliquem fuisse qui sine objectorum externorum, & consectariorum occasione aut subsidio, *Deum esse, partem minorem toto*, &c. aliquid *Virtuti consentaneum*, vel *Vitio adfine* cogitarit: aut hasce ac similes Ideas aliunde ad nos venire non potuisse. Neutrum autem, ullâ ratione, ostendi queat.

20. Nemo est, qui ejusmodi Ideas, sine ulla objectorum externorum occasione, sine consectariorum auxilio, sine institutione ad animum suum adpulisse meminerit; aut qui quemquam fide dignum, qui de se talia jactet, norit. Si primi homines, sine extraordinario divinæ Providentiæ auxilio, has Ideas abstractas animo versarunt; experientiâ & ratiocinationibus eò devenire, ut ostendemus, potuerunt. Sin verò ejusmodi Ideæ à Deo extra ordinem eis suppeditatæ sunt, hoc ad alios homines, qui eodem jure non gaudent, nihil adtinet. Posteri verò tam

facilè

facilè cùm institutioni Majorum, tum experientiæ ac meditationi suæ, quàm naturæ hæc debere possunt, quod ex sequentibus liquebit.

21. *Dei* Idea, ut in tertia Sectione videbimus, composita est ex omnibus omnium rerum proprietatibus, à quibus omnes defectus removemus; nec magis nobis quàm Ideæ *navis*, aut *domûs* naturâ insita est. Si ipsi meditatione nostrâ solâ eam formaremus; à posteriore ex consideratione demum Creaturarum, adhibitis variis axiomatibus, ad eam deveniremus; & cùm ab aliis nobis consideranda offertur, non priùs eam intelligimus, quàm partes quibus constat enumeratæ nobis sint.

22. Axiomata Metaphysica, quæ *æternæ veritatis* dicuntur, abstractionis ope, ex occasione objectorum existentium effingentur, ut ostendimus Logicæ Part. I. Cap. VI. & P. III. Cap. XI. Innumeri sunt homines aut idiotæ, aut barbari, qui de hisce numquam cogitarunt; quòd Disciplinis, in quibus de Abstractis ejusmodi Ideis sermo est, numquam operam dederint, neque satis ingeniosi fuerint ut quidquam simile per se invenirent. Itaque ad hosce quod adtinet, decantatæ illæ Ideæ *innatæ*, perinde fuerunt, ac si nullæ essent.

23. Ideas Virtutis ac Vitii nequaquam innatas esse hinc liquet, quòd exemplis & institutione eas à Parentibus, Magistris, iísque quibuscum vivimus habeamus. Hinc fit ut apud cultiores Gentes sint magis perspicuæ, quàm apud barbaras; útque tanta sit in humano genere, circa Virtutes & Vitia, dissensio. Ad disciplinam quidem & exempla aliorum accedat nostra meditatio necesse est, nisi velimus sæpissimè falli; sed hoc ipsum indicium est nullas neque nobis, neque aliis, innatas de hisce esse Ideas.

24. Ex consideratione ipsa humanæ naturæ, quid unicuique verè utile, quid justum & injustum, in negotiis quæ nobis cum aliis intercedunt, quid Deo debeamus, quatenus rationis patent lumina, haud ægrè colligimus; quod fusiùs diducere loci hujus non est. Hoc unum addemus, nullum esse aliàs certum

certum principium, quo natura *honesti* definiri, & ab *inhonesto* certò distingui queat.

25. Igitur inania sunt quæ de Ideis innatis à multis, qui quid sibi velint satis non intelligunt, docentur. Nec pluribus rem persequemur, quoniam ex dictis satis liquet, & qui plura volent, eos adire poterunt * qui quæstionem hanc integris libris excutiendam susceperunt. Ostenderunt etiam viri acutissimi nullam esse Ideam, quæ ab adtentione in nosmet conversa & sensibus, per varias divisiones & copulationes, originem non ducat. Quod de multis passim in Logica, Metaphysica, & hoc Opusculo demonstravimus; & unusquisque eò magis agnoscet, quò acriùs meditabitur.

* Vide Opus Anglicum *Joan. Lockii* inscriptum *Tentamen de intellectu*, Lib. I.

CAPUT VI.

De Discrimine Corporis & Mentis, eorúmque conjunctione.

1. MEntem vocamus eam *Substantiam, quæ in nobis cogitat*, & cui insunt facultates, quas Cap. IV. recensuimus; *Corpus* verò eam quam sentimus ei quæ cogitat adhærere, & quæ est *extensa, divisibilis, solida, mobilis & variis partibus variarum figurarum contexta.*

2. Quin facultates, quæ Spirituales dicuntur, *intellectus*; *voluntas, sentiendi facultas, libertas*, &c. diversissimæ sint ab iis quæ vocantur corporeæ, quales fine Paragraphi primi memoravimus, nemo dubitarit; nec, si utrasque comparemus, ullam inter eas adfinitatem deprehendere possimus. Si intelligendi facultatem cum extensione, exempli causâ, conferamus, quid possit eis commune esse non capimus; quod idem, in ceterarum Mentis & Corporis proprietatum comparatione, deprehendimus.

3. Hinc

3. Hinc fit ut ea, in quibus observamus tantùm extensionem, soliditatem, divisibilitatem, figuras varias, mobilitatem, ne cogitare quidem posse suspicemur. Quis globum, exempli causâ, ligneum aut lapideum cogitare posse sibi in animum inducat? Negamus igitur mera corpora cogitare, quòd nullum in iis cogitationis indicium vel minimum cernamus.

4. Hoc posito, ubi in nobis varias cogitationes esse sentimus, eas tribui iis nostrî partibus quæ extensæ, solidæ, & divisibiles sunt, non posse censemus. Cogitationum igitur, subjectum esse substantiam, ab ea quæ subest proprietatibus corporeis diversam existimamus. Nam, quemadmodum in aliis omnibus rebus, non aliter essentiarum ignotarum genera & species distinguimus, quàm proprietatibus notis; ita hîc non alia de causa contendimus Mentem & Corpus habere essentias diversas, quàm quia cogitatio & extensio, & alia eorum adtributa nota planè diversa sunt.

5. Verùm duo observanda nobis sunt, hoc in negotio. Unum, quòd jam alibi diximus, distributionem illam rerum in genera & species pertinere tantùm ad *essentias nominales*; hoc est, nihil aliud inde colligi posse, nisi ea quæ in variis rebus novimus, & quibus *nomen* rerum illarum imposuimus, esse diversa. Sed utrum (quod alterum hîc animadvertendum) subjecta, quibus insunt eæ proprietates, planè sint diversa nescimus; quia eorum subjectorum, in se spectatorum, nobis ignota est natura. Proinde etiam an ejusmodi proprietates unà esse queant, in uno eodémque subjecto, ignorare nos fateamur necesse est.

6. Hoc igitur unum, de distinctione Mentis & Corporis, certò dicere possumus: Nos in nobis deprehendere proprietates planè diversas, & collectioni quidem proprietatum, quæ nomine generali *cognitionis* continentur, vocabulum indidisse *Mentis*; collectionem verò proprietatum, quæ extensionem ac soliditatem aut involvunt, aut sequuntur, vocasse *Corpus*. Hæc sunt realiter distincta, sed utrum duæ

substantiæ

ſubſtantiæ diverſæ, an una eadémque proprietatibus illis ſubſit, nobis latet.

7. Qui adfirmant Mentem eſſe Corpoream, duplici ratione in rectam philoſophandi methodum peccant. Primò falſum eſt id, quod vocatur *Mens*, ſeu *cogitandi facultatem*, eodem modo intelligi ac *Extenſionem* & collectionem reliquorum adtributorum quæ Corpus dicitur, ut ex ſuprà dictis liquet. Secundò, ſine ratione idem utriuſque proprietatibus ſubjectum ſubeſſe adfirmant, cùm conjunctionis earum, in una eadémque ſubſtantiâ, notionem perſpicuam non habeant.

8. Multi ex iis, quibus Mens & Corpus eſſe planè diverſa videntur, ulteriùs æquo procedunt; cùm ex eo quòd ea quæ iis nominibus adfecerunt diverſa ſint, etiam ea quæ non norunt eſſe diverſa; ſeu id ſubjectum, cui proprietates inſunt, & quod humanæ cognitioni ſubductum eſt, eſſe diverſum colligunt.

9 Quamvis autem ideæ proprietatum corporearum, & ſpiritualium adeò diſſimiles ſint, ſentimus tamen eas in uno eodémque homine ita eſſe connexas, ut mutatione in alterutris coortâ, in alteris etiam mutatio fiat. Ita quando eſt in nobis voluntas movendi brachii, aut pedis, & aliarum quarumdam partium; moventur, ſi ſanæ ſunt. Moto etiam vehementiùs corpore, nova in nobis oritur cogitatio. Si quis, exempli causâ, carnes in aliqua corporis parte vi divellere nitatur, oritur in nobis moleſta doloris cogitatio. Atque hoc eſt, quod *Conjunctio Mentis & Corporis* dicitur.

10. Hîc gravis quæſtio oritur, apud Philoſophos, de re cujus τὸ ὅτι æquè notum nobis eſt, ac ignotum τὸ διότι. Quæritur quâ ratione fiat ut moto Corpore cogitet Mens, & vice versâ? ſeu ut res adeò diverſæ, quales ſunt proprietates iis nominibus inſignitæ, reciproco veluti agantur æſtu? Difficultas hinc etiam augetur, quòd Corpore adfecto, Mens facultatibus ſuis rectè uti nequeat. Quando longâ vigiliâ cerebrum exhauſtum eſt, aut alia de cauſa, ſomno oppreſſum, fruſtra de ulla

re

re adtentè cogitare nitimur; inviti fatiſcamus oportet, donec ſomno refecti ad priſtinam adtentionem redire queamus. Brachio etiam malè adfecto, fruſtra Mens motum imperat; ſi Paralyticum ſit, aut reſecti nervi, non magis voluntati obſequitur,

Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.

11. Ariſtoteles dicit * à Mente moveri corpus ὀρέξει ἢ προαιρέσει, ἀλλοιωθέντος τινὸς κατὰ τὴν αἴσθησιν, ἢ τὴν φαντασίαν, *appetitu aut electione aliquâ re mutatâ in ſenſibus, ut in Phantaſia.* Verùm hæc eſt ipſa quæſtio, quî fiat, ut προαίρεσις, ſeu *Mentis arbitrium*, motum corpori indat, cùm nihil hiſce ſimilitudinis intercedat. Idem ait † Mentem eſſe ἐντελέχειαν τὴν πρώτην σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει: hoc eſt, ut vertere ſolent: *Actum primum corporis phyſici potentiâ vitam habentis.* Sed hæc ſunt meræ tenebræ, quibus vir ſapiens ſpeciem eruditionis captabat; nec veritatem inveſtigantibus ſatisfacere, aut nodo propoſito ſolvendo inſervire ullo modo poſſunt.

12. Accuratiores ergo Philoſophi hîc confugiendum ſibi ad voluntatem ejus, qui hominem creavit, cenſuerunt. Ejus ſolâ voluntate fieri aiunt, ut ſubſtantiæ naturâ diverſæ ita ſe invicem adficiant, ut ſit veluti reciprocatio motuum & cogitationum. Corpus, ſecundùm eos, nullo modo in Mentem per ſe agere poteſt, neque Mens in Corpus; ſed præſtò eſt Deus, cujus voluntate moto Corpore cogitatio injiciatur Menti, & Mente cogitante moveatur Corpus. Alioquin ullum eſſe inter motum & cogitationem connexum, præter merè arbitrarium, qui à Deo inſtitutus eſt, negant. Quomodo Mens, inquiunt, ipſa moveret brachium, quæ neſcit qui ſiat contrahendi, qui extendendi muſculi; denique, quibus machinamentis imperium ſuum exſequutioni mandetur?

* *De Animal. motione.* C. VI.
† *De Anima.* Lib. II. c. I.

13. Hinc

13. Hinc colligunt Mentis imperia, quibus conceptis corpus movetur, non esse causas propriè dictas, quæ vi suâ & per se Corpus moveant; sed occasiones, quibus positis, Deus ipse vi suâ omnipotente Corpus movet. Ita Dei voluntatem, quasi Mentis & Corporis vinculum, constituunt.

14. Hæc quidem clariora sunt Aristotelicorum responsis, nam licèt non intelligamus quâ ratione à Deo moveantur Corpora, ei tamen vim eorum movendorum inesse constat. Verùm ad Deum viri acutissimi, potiùs conjecturâ, quàm evidentibus coacti rationibus, confugiunt. Quia non intelligunt quî res aliter fieri queat, rem ita se habere contendunt. Cui ratiocinationi in iis rebus locus est, quas penitus novimus; non in iis, quarum intimam naturam nobis ignotam esse scimus. Quando duos numeros clarè cognitos habemus, facile est scitu quæ summa, iis additis, exsurgat, & quæ inde confici nequeat; sed ubi alteruter planè ignotus est, quis, nisi temerarius, quæ summa iis confici nequeat, definire ausit? Similiter ii, quibus cum Mentis tum Corporis ignota est natura, sine temeritate, quâ ratione alterutrum ab altero adfici possit, aut non possit, nequeunt definire.

15. Non desunt, qui putent inter Mentem intellectualem & merum Corpus mechanicum intercedere tertiam substantiam, cum qua proximè conjuncta est Mens. Eam substantiam præficiunt administrationi OEconomiæ animalis, cujus Mens nostra minimè conscia est; ita ut Menti in movendo Corpore pareat, ceteráque curet quæ ad incolumitatem animalis pertinent. Ea substantia facultate ratiocinandi non magis, ex eorum sententia, prædita est, quàm Animæ Brutorum; sed tota in administrationem Corporis defixa, aliud præterea nihil agit, aut adtendit. Ipsa per se in Corpus agit, cum quo tamen quænam ei possit esse adfinitas nemo dixerit: ut nemo etiam demonstrarit non esse inter merum Corpus & Mentem medias quasdam substantias, quales esse possint Animæ Brutorum. Itaque ex hac sententia, homo constaret tribus sub-

ſtantiis, Mente, Anima quæ præeſt OEconomiæ Animali, & Corpore. Quæ ſententia nec abſurda eſt, nec omni difficultate caret.

16. Nihil hîc tutius animo occurrit, candidâ ignorantiæ noſtræ profeſſione. Certiſſimè novimus eſſe aliquem inter cogitationes noſtras, & motus membrorum noſtrorum nexum; quoniam hæc ſe invicem excitant, & ſibi invicem ſuccedunt. Verùm quâ ratione motus in membris excitatus cogitationem in Mente procreet, & vice versâ; hoc demum eſt, quod penitus ignoramus. Igitur poſſumus quidem conjunctionem in nobis eſſe inter cogitationes & motus contendere, ita ut ſit quædam inter ea reciprocatio; ſed quomodo hæc fiant, prorſus nos fugit.

17. Si quæſiverit quiſpiam, cui ergo uſui ſit hac de re philoſophari, cùm poſtquàm eam animo diu verſavimus, vulgo doctiores non evadamus? Reſponſum hoc accipiet. Primùm ab iis, qui hæc feriò expenderunt, multùm ſuperari vulgus. Etenim ea quæ hîc cognoſci poſſunt, multò clariùs & diſtinctiùs norunt, quàm ii qui numquam huic ſpeculationi operam dederunt. Præterea certâ humanæ ignorantiæ cognitione; quâ fit ut norint accuratè qui ſint ignorantiæ, qui cognitionis limites, animum veluti munitum habent adversùs eorum, qui ſe doctos falsò jactitant, fraudes; quibus vulgus facillimè capitur, quòd ſæpe ea ſciri quæ extra humanæ cognitionis limites ſita ſint, exiſtimet.

§. 17. *Præterea* &c.] Eleganter hanc in rem *Auguſtinus* de C. D. Lib. XII. cap. 7. *Nemo ex me ſcire quærat, quod me neſcire ſcio; niſi fortè ut neſcire diſcat, quod ſciri non poſſe ſciendum eſt.*

18. Secundò, qui ſciunt ſecernere ignota à notis, ea in re ipſis illis, qui eruditi habentur, multò ſæpe ſuperiores ſunt, & ad veritates ignotas inveſtigandas aptiores. Numerus eſt ingens eorum qui ſe ſcire putant quod neſciunt, præſertim inter Eruditos; quibus ſapientior ſine dubio is eſt, qui novit ſe ea neſcire quæ neſcit, nec inani δοκησισοφίᾳ tumet. Qui ſe doctiores æquo putant, ii ubi ali-

quid inveſtigant, priùs id ſe reperiſſe cenſent, quàm repererunt, ac figmenta ſua cum veritate confundunt. At qui hæc diligenter ſecernere adſueti, non erubeſcunt fateri ſibi eſſe ignotum quod re verâ ignotum eſt; nullâ re incompertâ in progreſſu inveſtigationis admiſsâ, tutiùs ad verum perveniunt; aut ſaltem quare eò perveniri nequeat deprehendunt, nec ſe ampliùs inani labore fatigant.

§. 18. *Qui ſe doctiores &c*] *Bion*, apud *Laërtium*, ait τὴν οἴησιν προκοπῆς ἐγκοπὴν, *opinionem profectûs impedimentum.* *Plato* in Sophiſta: μαθεῖν οὐδέποτ' ἂν ἐθέλειν τὸν οἰόμενον σοφὸν εἶναι: *nihil addiſcere velle eum, qui jam ſapere ſe opinatur.* Seneca de Tranquill. Cap. 1. *Multi ad ſapientiam potuerunt pervenire, niſi ſe putoſſent jam perveniſſe.*

19. Hæc paucis, licèt extra rem ſint, hîc obſervanda duximus, ne ἐποχὴ & ignorantiæ profeſſio, quæ paſſim hoc in Opuſculo occurrunt, legentium animos offendant, quaſi hîc tantùm dubitationum noſtrarum Catalogum ſcriberemus.

CAPUT VII.

An cogitationum noſtrarum ſubjecto inſint facultates Vegetativa, Nutritiva, & Locomotiva?

1. SCholaſtici ſolent Animis hominum tribuere quatuor facultates, quæ ad Corpus referuntur, *Senſitivam*, *Nutritivam*, *Vegetativam*, & *Locomotivam*. Dubium nobis eſſe nequit quin ſenſitiva facultas inſit ei Naturæ, quæ in nobis cogitat; nam ejus rei nobis conſcii ſumus, & ſenſatio eſt genus cogitationis, ut ex iis quæ hactenus diximus ſatis apparet. Igitur reliquæ expendendæ ſuperſunt.

2. *Vegetativa* facultas ea dicitur, quâ Plantæ & Animalia vegetantur. Ante omnia ſciendum eſt quid ſit *vegetari*, aut quid eâ voce intelligatur. Planta vocatur *vegeta*, quæ neque ſicca, neque marcida,

cida, neque fracta ex aliqua parte est; sed in eò statu manet, quo solet esse, ubi succus ei non deest quo alatur. *Vegetum* dicitur animal, quod sanum & incolume est, ut esse solet quando & succo abundat, nec ulla est in ejus organis perturbatio.

3. Si ergo sit in Plantis & Animalibus vegetativa facultas, erit facultas quæ organa eorum sarta tecta conservabit, succúmque in ea inducet. Ut autem sciamus an sit ejusmodi in Mente nostra facultas, quæ corpus nostrum tueatur, ejúsque alimenta administret; videndum primùm an ejus nobis simus conscii, quod nemo comperiet. Superest igitur ut secundo loco rationibus hoc probetur, quæ nullæ alicujus momenti adferuntur.

4. Ajunt quidem Scholastici, quemadmodum ejusmodi facultas Animalibus & Plantis inest, ut apparet ex eorum vegetatione: ita oportere similem esse in nobis, quoniam non minùs ac reliqua Animalia vegeti sumus. Sed ab iis quærendum quid, hoc in loco, vóce *Facultas* intelligant, an Ens à dispositione organorum Plantarum & Animalium diversum, an verò ipsam illam organicam dispositionem?

5. Si intelligant Ens diversum, oportet primò dicant sítne Substantia, an Accidens? Dicent fortè esse *formam substantialem*, aut accidens ei formæ inhærens; at suum hoc responsum debebunt argumentis evidentibus fulcire; quod non facient, nisi ostendant nullam esse aliam rationem quâ Plantæ & Animalia vegetari queant. Hoc autem numquam ostendent, quia neque ipsis, neque ulli alii ita perspecta est Plantarum Animaliúmque intima natura; ut omnia quæ in ea sunt, & quorum est capax, norint, útque certo modo ea vegetari, nec ullo alio posse, adfirmare queant.

6. Deinde necesse esset ostenderent quid intelligant voce *formæ substantialis*: nam quando dicunt esse substantiam, quæ materiæ accedens eam *actuat*, & facit *ut res sit id quod est*; id & obscurissimum est, & eò tandem redit, ut cogantur fateri formam illam suam substantialem esse nescio quam *substantiam ignotam*,

ignotam, ad quam confugiunt, quia aliter se expedire nequeunt. Sed præstaret ignorantiam suam fateri disertis verbis, quàm Lectori obscuris vocibus, & quarum sensus nullus est, illudere

7. Verùm ponamus cum illis esse in Plantis & Animalibus nescio quid, præter dispositionem organicam, quod ea vegetat; non sequitur tamen esse in Mente Humana *Facultatem Vegetativam*, quidni enim à Mente distincta esset? An non posset esse tertia substantia, de qua diximus Capite superiore §. 15? Nulla sanè ratio est, quæ contrarium suadeat; ideóque hanc Hypothesin æquè facilè rejicimus, ac admissa est.

8. Iidem Philosophi Scholastici Menti tribuunt *Facultatem nutritivam*, de qua eadem occurrunt dicenda, quæ de Vegetativa modò diximus. 1. Nullius facultatis nutritivæ Mens sibi conscia est, neque enim novimus quomodo corpus nostrum nutriatur, internâ conscientiâ, sed tantùm ex humani corporis dissectione, atque ex conjectura. 2. Rationes nullæ ab iis adferuntur, quibus probent non esse aliam Substantiam in Animalibus, quâ alimenta per totum corpus deferantur; neque enim ostendunt Scholastici hoc nullo alio posse fieri modo, præter eùm quem proponunt.

9. Ex hisce jam liquet quod de Nutritiva facultate dicunt, id esse Hypothesin, ad quam non re ipsâ deducti confugerunt; sed quam, ut viderentur vulgo doctiores, vocibus obscuris vestitam, invenerunt. Hoc, nisi satis ex dictis perspicuum esset, posset ex hisce verbis Aristotelis cognosci. * Quæ hodie Mentis facultates vocantur, ille vocat μόρια *partes*, & postquàm dixit τὸ λογιστικὸν, τὸ θυμικὸν, & τὸ ἐπιθυμητικὸν, *rationalem, irascibilem, & concupiscibilem* partem ad nutritionem nihil facere, eámque ad θρεπτικὸν μόριον retulit; ait partem nutritivam *videri similem ignis, qui absumit quidquid objeceris, sed ad capiendum nullo impetu fertur: ita si objicias alimentum nutritivæ parti animæ, alit, sin minùs, nullo impetu ad alendum fertur.* Summus Philosophus quæ-

* *Magn. Moral.* Lib. I. c. 4.

cumque in mentem veniebant dicebat, & obscurissimis ideis adsuetus, sibi pulcrè ratiocinari videbatur, modò ne ad silentium adigeretur.

10. Ad Facultatem *locomotivam* quod adtinet, quæcumque de ea dicere possumus, jam sunt Capite antecedenti prælibata; etenim facultas illa locomotiva non differt à vi, quæ inesse Menti dicitur, movendi Corporis cui conjuncta est; siquidem quidquid Mens loco movet, id, interventu membrorum, situ pristino depellit.

11. Itaque eædem occurrunt hîc difficultates, quas antea memoravimus. Aristotelici nihil hîc opis afferunt, quia ne quæstionem quidem ipsam satis intelligere videntur. Recentiores quidem multi omnem movendorum corporum facultatem Menti detrahunt, ut Deo soli tribuant; verùm, uti jam monuimus, eò tantùm deveniunt, quòd ignorent quî fieri queat ut à Mente Corpus moveatur. Ignorantia autem nostra, in re alioqui nobis non planè perspecta, qualis est natura Mentis, instar fundamenti, cui firmum aliquid inædificemus, esse non potest. Alii Animam, inter Mentem & Corpus mediam, huic negotio præficiunt.

12. Nos hîc ad ἐποχὴν, tamquam ad sacram anchoram, confugimus, & quemadmodum certò nobis constat Mente volente moveri Corpus nostrum, quod admotum iis, quæ minorem vim ad resistendum habent, ea quò volumus transfert: ita incertum nobis esse fatemur an id subjectum, cui insunt cogitationes nostræ, quodcumque tandem sit, sit propriè dicta causa motûs membrorum nostrorum, an tantùm occasio, quâ positâ, ab alia causa membra nostra, pro Mentis imperiis, moveantur.

CA-

CAPUT VIII.

De Origine Mentis.

1. EX quo philoſophari cœptum eſt, variæ de Mentis origine fuere ſententiæ, quæ tamen ad tres præcipuas referri queunt. Qui Mentem corpoream ſtatuunt, eam à parentibus, unà cum Corpore, generari aiunt. Alii initio Mundi à Deo creatam, ſine Corpore; quo in ſtatu cùm in Deum peccaſſet, dejectam in Corpus, quaſi in ergaſtulum, ut pœnas daret, fuiſſe. Alii denique, inter quos plerique fuerunt Scholaſtici, eam à Deo creari, & Corpori, cùm formatum eſt, immitti. Cùm hæc omnia ſint incertiſſima, & deſtituamur etiam ſubſidiis ad verum inveniendum neceſſariis; attamen trium harum ſententiarum Principes, eas quaſi indubitatas in medium proferunt; qua in re cùm ſuperbia, tum cæcitas ingenii humani ſtupenda eſt.

2. I. Qui Mentes corporeas, eáſque inſtar Corporis ex traduce propagari contendunt, ii primò, quod ſibi non conſtat dicunt, cùm corpoream ſubſtantiam Menti tribuunt; nullum enim neceſſarium connexum inter cogitationes, & corpus, nullam adfinitatem deprehendimus, quod ſuprà jam obſervatum. Secundò, nulla eſt ratio plauſibilior, quâ ſuam de propagatione Mentis ſententiam fulciant hac; ſcilicet, propagari omnia genera Animalium & Plantarum, proprietatéſque adeò omnes generis à progenitoribus, aut ſeminibus, ad ea quæ inde naſcuntur tranſire; unde colligere oporteat, quidquid pertinet ad humanam ſpeciem, adeóque Mentem, id etiam à parentibus ad liberos defluere. At hæc ratiocinatio ultra veriſimilitudinem, eámque levem, non progreditur. Etenim unde illis conſtat in humano genere hoc non eſſe ſingulare, quòd totus homo ex traduce non derivetur, cùm ſint in homine tot alia ſingularia? Quare neceſſe eſt omnia genera eodem modo propagari?

3. II. Qui Mentes initio mundi creatas aiunt, unde hoc acceperunt? Neque enim ejus rei recordamur, neque Plato, aut Pythagoras, aut Chaldæi, quorum hæc fuit ſententia, ex revelatione divinâ eam habuerunt. Solent quidem dicere ſe hoc quoque ratiocinatione collegiſſe, non ex Anteceſſorum modò doctrina accepiſſe. Verùm hoc eſt eorum præcipuum argumentum, idémque infirmiſſimum; nempe, quî Deus innocuas Mentes in Corpora mitteret, ubi tot malis ſunt obnoxiæ, illæsâ juſtitiâ ſuâ, intelligi non poſſe. Sed quid contra juſtitiam divinam eſt, ſi Mentem omnium rerum ignaram, eo momento quo creatur (poſito eam creari) immitti dicamus in Corpus, quo tamquam organo, ad diſcenda plurima, utatur, atque in primis ſummæ beatitudinis viam; ad quam beatitudinem, ſi per incommoda quædam perveniat, éſtne quod queratur? Quid eſt ea in re iniqui, ſi Deus felicitatem, quam non debet, velit aliquâ moleſtiâ, eáque brevi tempore exantlanda, veluti emi?

4. III. Tertiæ ſententiæ fautores Scholaſtici unde acceperunt Mentem à Deo creari? Unde ſciunt eam eo momento, quo Corpus eſt formatum, non priùs neque poſteriùs, demitti? An poſſunt indicare quo tempore formatum ſit Corpus? Quidam ſanè quadrageſimo die animum in hoc imitti ſtatuunt, quòd ſit, ut ajunt, eo tempore formatum. Sed cùm id æquè dubium ſit, quid demum hoc eſt, niſi hariolationem hariolatione defendere? At, inquiunt, quandoquidem Corpus eſt veluti domus Mentis, par eſſe videtur, ut antequàm hoſpes excipiatur, hoſpitium abſolutum ſit. Alii reponent hoc non obſtare quominùs Mens in imperfecto Corpore aliquamdiu ſit; poſſe fieri etiam ut Mens non addatur Corpori comes, niſi poſtquàm in auras æthereas editum eſt, cui enim antehac eſſet uſui? item ut Corpus natum ſit aliquamdiu inſtar plantæ, aut meræ machinæ, cui deinde addatur Mens, veluti cuſtos; quando neceſſe eſt, ſocietatis causâ, officiis incipiat fungi, ſupra naturam plantæ aut machinæ poſitis. Denique eæ Scholaſticorum; ut

ita dicam, *possibilitates* innumeris aliis oppugnabuntur *possibilitatibus* æquè verisimilibus, & æquè fide dignis.

5. Nobis hîc, quod Veritatis perspicuæ Sectatores magis deceat, confessione ignorantiæ, nihil occurrit. Néve hujus confessionis aliquem pudeat, à nemine posse hîc veritatem certò cognosci, ostendemus.

6. Tres tantùm sunt viæ, quibus posset ad originis Mentium cognitionem iri, quæ omnes sunt nobis obseptæ. Prima est naturæ Mentis plenior cognitio, ex qua fortè ejus originem intelligere possemus; sed, quâ nobis deficiente, eâ viâ progredi non possumus. Altera via est recordatio ipsius Mentis, quæ memor suæ originis, à quo tempore fuerit, scire posset; verùm ejus rei memoria nulla est. Tertia, revelatio Naturæ intelligentis, ac fide dignæ, à qua quod nescimus, edoceremur; quo auxilio caremus, neque enim Deus, aut inferior aliqua alia Natura, quidquam quod sciamus, hac de re clarè aperuit, aut cognoscendum ex consectariis præbuit. Nam argumenta, quæ ex æquitate & justitia Dei ducuntur, dubia esse vidimus.

7. Hoc in loco, ita se gesserunt Philosophi, ut sæpe aliàs solent. Cùm cupiditate veri cognoscendi flagrarent, & in omnes partes animum versarent; ut pro se quisque veritatem, si quà se offerret, vel fugientem raperet; *possibilitates* pro veritate amplexi sunt, ne viderentur frustra laborasse, útque animo veri avido aliquâ saltem veri specie satisfacerent. Deinde tempore, inter Sectatores eorum, qui primi eas sententias defenderant, auctoritatem tantam eæ nactæ sunt, ut *possibili* idem deferretur honos, quem soli compertæ Veritati tribuere jus, fásque est, hoc est, non dubius adsensus, qui uni evidentiæ debetur.

CAPUT IX.

De Mentis Immortalitate.

1. DUO sunt ex quibus maximi momenti quæstio, de Immortalitate Mentis, solvi queat. Primum est ipsa natura Mentis, quæ si nobis perspecta foret, fortè mortalitatis, aut immortalitatis manifesta præ se ferret indicia. Alterum voluntas Dei, quâ fit, aut fieri potest ut Ens naturâ suâ mortale in æternum tamen duret. Alterutro horum principiorum, pro sententia quam circa naturam Mentis amplexi erant, usi sunt Philosophi Christiani.

2. Horum sententias proferemus, statim ac dixerimus, 1. nos *Mentis* voce hîc intelligere *id quod in nobis cogitat*, quidquid sit: 2. *Mortem* hîc non quamvis mutationem, sed aut *adnihilationem*, aut eam mutationem quæ facultates omnes alicujus rei destruat, dici. 3. Mentem igitur dicendam *immortalem*, si neque *adnihilari*, neque umquam ita mutari statuatur, ut facultates, quas in ea deprehendimus, amittat.

3. Hoc posito quæstionis statu, sunt, ut alibi diximus, qui existiment Mentem esse substantiam prorsus à Corpore diversam, quæ naturâ suâ perpetuò cogitet, nec cogitatione destitui possit ab ulla Creatura; sed tantùm à Deo, qui eam posset in nihilum redigere, ut reliquas omnes substantias. Hæc si vera est sententia, quod illi contendunt, ex eo quod partes corporis dissipantur, dissipari Mentem quæ partibus caret; aut facultatibus suis spoliari, vel in nihilum redigi, non sequitur; si enim Mens sit naturæ planè à Corpore alienæ, mutatio quæ Corpori evenit, ad eam necessariò non pertingit.

4. Si incertam eam esse sententiam quis colligat, ex iis quæ suprà de ignorantia nostra circa naturam Mentis demonstravimus, adeóque dubia esse dicat, quæ inde tantùm deducuntur, consectaria, non equidem

equidem negabimus; ſed certè hoc nobis concedi oportebit, non poſſe evidenter demonſtrari, diſſipato Corpore, Mentem quoque diſſolvi, quoniam poteſt fieri ut ſint diverſæ planè naturæ. Igitur ſi Mentis immortalitas, inde deducta, dubia eſt; non minùs mortalitas Mentis, ex contrariis principiis collecta, incerta erit; unde ſummùm hîc oportere ἐπέχειν, quoniam utrimque obſcuræ ſunt rationes, conſequens eſſet.

5. Alii * ex Chriſtianis, qui immortalitatem Mentis non minùs acriter tuentur, exiſtimant tamen eſſe corpoream, nec negant, naturâ ejus abſolutè conſideratâ, poſſe diſſolvi; ſed divinâ voluntate, eâque immutabili, fieri ajunt ut re ipsâ numquam diſſolvatur, etiamſi Corpus quod ſub oculos cadit, putrefit.

6. Regeri quidem poteſt, ut ſatis ſuprà demonſtravimus, hanc de natura Mentis ſententiam eſſe incertam: at evidenter, uti nec prior opinio, confutari nequit. Poſſet etiam dici ab Epicureis aut aliis Mentis mortalitatis propugnatoribus, dubium eſſe an Deus velit Mentes eſſe æternas, qua de re poſtea agemus; ſed interea fateantur oportet, ſe negare quod an verum ſit neſciunt; quis enim rationibus philoſophicis, probari poſſe Deum finem durationi Mentium præſtituiſſe, dicere auſit? Certè plerique qui negant immortalitatem Mentis, Dei ipſius exſiſtentiam, aut diſertè, aut per conſequentiam negant; quam, in tertia Sectione, demonſtrabimus.

7. Hinc primùm colligere meritò poſſumus, qui negant Mentem eſſe immortalem, eos quamcumque circa Mentis naturam opinionem ſequantur, temerarios eſſe; quoniam ſeu corporea, ſeu incorporea ſit, mortalitas ejus probari nequit, neque ex diſſolutione Corporis colligi.

8. Deinde quoniam, ex ipſa natura Mentis ignota, nihil ſatis certum poteſt elici, aliò nos ad cognoſcendam Mentium, poſt diſſolutionem Corporis, ſortem,

* *Tertullianus*, & alii plurimi Patres. Vide *Dionyſ. Petavium*, Dogm. Theol. T. III. Lib. I. c. 5.

ſortem, confugere oportere. Theologi divinam revelationem meritò hanc in rem proferunt; ſed quia hîc ſolâ Ratione nitimur, videndum an ex iis, quæ nos recta docet Ratio, poſſimus certa quæpiam, de immortalitate Mentis, deducere conſectaria.

9. Quædam ſunt hîc nobis ſumenda, ne in iis probandis & inſtitutâ brevitate & hujus diſciplinæ limitibus excedamus. * Unum eſt, humani generis eſſe initium, quod ex Hiſtoriis omnium Gentium, novitate Artium, aliíſque certiſſimis indiciis conſtat. Alterum eſt, Cauſam humanâ naturâ præſtantiorem ei ortum dediſſe, nam nihil poteſt per ſe è nihilo emergere. Tertium eſt, Cauſam illam, quam *Deum* vocamus, nos hiſce in terris poſuiſſe, non animo nobis nocendi, ſed contrà benefaciendi; quod nobis conſtat ex omnis generis bonis, quibus nos circumdedit; quales ſunt tot præſtantiſſimi omniúmque generum terræ proventus, quibus utimur, ſumma cum voluptate. Qua in re, non prætermittendum eſt, ita nos à Deo eſſe conſtitutos, ut ne ipſis quidem infirmitatibus naturæ ſatisfaciamus, quin maximam experiamur voluptatem: ut quando poſt famem & ſitim, edimus & bibimus, &c. Quartum eſt, eam eſſe humani generis conſtitutionem, ut ſine extremis malis homines mutuis officiis carere nequeant. Quis enim omnia ſolus in deſerto, ſine ulla ope humana, ſibi ſubſidia ad vitam commodè degendam neceſſaria parare poſſet?

10. Negari certè nobis, ſine ſumma iniquitate, ſuperiora poſtulata nequeunt; nunc fingamus omnia humanitatis officia ſibi invicem homines omnes exhibere; ita ut totum humanum genus inter ſe agitaret eo modo quo cognati, iique amiciſſimi, vivere ſolent. Nihil videretur poſtea hominibus exoptandum relictum, niſi ut morbis omnibus carerent, útque ea vita æternùm duraret; aut ſi eſſet amittenda, ejus jactura fieret, ut aliam non deteriorem in æternum conſequeremur. Imò ſi cupiditatem humanæ naturæ inſitam excutiamus, comperiemus

* *Vide Logicam* Part III. cap. I. §. 9.

riemus nos necessariò cupere beatitudinem cui nihil prorsus desit; ita ut nihil ampliùs optari queat, neque quidquam in posterum timeri. Hæc summa est votorum nostrorum, ad quam tanto impetu ferimur, ut nihil, præter beatitudinem ejusmodi, ægri animi desideriis satisfacere possit.

11. Hinc sequitur tot bona, quæ à benefico Numine accepimus, omnia inania, nisi perpetuâ felicitate fruamur, futura. Nam quamvis omnibus bonis, quæ hîc in vita hacce mortali comparari possunt, frueremur; tandem iis carendum esset, & moriendum in summa tristitia, propter æternam jucundissimarum rerum jacturam. Tunc temporis bona omnia, quibus antea fruebamur, veluti in venena versa, nos acerbissimè cruciarent. Eodem loco essemus ac qui, sine morbo ullo, valente stomacho & cibum appetente, recordaretur quidem se omnis generis cibis olim abundasse; sed sibi statim fame pereundum esse sciret. Memoria illa præteritarum copiarum eum vehementissimè cruciaret, nedum ut ejus dolorem leniret.

§. 11. *Hinc sequitur*, &c.] Cicero de Finibus, Lib. II. n. 86, aliud agens: *Si amitti*, inquit, *vita beata potest, beata esse non potest. Quis enim confidit semper sibi illud stabile & firmum permansurum, quod fragile & caducum sit? Qui autem diffidet perpetuitati bonorum suorum, timeat necesse est, ne aliquando amissis istis, sit miser. Beatus esse in maximarum rerum timore nemo potest.* Tuscul. Quæst. Lib I. n. 118. *Non temerè*, inquit, *nec fortuito sati & creati sumus, sed profectò fuit quadam vis, quæ generi consuleret humano; nec id gigneret aut aleret, quod cùm exantlavisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum; portum potiùs paratum nobis & perfugium putemus.*

12. Igitur si esset, sine spe beatitudinis, post hanc vitam futuræ, moriendum; jam beneficum illud Numen non immeritò in nos contulisse videretur bona hujus vitæ, non benefaciendi causâ, sed potius irritandæ nostræ cupiditatis, cui tamen nullâ ratione satisfactum vellet; hoc est, animo nos acerbissimo supplicio interficiendi. Cùm ita constituti simus, ut omnibus numeris absolutam beatitudinem necessariò optemus, Deus ostensâ nobis aliquantâ ejus

ejus parte, ut eam magis optaremus, subitò omnem ejus spem subtraheret, ut in summa desperatione vitam relinqueremus. Nobiscum ageret eodem modo, ac qui homini fame vehemente laboranti cibum olfaciendum offerret, ut videret miserum

Longo die, bis terve mutatæ dapis
Inemori spectaculo.

13. Hoc quid fieri crudelius possit, me non capere fateor. Igitur aut eam, à qua tot & tanta beneficia in nos sunt collata, esse omnium Naturarum crudelissimam; aut nobis negari ab ea beatitudinem, quia dari non potest, dicendum esset.

14. Prius absurdum est & iniquum, quoniam eum qui nobis certa bonitatis dedit indicia, suspectum habere crudelitatis, sine causa, absurdum simul ac iniquum est. Sine causa autem à Deo nobis beatitudinem datum non iri, priusquàm certò nobis constaret hanc ab eo exspectari non debere, suspicaremur. Quomodo rursus certò nobis constare potest, Deo non esse voluntatem nobis tribuendæ beatitudinis? Certè nos ab eo innumeris beneficiis fuisse ornatos videmus; unde eum porrò in nos beneficum futurum, nisi ipsi fortè obstemus nostris vitiis, potiùs est colligendum.

15. Æquè absurdum est dicere, Deum non posse nobis beatitudinem dare; nam qui potuit efficere ut esse inciperemus, annon poterit facere ut aut pars nostri post mortem æterna sit, aut ut totus etiam homo denuò vivat, quamvis Corpus ejus dissipatum olim fuerit? Posterius certè non est priori difficilius.

16. Inde ergo colligimus Deum & velle & posse nos æternâ donare beatitudine, quod fieri nequit, nisi saltem ea pars nostri quæ intelligit, vult, ac sentit, æternùm vivat, adeóque nisi Mens nostra immortalis sit. Si ergo constat Deum & posse & velle nos æternâ donare felicitate, eo ipso Mentes nostras immortales esse liquet.

17. Hæc

17. Hæc noſtra ratiocinatio ſtatuit Deum bonitati ſuæ convenienter non acturum, ſi nullam hominibus beatitudinem æternam præberet, quamvis alioquin hujus vitæ bonis omnes fruerentur, quatenus homini iis frui licet; at multò majoris erit ponderis, ſi, quod res eſt, animadvertamus, neminem iis omnibus frui, non tantùm propter corporis infirmitatem, alióſque inevitabiles caſus, ſed potiſſimùm propter violationem ejus Legis, quam natura ipſa ac conſtitutio hominis nos docet. Diximus homines hìc in terris à Deo collocatos, ut ſe invicem adjuvarent, quoniam quò minus auxilium ſibi invicem præbent, eò miſeriores; quò ampliùs, eò feliciores evadunt. Hoc cùm ſit manifeſtum, homines tamen adfectibus occæcati ſibi invicem, quàm maximè poſſunt, nocent, quâ re infeliciſſima hæc vita facta eſt. Atque inter ceteros infelices ſunt ut plurimum, qui maximè omnium Legem illam obſervant; quâ fit ut qui divinæ voluntati omnium maximè convenienter vivunt, ii demum ſint mortalium ſæpe infeliciſſimi.

18. Hoc poſito, quærendum an ex iis, quæ de Deo novimus, poſſimus conjicere Deum eorum, qui legem ab ipſo naturæ humanæ inditam obſervant, ideóque infelicem vitam ducunt, nullam rationem habiturum. Certè qui ortum Hominibus dedit, non ut iis malefaceret; eóſque ita conſtitutos eſſe voluit, ut mutuo auxilio indigerent; idem ſe adjuvent invicem, ſine dubio, vult; adeóque eorum vitam, qui id faciunt ad quod ſunt naturâ ſuâ comparati, probat. Si eorum probat mores, an eos à Deo neque miſeriis hujus vitæ eximi, neque poſt hanc vitam quidquam accipere mercedis credibile eſt? Niſi præmio quopiam vitæ hujus incommoda probis penſaret, ſibi ipſe, ut ita dicam, contradiceret; qui vellet homines ſe mutuò adjuvare, & tamen eos, qui maximè huic ejus obtemperarent voluntati, omnium peſſimè haberi pateretur.

19. Igitur ex miſeriis, quæ à probis, hoc eſt, iis qui maximè humanam Societatem colunt, hac in vita feruntur ſæpiſſimè, certiùs colligimus Mentes

eſſe

esse immortales; quoniam eorum nullam alioqui Deus rationem haberet, quod absurdum esse vidimus.

20. Ita, solâ Ratione duce, eò usque pervenimus, ut absurda nobis videatur eorum sententia, qui crediderunt hominem, cùm moritur, æternùm interire. Accedente deinde Revelatione, firmissimis nixa argumentis, res extra omnem dubitationis aleam ponitur; præsertim apud eos, qui non optant nullam esse probis mercedem post hanc vitam, ne sibi delictorum suorum sint timendæ pœnæ. Verùm argumenta ex Revelatione petita, ne in alienam messem falcem injiciamus, hîc non adtingemus.

21. Sunt quibus hæc nostra ratiocinatio displicuerit, quod adfirmare non audeamus Mentem esse naturâ suâ immortalem; sed 1. si quod nescimus, id non adfirmemus, an possumus vituperari? 2. Rem ipsi probent, & libenter in eorum castra transibimus. Quod si adfirment non quod verum esse sciunt, sed quod volunt videri verum, nos eo fuco uti nolle profitemur. Deinde nesciunt quid sibi velint, cùm ipsi disertissimè adfirment nihil naturâ suâ esse immortale, præter Deum; dum dicunt reliqua omnia, vi ejus solius conservationis, quam *Creationem perpetuam* esse volunt, durare; quod si ita est, Mens voluntate divinâ, non naturâ suâ, est immortalis.

Primæ Sectionis Finis.

PNEU-

PNEUMATOLOGIÆ

SECTIO SECUNDA.

DE SPIRITIBUS PURIS.

CAPUT I.

An ſint Spiritus Puri, aut ſaltem craſſiore corpore exuti?

1. VIX ulla Philoſophiæ pars eſt, cujus argumentum abſtruſius ſit, atque ab humana cognitione remotius, iis de quibus hac Secundâ Pneumatologiæ parte acturi ſumus. Vix tamen ulla eſt, de qua veteres Philoſophi, *Pythagorici* potiſſimùm & *Platonici*, & qui eos inter Chriſtianos veteres & recentiores ſequuti ſunt, plura & ſubtiliora in medium adtulerint. Ingenium, ſcilicet, humanum rebus inuſitatis gaudet; & ſe in iis maximè interdum jactat, quæ minimè omnium novit. Nos quidem eorum præcipua dogmata paucis, ut hiſtoria opinionum Philoſophorum aliquatenus innoteſcat tironibus, explicabimus. Sed ſimul plerumque ſummam incertitudinem eorum omnium, quæ hac de re dicuntur, oſtendemus.

2. *Spiritus puros* vocant eos, quos putant aut omni corpore deſtitutos, aut certè tenuioribus multò, quàm noſtra ſunt, indutos eſſe. Etenim in duas ſententias abiere Philoſophi, circa hoſce Spiritus. *Chaldæi* Veteres, & Platonici ac Pythagorici, qui omnia dicuntur Chaldæis debere, videntur omnibus Spiritibus, excepto *Deo Deorum*, ut loquuntur, corpus tribuiſſe, ſed tenuius multò quàm noſtrum eſt; quod Scriptores Chriſtiani Veteres plerique ſequuti

sequuti sunt, & Scholasticorum nonnulli. At alii, inter quos *R. Cartesius* ejúsque discipuli eminent, eos Spiritus nullâ prorsus materiâ esse indutos contendunt.

3. Verùm, 1. licèt concederemus posse esse Spiritus, sine ullis corporeis proprietatibus, ut vult Cartesius; non constaret an re ipsâ iis careant, an verò omnes, ita volente rerum omnium Creatore, corpori sint conjuncti. 2. Cùm ignota nobis sit Spirituum & Corporum intima natura, non possumus, utrum Spirituum & Corporum proprietates in uno eodémque subjecto esse nequeant, definire, ut alibi ostendimus. Fortè autem idem est utrarumque subjectum, fortè diversum, fortè eæ proprietates necessariò conjunctæ sunt; adeò ut hîc nihil explorati habeamus. Qui ergo negant aut adfirmant posse esse Spiritus, sine ulla corporea proprietate, ii longiùs æquo progrediuntur.

4. Chaldæi tamen * Græcique Philosophi, ex Pythagoræ & Platonis Schola, Mentibus incorporeis perpetuò adesse corpus tenuissimum; & Mentes Humanas, hoc crasso corpore destitutas, eo, quod ὄχημα vocant, seu *vehiculum Mentis*, esse indutas, nec umquam exui volunt. Sed sua dogmata quasi quædam λόγια, auctoritate potiùs Deorum, vel Magistrorum suorum, quam rationibus suffulta proferunt. Cùm autem nec veritas Oraculorum illorum, nec ἀναμαρτησία Philosophorum constet; eorum dogmata, quasi compertæ veritatis, admittere non possumus. Ea tamen nosse conducit, ut sciamus quæ fuerit olim sententia de hoc negotio, inter sapientiores Ethnicos & Christanos, qui eos sequuti sunt; quibus etiam Hebræos, è captivitate Babylonica reduces, conjungere possumus.

5. Cùm nequeamus colligere ex natura ipsa Spirituum, nobis ignota, utrum sint aut sine omni corporea proprietate, vel cum tenuiore tantùm corpore, quando *puri* dicuntur, videndum est an Experientia nos aliquid de hisce doceat; multa enim eâ viâ, imò pleraque omnia Entia novimus, ad quorum cognitionem

† Vid. Hist. Philos. Oriental. T. Stanleii.

tionem solâ ratiocinatione aut numquam, aut raró deveniremus.

6. Per totum Orientem viguit ea sententia, quam jam adtigimus; nempe, præter supremum Deûm, esse innumeras alias inferiores Mentes, ejus in administratione Universi Ministras. Eas Mentes sæpe ad homines missas fuisse, cùm ut aliquod eos monerent, tum ut improbos plecterent & probis subsidio essent. Prout autem ipsis videretur, conspicuas, aut inconspicuas factas; adeò ut multa egerint non advertentibus hominibus, multa etiam ab iis conspectæ, formâ plerumque humanâ, sed augustiore & sanctiore. * Græci similia etiam de suis Numinibus narrabant, ut apud Poëtas, & Historicos passim videre est.

7. Quamvis multa mendacia iis sint narrationibus admista, nec quænam veræ, quænam falsæ sint satis nobis constet; attamen propterea omnia quasi falsa repudiare, ut faciunt plurimi, temerarium est. Non possumus ullâ ratione ostendere, ex ipsa natura rerum, fieri non posse, ut sint Spiritus tenuiori corpori conjuncti; neque Gentes tam multas, locisque & opinionibus adeò remotas, quasi ex compacto, de Spirituum apparitionibus omnia quæ dixerunt mentitas esse verisimile est. Mendaciorum, quæ circa hanc rem inventa sunt, originem esse veram aliquam apparitionem, cui similes, ut fit, innumeræ aliæ fictæ sint, multò credibilius. Ac sanè plerisque Mendaciis quæpiam Veritas, quæ postea immutata, aut adaucta figmentis est, ortum dedit.

8. Sed quamvis tacerent aliæ Gentes, testimonium exstat omni exceptione majus Gentis Hebrææ, quam tot singularibus beneficiis ornavit Deus. Ejus autem Historiæ nos docent sæpe, variorum ministeriorum causâ, missas esse Mentes cœlestes à Deo; quo fit ut dubitare quin sint Mentes quædam, præter Humanas, Dei ministræ, nefas sit.

9. Verùm eædem Historiæ de natura harum Mentium, quas *Angelos* seu *Nuncios* vocant, prorsus tacent.

* Vide & *Apuleium* in Libro *de Deo Socratis*, & in Libro *de Mundo*.

ſus tacent. Hæc tantùm ex iis quæ habent colligimus: 1. Eſſe Mentes ab humanis diſtinctas: 2. Eas Deo miniſtrare: 3. Corporibus, ſub humana ſpecie, interdum indutas apparuiſſe: 4. Ne corpora illa noſtris planè ſimilia ſuſpicaremur, ea ſubitò ex adſpicientium conſpectu ablata, & cuilibet motui, ſeu adſcendendum, ſeu deſcendendum eſſet, apta fuiſſe.

10. Ceteroqui, neque an illarum intima natura ſit omnis proprietatis corporeæ expers docent; neque an corpora quæ habebant, ad tempus ſibi adſumſiſſent, ea, peracto miniſterio, depoſituræ, an verò in perpetuum iis veſtitæ eſſent, oſtendunt. Cùm ergo neque naturæ ignotæ conſideratio, neque experientia aliorum hominum, aut noſtra nos quidquam iis de rebus doceant, inſtituti noſtri memores nihil definiemus.

CAPUT II.

De iis, in quibus Spiritus Puri ſimiles Mentibus noſtris; & iis, in quibus Mentibus præſtantiores ſunt.

1. NOvimus, internâ conſcientiâ, ineſſe nobis cogitationes varias, ſeu id quod Mentem vocari diximus. Similes eſſe Mentes in aliis Hominibus intelligimus, quòd ab iis eadem fieri videamus, quæ nos non ſine cogitatione facimus. Inter alia, loquela manifeſtum eſt indicium ineſſe aliis ratiocinandi facultatem; neque enim poſſet inter homines convenire quibus vocabulis certas ideas, potiſſimùm abſtractas, adpellitarent: aut ſibi invicem ad rem reſponderent, ubi ratiocinationibus opus eſt; niſi utrimque ratiocinandi ſimilis eſſet facultas, licèt non ſit æquè in omnibus excellens.

2. Similiter, qui ſermones conſeruerunt cum aliis Naturis, aut verba audiverunt ſuis ſimilia, & alias earum actiones quæ in intelligentes tantùm Naturas

turas caderent, viderunt; iis inesse facultates nostris similes, hoc est, intellectum, voluntatem, memoriam, &c. collegerunt. Ita olim sub V. F. & sub Novo, legimus interdum Angelos homines alloquutos, sermonésque cum iis habuisse, varia denique Deo ministeria præstitisse; quæ intelligentium tantùm sunt Naturarum.

3. Attamen, licèt inde meritò colligamus Angelos esse intelligentes Naturas, fatendum est, nos non posse adfirmare eorum facultates, aut facultatum usum prorsus esse similia nostris: neque dissimilitudinem, si quæ sit, nobis esse notam; quod ut clariùs constet, facultates, quæ Menti nostræ tribuuntur, sigillatim cum Angelica Natura conferemus.

4. Angeli quidem certò *intelligunt*, sed an eodem modo ac nos intelligant, id demum incompertum est. Tantùm abest ut quæ sit ratio eorum intellectionis definire possimus, ut ne intellectionis quidem nostræ rationem ipsi teneamus, ut ostendimus S. I. C. V. ubi de *Ideis* egimus. Scholastici quidem, qui nihil ignorare videri volunt, hoc discrimen esse inter intellectionem Angelorum & nostram, aiunt; quòd Angeli principia cognoscant, & ex iis consectaria deducant, non longâ propositionum serie consideratâ singillatim, sed unico intuitu. Contrà nos non modò seorsim propositiones consideramus & comparamus, sed ex consectariis, seu effectibus ad principia & causas adscendimus. Uno verbo, res novimus *à posteriore & successivè*; Angeli verò *à priore* & *uno intuitu*, si Scholasticis credimus. Verùm hæ sunt meræ conjecturæ, quarum nullas rationes esse, præter Magistrorum auctoritatem, fatentur; quæ auctoritas esset alicujus ponderis, si Scholasticus aliquis Philosophus, inter Angelos versatus, hæc ab iis accepisset.

5. Ad *voluntatem* quod adtinet, quæ est altera Mentis nostræ facultas, dubium esse non potest, quin eâ sint præditi, quoniam sine Voluntate inutilis esset intellectio; quippe ex qua sola manant judicia, sine quibus nulla est ratiocinatio.

6. Major

6. Major eſt difficultas, circa *ſentiendi facultatem*; quamvis enim Angeli ſentire videantur quæ inter homines aguntur, cùm nonnulla inter eos adminiſtrant; organiſne utantur, an nullis, & quomodo objectis adficiantur, in re tam obſcura, quis dicere queat? Scholaſtici, inter alia, quærunt an dolorem patiantur Spiritus illi, ubi feriuntur corpora quibus induti ſunt, aut eorum, uti loquuntur, *ſolvitur continuitas*. Verùm hæc nemo definire queat, niſi cui Angeli dixerint, aut qui ipſe Angelum fuiſſe ſe meminerit.

7. *Libertas* cenſetur olim fuiſſe Angelis, quia eorum nonnulli, ut Orientales credebant, & Sacræ teſtantur Litteræ, in Deum peccarunt; alii verò in officio manſerunt. Vulgò tamen exiſtimant poſt lapſum malorum Angelorum, utrorumque libertatem, aut ejus uſum periiſſe; adeò ut neque boni peccare, neque mali ad ſaniorem mentem redire queant. At hæc omnia ſunt meræ hariolationes. Certè ſi iis demta ſit libertas, propter ea quæ nunc agunt, neque præmia exſpectare eos, neque pœnis ſubeſſe oportet. Si careant libertate in judiciis ferendis, oportet iis omnia eſſe perſpicua, aut eos cæco ſemper ferri in omnibus judiciis impetu, quorum neutrum veriſimile eſt.

8. An *imaginentur*, ſcire nullo modo poſſumus, quoniam aliquídne habeant, quod cerebri ſit iis loco, ignoramus; uti nec, an ſine cerebro ulla ſit imaginatio, nobis conſtat. Quidquid hic in alterutram partem dicatur, æquè incertum eſt.

9. *Memoriâ* carere cenſeri non poſſunt, ſi iis ratiocinandi concedatur facultas, quam ſine memoria eſſe non poſſe jam demonſtravimus *Sect.* I. *C.* II. Nec opus eſt ea quæ ibi diximus, repeti.

10. *Habitus* ineſſe iis nemo etiam dubitet, quoniam ex Memoria, ut oſtendimus *Sect.* I. *C.* IV. neceſſariò fluunt. Sed ſi quis quærat utrùm habitus ſuos adquiſiverint repetitis actibus, aut actione ſemel editâ ejus repetendæ facultatem ſibi compararint; is ſibi reſponſum differri patietur, donec inter Angelos verſemur; nemo enim hoc præter ipſos, & eos quibus aperuerint, ſcire poteſt. 11.

11. Diximus *Sect.* I. C. VI. & VII. nos ignorare an insit Mentibus nostris *locomotiva facultas*; ideóque an Angelis insit iisdem ferè de rationibus dubitamus. Constat quidem ex Sacra Historia, & innumeris aliis, Spiritus illos corpora quædam movere visos; sed eadem hîc oritur, quæ circa Mentem humanam agitatur quæstio, nempe, an translatio corporum, Angelis volentibus, loco motorum, sit effectus immediatus & propriè dictus voluntatis Angelorum? an verò insit iis facultas, ab eorum voluntate distincta, quâ corpora movere queant? Sunt qui adfirment, quoniam nullus videtur esse nexus inter voluntatem Spirituum, & motum corporum, non posse ab Angelis propriis viribus quidquam moveri. Alii contrà, propriis viribus Angelorum corpora transferri contendunt. Verùm utrique, nostro judicio, incomperta proferunt.

CAPUT III.

De Muneribus & Potestate Bonorum Angelorum.

1. IN superiore Capite, aliquos Spiritus, ex iis qui Angeli vocantur, constanter Dei voluntati obsequutos fuisse, alios verò ab officio descivisse vidimus. Hoc Capite quid constet de muneribus & potestate Bonorum, de Malis in sequente acturi, quæremus.

2. Hîc sola ratio in veritate inquirenda nos nequaquam juvat, agitur enim de Naturis, quas expendere non possumus, quoniam cum iis versari nobis non licet. Quidquid de iis novimus, pendet ex narratione eorum, qui Angelorum observarunt ministeria; quo fit ut prima cautio hîc à nobis adhibenda tota circa fidem testium versetur.

3. Veteres Ethnici *Dæmonas* suos, seu *Heroas*, qui erant inferiora Numina, Hebræorum *Angelis* similia, rebus humanis præficiebant, unde * ab *Hesiodo* dicuntur, §. 5.

* *In Oper, & Dieb.*

§, 5. *Dæmonem.*] Copiosissimè hac de re *Apuleius,* in Libro *de Deo Socratis*

——Διὸς μεγάλυ διὰ βυλὰς
Ἐσθλοὶ, ὀπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

magni Jovis à consiliis, boni, terrestres, custodes mortalium hominum. Existimabant etiam unamquamque regionem habere suos Heroas præfectos, qui ἐπιχώειοι Θεοὶ dicebantur, *regionis Dei.* Atque ad hanc opinionem accedunt Veteres Hebræi, qui dicunt Angelos bonos circa homines castra metari, & à Deo variis regnis præfectos.

4. Nulla ratio, ut Sacrarum Litterarum auctoritatem aliquantisper seponamus, rem ita se non habere ostendit; nihil enim adfirmant hîc Græci aut Hebræi de Angelis, quod sit contrarium cuipiam certæ cognitioni. Igitur potest fieri ut verum dicant, si res in se spectetur. Quin autem sit reapse verum quod à Prophetis Hebræorum dicitur, dubitare nos non sinit Sacri Codicis à Theologis demonstrata auctoritas.

5. Pythagorei credebant unicuique homini suum esse attributum Dæmonem, aut Genium bonum (de malo Capite sequenti dicemus) qui eum quatenus posset tutaretur, bona suggereret consilia, à malis absterreret, ratione quadam quæ à plerisque non sentiretur. Notum etiam est quod fertur de Dæmone Socratis, qui eum multa facere vetaret, ut docet *Xenophon* in *Memorabilibus*, aliique multi. In Vetere Fœdere, est locus, ubi singularis Angeli, quasi custodis, mentio fit. Eccles. V. *Ne dicas coram Angelo, non est Providentia, ne fortè iratus Deus contra sermones tuos perdat cuncta opera manuum tuarum.* In N. F. libris, celebris est locus Act. XII. 15. ubi mentio injecta *Angeli Petri* ostendit eo tempore Hebræos singulis hominibus Genios suos adtribuisse. Sunt & alia loca huc spectantia, sed non ita clara; quoniam de Angelis, numero plurali, sermo est.

6. Hîc quoque res ipsa nullum veri aut falsi certum in se indicium habet; nec ulla via nobis patet, quâ ad eam introspiciendam pergamus. Antiquissimæ

tiquissimæ Gentes rem adfirmant, quasi experimentis plurimis compertam. Plurimæ etiam recentiores circumferuntur Historiæ, quibus idem confirmari videtur. *Origenes*, aliíque Patres Platonici, eamdem opinionem quasi indubitatam amplexi sunt, eámque à Barbaris ad Græcos venisse crediderunt. Attamen quia Scriptura hujus dogmatis non ita meminit, ut ejus fidem atque utilitatem commendet, sed tantùm obiter & aliud agendo; posset fieri ut ex opinione recepta, potiùs quàm ex vero, loquuta esset. Atque ut plerumque exornatur veritas, fortè Gentes de Genio unicuique tributo opinionem finxerunt; ex eo quod scirent Angelos, jubente Deo, aut hominum plurimorum, aut unius etiam curam gerere, licèt singulis hominibus singulos adtributos esse Angelos non constaret. Igitur præstat hac de re ἐπέχειν, quàm quidquam temerè pronunciare.

7. Platonici crediderunt Angelum esse, qui Mentem è cœlestibus locis, ubi priùs erat, ad inferiora deduceret & corpori conjungeret, ubi corpus humanum formaretur; contrà vero Mentem officio defunctam, fatiscente corpore, ad superiora reduceret. Eos Angelos ψυχοπόμπους, & ἀναγωγοὺς, Animi *reductores* & *deductores* vocant. In novi etiam Fœderis Parabola de Lazaro, mentio fit Angelorum Mentem Lazari in sinum Abrahami deferentium, quod ad Platonicam opinionem accedit. Discrimen in eo est, quòd Platonici Angelum unum ἀναγωγὸν uni Menti tribuant, & præterea alterum qui eam cœlo deduceret; seu Genius fuerit custos hominis perpetuus, seu alius. Ut ex Parabola captui popelli accommodata, ideóque secundùm vulgi opiniones concepta, nulla duci certa consectaria possunt: ita nec quidquam certum de re aliunde non comperta statui queat.

8. Quoniam verò constat Deum varia in Telluris globo, & spatiis Tellurem ambientibus Angelorum ministerio efficere: necesse est iis à Deo facultatem datam eorum efficiendorum, quæ jubentur. Sed præterea duo à Philosophis quæri solent, utrum perpetuam & propriam vim habeant agendi, cùm

in Corpora, tum in Animos; ánve certos & constantes ea facultas limites habeat, & quousque porrigatur?

9. Philosophis hæc quærentibus ut satisfieret, oporteret adesse Angelum, qui eorum quæsitis responderet. Primò, ostendimus, Capite antecedente, nos ignorare quâ ratione Angeli, víne propriâ, an alienâ, corpora moveant. Secundùm, non minùs ignotum est, perpetuáne ea gaudeant, an ad aliquod tempus, prout res postulat, accepta. Tertiùm, eadem de ratione, ignoramus an ea facultas, quâ Angeli id peragunt, ad quod missi sunt, semper sit æquè ampla, an minor ac major, pro rerum gerendarum natura. Ignoramus itidem quousque porrigi queat; quemadmodum enim solâ experientiâ novimus, quæ pondera ab Hominibus attolli, quæ Corpora loco moveri queant: ita inter Angelos nos versatos esse oporteret, ut sciremus quid possint, quid nequeant. Memini me legere apud Theologum non incelebrem, non sine risu, ab Angelis quidem Montes subverti, sed ab iis non posse Telluris integrum globum dimoveri; quasi vidisset quid Angeli queant, ac nequeant! Nescimus etiam an singula, quæ geruntur hîc ab Angelis, à Deo singillatim præcepta iis sint, an verò liberam in quibusdam potestatem agendi, prout videtur, acceperint. Denique quò plura hîc quæruntur, eò plura occurrunt humanæ ignorantiæ, aut temeritatis indicia.

CAPUT IV.

De malis Angelis, eorúmque ministeriis, ac potestate.

1. NON opus est hîc quæ de Angelorum Natura diximus Cap. II. repetamus, quoniam æquè pertinent ad Angelos malos ac bonos; inter quos hoc tantùm esse creditur discrimen, eo respectu, quòd boni bene facultatibus suis usi in officio erga

erga Deum manserint, alii verò peccatis contaminati Deo infensi, invisíque sint.

2. Eas porrò facultates initio iis non esse tributas, ab æterno rerum omnium Creatore, quibus necessariò rectè uterentur, ex eventu colligere est. Hinc omnes iis liberum arbitrium, initio saltem creationis, tribuunt; ut in officio manere potuerint, aut non manere.

3. Veterum Ethnicorum nonnulli, ut Persæ, crediderunt duo esse Principia; * quorum alterum bonum, alterum malum esset, sed prius potentius posteriore, quod aliquando tandem à potiore esset perdendum. Græci quoque & Romani *Cacodæmonas* & *Vejoves* inter minora collocarunt Numina. Neutri satis clarè docent, saltem in monumentis quæ ad nos pervenerunt, an malos semper fuisse, an verò è meliore sorte ad deteriorem prolapsos existimarent. At Novi Testamenti Scriptores ostendunt communem inter Judæos fuisse opinionem, Angelorum aliquot οὐ τηρήσαι ἑαυτῶν ἀρχὴν, *quales erant initio non permansisse*; adeóque in peccatum esse prolapsos, suâ culpâ. Ceterùm † Orientales etiam reliqui non bonos tantùm, sed malos etiam Dæmonas summo consensu agnoverunt.

4. Græcorum alii crediderunt unicuique homini suum *Cacodæmona*, non minùs ac *Agathodæmona*, attributum. * Narrantur etiam Historiæ de malis Geniis, qui viris illustribus apparuerint, ut Bruto ante pugnam Philippensem, auctore *Plutarcho* in ejus vita. Verùm alii, inter quos *Menander* Comicus, ullum singulis adtributum Dæmonem, præter bonum negarunt. Utrique videntur potiùs conjecturas, quàm compertam certis argumentis veritatem, protulisse. At malum unicuique additum esse, à Deo benefico, carnificem & seductorem nullo modo verisimile.

* *Vide Lib. Plutarchi de Iside & Osiride.*

† *Vide Th. Stanleii Philosoph. Orient. Histor. Lib. I. Sect. 2.* Cap. 17.

* *Vide Quæst. Sacras Steph. Clerici, Quæst.* V.

§. 4. *Menander.*] Hi sunt ejus versus ex incerta Comœdia :

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ μυσταγωγὸς τοῦ βίου
Ἀγαθός· κακὸν γὰρ δαίμον' οὐ νομιστέον
Εἶναι τὸν βίον βλάπτοντα χρηστόν· πάντα γὰρ
Δεῖ ἀγαθὸν εἶναι τὸν Θεόν.

Interprete *H. Grotio.*

Hominem unumquemque, simul in lucem est editus,
Sectatur Genius, vitæ qui auspicium facit,
Bonus nimirum ; credi enim malum nefas,
Bonæ insessorem vitæ. Nam qui sit Deus,
Bonus idem sit necesse est.

5. Cacodæmonas autem ita vitio mancipatos esse aiebant, ut Deo perpetuò adversarentur, & hominibus, quantùm liceret, infesti essent. Morbos item innumeros ab iis, hominibus, quorum corpora invaderent, creari, & omnia tentari ut humanum genus à Dei cultu avertant. Hæc non modò à Judæis, Apostolicis temporibus, * sed etiam à Chaldæis vetustioribus credita fuisse satis constat. Utrique adferebant historias quamplurimas, quales multæ in Evangeliorum exstant libris, quibus eam Dæmonum malignitatem probari à se posse putabant. Hodie quidem multò rariores sunt ἐνεργούμενοι, seu à Dæmonibus obsessi ; quamquam non desunt exempla, ab iis qui de Dæmonibus scripserunt, congesta. Sunt sanè plurima, arte humanâ ficta, sed nullos esse posse hodie veros ἐνεργουμένους quis contendere sustineat ; cùm vetera tot & tanta sint ab Apostolis litteris consignata ? Quod autem olim fieri potuit, id hodie non posse quis dixerit ? At quæritur quare quod tam frequens Christi tempore in Judæa erat, hodie inter Christianos adeò rarum sit ? Ex natura rerum petita ratio nulla cùm hîc occurrat ; aut ignorantia nostra profitenda ; aut ad Dei confugiendum

* *Vide Michaëlis Pselli libellum de Operat. Dæmonum.*

dum voluntatem peculiarem, quâ frænum sit Cacodæmonibus laxatum eo tempore, fortè ut occasionem Christo edendorum miraculorum præberet, ut ostenderet se venisse ad destruenda opera Diaboli, ne pro Mago haberi posset; fortè alia de causa, quam non adsequimur. Alterutrum eligatur, nostrâ parum interest, modò ne rem certam faciat ignorantia nostra dubiam.

6. A Cacodæmonibus plura præterea mirabilia fieri, tempestates excitari in terra & mari, pecudes perdi, aliáque innumera quæ vires superant humanas, dictitabant Veteres. Non deerant hîc etiam illis historiæ, quibus rem ita se habere, uti dicebant, ostenderent.

7. Eam suam potentiam Cacodæmonas exserere censebant, in gratiam eorum qui se certis ritibus iis consecrarent; unde hodiéque superest inter omnes Occidentales populos, non secus ac in Oriente, sparsa latè opinio, quosdam esse *Magos* aut *Veneficos*, qui cum Cacodæmone pactum inierint; ut voluntatibus suis Cacodæmon obsequeretur, eâ lege ut ipsi postea Cacodæmonis fiant. Nullum penè est portentorum genus, quod non narretur à Cacodæmonibus, in gratiam ejusmodi hominum, factum.

8. Ut dubitari vix potest quin iis narrationibus innumera admista sint mendacia: ita omnes falsi arguere temerarium esset, præsertim cùm Sacri Codices similia quædam narrent. Ac sanè res ipsa ita nota nobis non est, ut ex natura Dæmonum possimus quidquam colligere, quod cum iis quæ narrantur, plurimis saltem, consistere nequeat. Si quis ex eo quòd Angeli mali, æque ac boni, substantiæ cogitantes esse meritò creduntur, ut ostendimus, contenderet iis nihil potentiæ in corpora esse, quia nudæ cogitationis in corpora vis nulla est; eum antequàm hoc concederetur, ostendere & quidem evidenter oporteret, 1. nihil esse in Angelis, præter cogitationem: 2. à Deo nullum esse inter eorum voluntates, & corporum mutationes quasdam nexum institutum. Nam si alterutrum sine absurditate admitti queat, etiam haud absurdè in corpora agere posse censebuntur.

 9. Sunt

9. Sunt qui dicant non vera portenta, ſed præſtigias ab iis fieri. Verùm ut quid ſibi hoc velit intelligamus, definienda ſunt vocabula, quibus hîc utuntur. *Portentum, Miraculum*, aut *Prodigium*, unum idémque ſunt hoc in loco, & denotant effectum 1. ſupra vires humanas: 2. præter conſtantem naturæ rerum ordinem: 3. quod fit volente homine, ſeu eo momento quo vult. Quis autem poſſit certis argumentis nixus dicere, à Cacodæmonibus nihil poſſe fieri, ſupra vires humanas, præter conſuetum naturæ ordinem, eo momento quo Magus velit? Cùm, ut antea diximus, nobis Angelicæ potentiæ limites ſint ignoti, hîc nihil pronunciare, niſi ab experientia petitum, poſſumus.

10. Hoc unum ergo ſupereſt, ut videamus an aliquando Magi fuerint, qui prodigia ediderint, qualia modò deſcripſimus. Quamvis autem innumera mendacia circumferantur, attamen omnia prorſus negare, quæ narrari hac de re ſolent, tutum non eſſe vidimus. Cavendum etiam eſt, ne dum ab iis qui à Dæmonibus quidquam fieri poſſe negant longiùs abimus, incauti delabamur in plebeculæ opinionem; quæ putat Cacodæmonibus vim maximam in omnia à Deo datam, & Magos in homines quoſvis, pro arbitrio, Cacodæmonis potentiâ abuti. Parum interdum abeſt, quin Cacodæmonum potentiam divinæ æquet; ac longè plurimi multò minùs hanc reverentur, quàm illam horrent. Hæ opiniones divinæ bonitati dicam, an providentiæ? immane quantum detrahunt, dum Deum homines Cacodæmonibus fallendos & perdendos tradentem deſcribunt. Itaque habenis compeſci à Deo Cacodæmonas, rariúſque eas laxari, ut ſine permiſſione Numinis nihil poſſint, verius eſt.

11. Qui facta quædam mirabilia non negant, ii, ut dixi, ut plurimùm *præſtigias* fuiſſe contendunt. Verùm præterquàm quod id adfirmant quod neſciunt, duplici ſenſu vox hæc ſumi poteſt. *Præſtigiæ* à quibuſdam ita intelliguntur, quaſi Cacodæmones quod nuſquam eſt quaſi eſſet, ſenſibus objiciant; ut Domus, exempli causâ, ibi videatur eſſe, ubi nulla

nulla est. Sed ut hoc fiat, aut cerebrum spectantium movent, ut solet moveri quando obversatur Domus; aut in aëre Domûs speciem quamdam, quæ oculos spectantium percellat, exstruunt. Alterutrum autem eligatur, ostendendum erit quomodo hoc non sit verum miraculum; nam & supra vires humanas, & præter naturæ ordinem, & eo tempore, quo Magus vult, utrumque fit.

12. *Præstigiæ* ab aliis dicuntur artes quædam, in sola dexteritate, & celeritate sitæ; quales sunt Agyrtarum, qui manuum dexteritate, & motu celerrimo portenta quædam vulgo edere videntur. Verùm ut prorsus negari nequit, Cacodæmonas fortè artibus ejusmodi valere: ita etiam omnia quæ ab illis facta dicuntur, iis artibus peragi potuisse, vix credibile est. Tota difficultas sita est in inveniendo portento exploratæ veritatis, cui quantumvis mirabili aptari possit quod de præstigiis dicitur. Verùm hujus opusculi limites arctiores, nos hanc in rem latiùs exspatiari, non patiuntur.

CAPUT V.

De Magis seu Veneficis, qui sibi noctu ad Magorum cœtum, colendi Dæmonis causâ, proficisci videntur.

1. EST quidem indubitatum fuisse Veneficos, qui homines & pecudes venenatis cibis interfecerint, aut in longinquos morbos conjecerint. Sunt enim & plurima in rerum natura venena, & animi malefici, qui ut vindictam de inimicis sumant, aut aliis adfectibus indulgeant, venenis abutantur. Hi autem sæpe fassi sunt tormentis adacti non modò se ejusmodi maleficiis usos, sed præterea Cacodæmoni cuipiam mancipatos; quem singulis noctibus inviserent, & sub Hirci forma, cum plurimis aliis Veneficis, adorarent. Se circa Hircum in orbem saltasse, cum eo splendidissimè convivatos

 esse

esse narrarunt; & similia portenta, quæ à plurimis crassis voluminibus collecta sunt.

2. Veneficos multos talia esse in tormentis confessos, inter omnes convenit; verùm quæritur an verè & vigilantes Veneficorum & Dæmonum Conciliis interfuerint, an in somnis tantùm sibi iis interesse visi fuerint? Ipsi quidem verè adfuisse se, & corpore per aërem eò translatos fuisse pertinaciter credunt; & viros eruditos constanti adfirmatione in suam sententiam pertraxerunt. Alii verò contendunt hæc omnia esse adfectæ Imaginationis, in somnis, phantasmata.

3. Priores adfirmationi Veneficorum credendum esse censent, 1. quòd multi paria dicant, ut ex editis eorum Confessionibus apparet: 2. quòd dubitari nequeat quin ex animo loquantur, quoniam in perniciem suam Dæmonolatriæ mysteria aperire se sciunt, quippe qui flammis Dæmonolatras damnari norunt: 3. quia quod narrant non est impossibile, aut saltem ultra Dæmonum vires positum esse demonstrari nequit.

4. Alii reponunt, 1. hunc Phantasiæ morbum ad plures propagari, narrationibus Maleficorum, qui imaginosum patiuntur: 2. Veneficos somnia vividissima cum rebus verè actis confundere, cujus rei duæ rationes adferuntur. Prima ab experientia petitur, quâ constat plurimos Veneficos arctissimo somno in lectis suis oppressos, atquè immotos conspectos esse, per totam noctem, quâ se Dæmonolatrarum choreis interfuisse postea jactarunt. Altera est, somnia ab iis quæ vigilantibus accidunt, aliter secerni non posse, ubi somnia vivida sunt, quàm quia nullum hæc habent cum iis, quæ vigilantes videmus, connexum, nec cum certissima vigilantium experientia consentiunt. Exempli causâ, non credimus Amstelodami, ubi somniavimus nos esse Constantinopoli, id verè contigisse; quoniam ante & post somnium, intra ejusdem noctis limites, Amstelodami in lecto jacere nos sensimus. At Veneficorum somnia ejusmodi sunt, ut debeant esse ab iis quæ interdiu accidunt planè aliena, ut videantur

antur vera. Nocte tantùm, aliis omnibus nesciis, ad Concilia Dæmoniorum iri putant, & qui iis intersunt, id altissimo silentio interdiu dissimulare censent. Hinc fit ut vix, ac ne vix quidem, etiam ab iis qui eos in lecto jacentes totâ nocte viderunt, ad saniorem mentem revocari possint: 3. Ceterùm quod ad possibilitatem rerum adtinet, licèt negari fortè semper nequeat; attamen res ipsas ideò verè contingere, ut notum est, non sequitur.

5. Si cui difficile videtur Phantasiæ morbum ita propagari, ut qui cum hominibus cerebro laborantibus versantur, eósque de suis visis loquentes audiunt, eodem morbo adficiantur; ei posterioris sententiæ Patroni haud difficulter, rei ipsius descriptione, satisfieri censent.

6. Fingamus, inquiunt, Pastorem in desertis montibus vitam degentem, cum pauculis aliis, sæpe noctis silentio per vastas solitudines iter facere solum. Audivit sæpiùs esse Naturas inconspicuas, in desertis vagantes, & tantæ potentiæ ut pænè quidquid velint efficiant, virésque humanæ iis collatæ resistere nullo modo queant. Si ea cogitatio ei in tenebris versanti incidat, quid mirum si totus cohorreat, & nocte, solitudine, ac silentio terrorem augentibus perturbetur, adeò ut vix sui compos sit? Homini autem ita perturbato facilè obversari videntur, quæ nusquam sunt. Audit strepitum foliorum, obscurè videt rupem, aut arborem, aut nubem; jam credit adventare Cacodæmona, quem perculsa Imaginatio illico figurâ quadam vestit; mox audit verba quibus reponit, & ubi domum venit, verissimè gesta putat, quæ Imaginatio perturbato animo ingessit. Si hisce accedat magna Christianæ Religionis ignoratio, quæ inter miseros rusticos nimiùm quàm frequens est, non difficulter adducitur ut horrendæ Cacodæmonis potentiæ succumbat, eámque colere incipiat. Quod ubi semel factum est, facilè intelligitur nihil esse tam absonum, quod ab ejusmodi homine & credi & fieri nequeat.

§. 6. *Nocte, solitudine,* &c.] *Valerius Flaccus* sic describit nocturnum timorem, Argon. Lib. II. vs. 37. & seqq.

Auxerat hora metus jam se vertentis Olympi,
Ut faciem, raptósque simul montésque, locósque
Ex oculis, circúmque graves videre tenebras,
Ipsa quies rerum, mundique silentia terrent,
Astráque & effusis stellatus crinibus æther.
Ac velut ignotâ captus regione viarum,
Noctivagum qui carpit iter, non aure quiescit,
Non oculis, noctisque metus niger auget utrimque
Campus, & occurrens umbris majoribus arbor:
Haud aliter trepidare viri.

7. Ubi Pastor paterfamilias eo in errore versatur, fingamus eum familiæ suæ, uxore æquè ignara rerum omnium, & sexu ipso timidiore, pauculisque liberis adolescentibus constanti, ad focum vesperi narrare quæ se vidisse putat. Ex animo loquenti adsunt omnia, candoris indicia, vultus pallens & perturbati oculi, pro tantæ rei pondere, verba apta, gestus hominis præterito terrore vehementissimè adfecti. Familia, quæ Virum, quæ Patrem seriò de re tam mira, déque potentia inconspicua, eóque magis tremenda loquentem audit, nec ullo strepitu interpellatur, nisi fortè mugientis venti, aut ululantium bubonum; familia, inquam, facilè credit verissimum esse quod narratur. Hoc ne in dubium possit revocari, faciunt exempla frequentia puerorum, non in solis montibus & inter paucos homines viventium, sed in ædibus frequentissimis, ejuscemodi fabulis adeò territorum, ut sine lucerna nullo in ædium loco versari audeant, ubi nox obscurior est, & vix etiam soli ædes cum candela obire, multò minùs in lecto soli dormire sustineant.

§. 7. *Ubi nox obscurior est*] Legenda descriptio *Pavoris*, apud *Statium*, Lib. VII. Thebaïdos, ex qua paucula verba proferemus:

——*Quarumque libet bonus omnia credi*
Auctor, & horrificis lymphare incursibus urbes.
Si geminos soles, ruituráque suadeat astra,
Aut nutare solum, aut veteres descendere silvas,
(Ah miseri!) vidisse putant.

8. Abso-

8. Absolutâ narratione, timidi omnes, cerebro perculso, cubitum eunt, & similia iis quæ narrata fuerant somniant. Quotidie eæ repetuntur narrationes, quæ altiùs memoriæ infiguntur, ut vividiora in dies evadant somnia. Atque ut qui semel territus est, nisi aliquid aliud ei animum addat, magis ac magis, sine causa, suâ ipsius terretur Phantasiâ: ita qui semel ejusmodi imbutus est opinionibus, nec à doctiore ad meliorem mentem revocatur, magis in dies insanit, & pertinaciùs præconceptis opinionibus adhæret.

9. Si autem contingat ut quispiam, ex ea familia, nocturnis terroribus perculsa, somniet, aut vigilans, præ cerebri imbecillitate, credat se audivisse vocem, quæ certis ritibus, aut unguentis uti se juberet, si velit aliorum Veneficorum & Dæmoniorum interesse Conciliis; facilè eum cupido incesset eorum rituum peragendorum, conficiendíve unguenti; quo se inungens certò sciat nocturnis se adfuturum Cœtibus, & à formidolosa Dæmonis potentia quidquid libebit impetraturum. Ex olentibus herbis contusis & coctis faciet, exempli causâ, unguentum quo se inunget; dein adrepto baculo ei inequitare incipiet, invocato Cacodæmone; quibus peractis mirúmne cuiquam est hominem perturbari, vertigine corripi, somno obrui, in somnis sibi videri per aërem baculo equitantem ferri, & versari cum aliis Veneficis & Dæmonibus?

10. Postquàm autem ejusmodi ritibus usus est, facilè sibi aliísque persuadet hanc esse eundi ad nocturna illa Concilia, certissimam viam. Itaque tota familia iis utitur, & quoniam ritus efficaciam majorem habent ad cerebrum percellendum, quàm sola narratio, quò magis iis utuntur, eò magis perturbantur, & ad insaniam tandem tantam deveniunt, ut non magis dubitent de nocturnis illis læsæ Imaginationis phantasmatibus, quàm de iis quæ interdiu audiunt & vident. Hinc fit ut nolint credere iis qui eos dormientes in lecto viderunt, eo tempore quo se adesse Cacodæmoni, in loco quopiam semoto, somniabant.

11. Quando

11. Quando autem contigit hosce Magos incidere in virum timidiorem & infirmioris cerebri, cui sua somnia narrent, eum adeò terrent, ut vix sui compos exeat, sæpe eosdem furoris Paroxysmos, ac is à quo ea audivit, patiatur, & bonâ fide tandem nocturnis Magorum cœtibus se interesse credat.

12. Sic eæ opiniones, seu cerebri morbi, contagionis instar, latiùs serpunt, & plura infestant capita. Observatu tamen dignum est frequentiores esse eos morbos inter Montium, & locorum solorum incolas, quàm inter eos qui in Urbibus, aut locis frequentioribus degunt; unde etiam terrorem vastarum solitudinum, cerebrum movere aptum, multùm ad hanc insaniam conferre liquet. Addendum etiam, hujus insaniæ capaciores esse eos, qui atrâ bile abundant, contrà ab ea alienissimos, qui sunt hilarioris indolis; quod suspicionem auget hæc omnia visa, nihil præter meticulosi & melancholiâ laborantis cerebri ludos esse.

13. Si mirum nimis videretur tot homines, à suo timore suíque temperatione corporis, ludos fieri, posset omnis admiratio tolli furoris majoris exemplis. Morbi plurimi ita cerebrum turbant, ut qui iis laborant, sibi quæ nusquam sunt conspicere videantur. Morbus ejusmodi cum vehementiore sanguinis motu conjunctus, si diutiùs duret, ægrum tandem absumit; si verò motus sanguinis resideat, morbus minuitur, atque æger ad saniorem mentem revertitur.

14. Si autem morbus non ita vehementer sanguinem adficiat, ut sine interitu ægri, aut virium imminutione durare nequeat; per plures annos portenta Menti obversantur, quod frequentissimis exemplis constat.

15. Neque sunt tantùm, qui extra se ea esse putent, quæ nusquam sunt, sed & qui se ipsi esse pertinaciter contendant lupos, aut feras nescio quas. Vocatur is morbus à Græcis λυκανθρωπία, proferuntúrque ejus à Medicorum filiis exempla. Videtur hoc, aut simili morbo laborasse *Nabuchodonosor* Babyloniorum Rex, qui per septennium in sylvis fuit,

fuit, in quibus instar bovis herbam pascebat, & —*falsis mugitibus agros implebat.*— Quicumque hæc probè expenderit, non mirabitur Magorum opiniones instar Melancholici morbi haberi.

16. Attamen licèt hæc sic se habere possint, nolim adfirmare numquam verè contigisse quod Magi narrant; at quod semel verè accidit, millies delusæ Mentis somnia fuisse facilè crediderim.

§. 16. *Nolim adfirmare*] Hac cautione utendum censebat *Plutarchus*, ut hæc ejus verba ostendunt, in vita Camilli p. 132. Τοῖς τοιούτοις καὶ τὸ πιστεύειν σφόδρα καὶ τὸ λίαν ἀπιστεῖν ἐπισφαλές ἐστι, διὰ τὴν ἀνθρωπίνην ἀσθένειαν, ὅρον οὐκ ἔχουσαν, οὐδὲ κρατοῦσαν αὑτῆς, ἀλλ' ἐκφερομένην ὅπου μὲν εἰς δεισιδαιμονίαν καὶ τῦφον, ὅπου δ' εἰς ὀλιγωρίαν τῶν θείων καὶ περιφρόνησιν. ἡ δ' εὐλάβεια καὶ τὸ μηδὲν ἄγαν ἄριστον: *Talibus nimiùm credere, aut nimium diffidere, periculosum est, propter humanam infirmitatem; quæ fines non habet, neque sui compos est, sed fertur interdum quidem in Superstitionem & vanitatem, interdum verò in neglectum & contemtum rerum divinarum. Metus verò &, nequid nimis optima sunt.* Sic ille, post memorata nescio quæ miracula.

Secundæ Sectionis Finis.

PNEU-

PNEUMATOLOGIÆ

SECTIO TERTIA.

DE DEO.

CAPUT I.

In quo quid intelligendum voce DEUS; *& Natura, quæ eo nomine appellatur, necessariò esse ostenditur.*

1. NE impingamus in eumdem scopulum, in quem multi impingunt, qui crassos libros de rebus quas nusquam definiverunt scribunt, hoc est, de rebus sibi ignotis agunt; ab initio monemus nos voce *Deus* intelligere *Ens illud,* quæcumque tandem sit ejus natura, *quod ceteris omnibus exsistentiam dedit, ipsum suam à nullo accepit.* In sequentibus paullò distinctiùs ejus naturam, quantum per humanam imbecillitatem licet, describemus; hoc in loco, satis erit generali definitione vocem *Deus* nos esse interpretatos.

2. Scholastici quidem negant Deum posse definiri, quòd, ut loqui solent, *transcendat omnes Categorias,* hoc est, referri ad nullum Genus rerum, quæ sub Peripateticis Categoriis continentur, queat; nec ullum nomen ei conveniat eodem sensu ac Creaturæ. Certè non est Accidens, neque tamen dici potest Substantia, eodem planè sensu ac res creatæ; nam alio modo subsistit ac nos, quippe qui sit absque causa à qua pendeat, & necessariò, dum res creatæ ab eo pendent, & possunt non esse. Verùm si modò probè intelligantur voces, quibus in describenda Dei idea utimur, ita ut cum nulla alia confundi

confundi queat, auditâ definitione, ſatis id ſupérque nobis eſſe debet; cùm is ſit ſolus finis, propter quem definitionibus utimur. Parum intereſt noſtrâ, invenerı́ntne Philoſophi voces, quibus more ſuo Genus & Differentiam Dei exprimant.

3. Ens autem ejuſmodi, quale deſcripſimus, eſſe, & quidem neceſſariò, oſtendemus. Verùm ante omnia adſumimus quaſi exploratum, humano generi, pro omnium Gentium Hiſtoriis, initium fuiſſe. Fuerunt quidem olim Philoſophi, qui cùm hoc re ipsâ coacti confiterentur, humanum genus ex terra ortum, inſtar Plantarum, cenſebant: uti liquet ex *Lucretio*, qui hanc opinionem multis explicat & acriter defendit. Verùm ſi hoc umquam factum fuiſſet, & hodie alicubi fieret; nulla enim ratio adferri poteſt, quâ olim id fieri potuiſſe, nunc non poſſe conſtet. Præterea ſi factum eſſet, oporteret ex ſemine, qualia ſunt Plantarum ſemina, natos homines; quo conceſſo, redirent quæſtiones, quis id ſemen formarit, quis terræ commiſerit; nam caſu hæc velle eſſe facta ridiculum eſt. Si natura quæpiam initium ejus rei feciſſe diceretur, eo ipſo ad Dei exſiſtentiam perveniſſemus.

4. Negari non poteſt quin eſſe poſſit Ens humanâ naturâ præſtantius, hoc eſt, & pluribus, & amplioribus præditum proprietatibus; quod plura, exempli gratiâ, & norit & poſſit. Nec eſſe tantùm poteſt ejuſmodi Ens, ſed etiam eſt neceſſariò; nam cùm primus hominum non potuerit ſui eſſe Artifex, cauſa alia quærenda eſt, eáque præſtantior. Minùs præſtans progenerare non potuiſſet Naturam præſtantiorem, nemo enim dat quod non habet. Æquè præſtans homo fuiſſet, quales nos ſumus; nec facere quiviſſet quod nos non poſſumus, ſeu è nihilo, ſine cauſa, emergere.

5. Eam præſtantiorem Naturam appellamus *Deum*, qui ſi hominem fecit, quacumque demum ratione eum abſolverit, poteſt æquo jure ſtatui feciſſe reliqua animalia, cùm minùs compoſita, tum majore partium compage conſtantia; imo etiam omnia quæ nos circumſtant corpora, nec humanâ induſtriâ

dustriâ exornata sunt, ita, ut ea videmus, disposuisse. Nam quandoquidem humanum genus initium habuit, nulla ratio est quæ persuadeat reliqua fuisse æterna. Verùm alia quidem nunc omittemus, ut in homine, ejúsque Creatore hæreamus.

6. Est ergo Natura humanâ præstantior, cui initium humanum genus debet. At qualis ea est? Huic quæstioni hæc reponimus. Videmus in homine esse corpus, quod manibus potest tractari, & certis circumscriptum est limitibus, quod denique variis proprietatibus destitutum est, quibus si esset ornatum, multò præstantius esset. Sentimus præterea in nobis aliquid quod oculis cernere non possumus, quod intelligit, vult, sentit, liberum est, imaginatur, recordatur, & multa denique præstare potest, quæ, ut videtur, à conspicuo illo Corpore fieri nequeunt. Hoc posterius vocare *Mentem* solemus, quæ tantopere Corpore conspicuo præstat, ut quædam, quæ Corpore infinitis vicibus majora sunt, adprehendere queat. Cernit vastam illam extensionem, quæ nos undique circumambit; cujus tamen extensionis, ope nostri illius conspicui Corporis, non potest formari imago, quæ non sit infinitis partibus minor, eâ quæ nobis obversatur, neque enim major Corpore nostro esse posset.

7. Igitur Mens est Corpore conspicuo præstantior, nec tamen est ad eum præstantiæ gradum evecta, ut possit Corpus procreare, aut mutare pro arbitrio. Quasdam dumtaxat Corporis partes movere potest; alias, quamvis maximè velit, nequit; uti nec eas ampliare, aut minuere valet. At qui & Mentem & Corpus procreavit, eum cùm utroque, ut vidimus, præstantiorem, tum etiam multò perfectiorem Mente esse oportuit; quoniam efficere ut Mens exsisteret, & Corpus ita formaretur, quale id cernimus, potuit.

8. Hoc itaque jam habemus, eum qui nos progenuit, longè supra nos positum esse. Videmus autem supra nos, hoc est, extra proprietatum nostrarum limites, tria potissimùm rerum esse genera. 1. Sunt ad quæ nostra pertingere nequit cognitio: 2. Sunt

2. Sunt quæ efficere non possumus: 3. Sunt quæ ex utroque aliquid trahunt; quæque nobis ignota, & nimiùm difficilia factu cùm sint, quominùs ea, quam optaremus, beatitudine fruamur, obstant.

9. Nobis constat Mentem esse Corpore conspicuo præstantiorem, nec quisquam inficias iverit, quin esse queant Naturæ, quæ ea norint, possint, atque habeant, quæ Menti nostræ negata sunt; aliæque aliis præstantiores; donec tandem ad Naturam, quæ omnes proprietates omnium generum habeat, omnia norit, omnia possit, summáque fruatur beatitudine, deveniamus.

10. Eam autem naturam re ipsâ esse, hac ratiocinatione liquet. Causa quæ homines creavit aut est adhuc, aut periit. Si periit, non fuit ab æterno; nam quod est ab æterno, id perire non potest; quæ enim esset causa, quare id quod nullum habuit initium, finem nancisceretur? Id à se certè non destruetur, nec ab alia Natura, à qua exsistentiam non habet, in nihilum redigetur. Itaque quid ei exsistentiam dederit, quídve finem statuerit quæremus. Si eatur per varios Naturarum perfectiorum gradus, tandem in ea quæ omnes proprietates complectitur, & quæ ut nullum habuit initium, nullum finem est habitura, subsistendum erit.

11. Uno verbo, omnia quæ initium habuerunt, ab alio sunt procreata, quia nihil per se incipit esse. Illud autem, quod ea omnia procreavit, nullum habuit initium, nec proinde finem habere potest. Itaque quod omnibus Naturis, quæ inceperunt aliquando esse, seu etiamnum permaneant, seu jam perierint, initium dedit, id sit adhuc oportet. Igitur est Natura æterna, hoc est, DEUS, quæcumque sint ejus alioqui proprietates.

CAPUT II.

De Proprietatibus Dei in genere, & unde nobis, sine revelatione, innotescant.

1. DUabus viis ad rerum cognitionem pervenimus. Quædam novimus per se, atque *à priore*, ut loquuntur Scholastici, sine aliarum cognitionum interventu, quibus quasi per gradus eò deducamur. Alia verò nobis tantùm per alia, & *à posteriore* innotescunt. Interdum scimus, positis certis causis, certos emanaturos effectus; ut nobis constat, posito pondere majore in una lance libræ, quàm in altera, eam, in qua majus erit pondus, depressum iri. Interdum verò dato quodam effectu, ad causam pervenire conamur; ut cùm ex eo quòd gravia corpora versùs centrum terræ descendunt, ea ab aliis, superiora loca petentibus, deturbari colligimus.

2. Si inquiramus in eam rationem, quâ Deus, sine revelatione, nobis innotescere potest, esse eam *à posteriore*; seu ab exsistentia Creaturarum gradum fieri ad Creatoris exsistentiam comperiemus; & quoniam nemo dat quod non habet, ex proprietatibus Creaturarum, quæ sint etiam in eo à quo illæ fluxerunt, colligimus. Hoc ex demonstratione exsistentiæ divinæ, quàm antecedente Capite tradidimus, satis apparet.

3. Philosophi tamen nonnulli volunt Deum, ut *Ens perfectissimum*, à priore nobis esse notum, quia ideam, quæ Menti nostræ obversatur, Entis perfectissimi considerare, quando videtur, sine aliarum idearum interventu, possumus. Sed quidquid dicant, oportet priùs definiant quid sit *perfectio*, cujus ideam ex Creaturarum contemplatione hausimus; nec perfectiones alias Deo tribuimus, præter eas quas in Creaturis videmus, aut quarum ideas indidem colligimus.

4. Hoc cùm ita sit, videndum quot genera proprietatum in Creaturis observavimus, ut ex effectibus

bus ad Causam adscendamus. Sunt ergo quædam proprietates, quas *Morales* vocare possumus, quales sunt in Creaturis intelligentibus; & quæ ideò *Morales* dicuntur, quòd ad *mores* pertineant. Aliæ sunt *Physicæ*, quæ cùm in intelligentibus, tum in intelligentia destitutis Naturis cernuntur, & quæ ad mores non referuntur. *Bonitas*, exempli causâ, proprietas *moralis*; *Potentia* verò *physica* est.

5. Ut initium faciamus à proprietatibus Physicis, quas in Deo deprehendimus, indubitatum est Naturam, quæ reliquas omnes initium habentes procreavit, harum omnes proprietates possidere; nec tantùm eo gradu quo in Creaturis sunt, sed ita ut nullis terminentur defectibus; cùm nihil sit extra eam Naturam, quæ omnium parens est, quod eas imminuere possit, nec in ejus natura quidquam, quod eas capere nequeat prorsus illimitatas. Creaturæ, exempli causâ, sunt, ideóque etiam est Deus, qui illis exsistentiam dedit; sed præterea Deus ab æterno est, adeóque necessariò; cùm nisi aliquid ponatur sine initio & quod semper fuerit, nihil umquam exsistere potuisset; quis enim quidquam per se è nihilo emergere capiat? Hinc exsistentiæ ideam nos ex nobismet ipsos colligere, indéque ad divinam retrogredi, & ad ipsam æternitatem, dum de initio rerum cogitamus, animadvertimus pervenire.

6. Cùm autem duo potissimùm Naturarum genera norimus, Intelligentes & Corporeas, possumus in Deo utrarumque proprietates quærere; si modò recordemur, quæ defectibus in Creaturis finiuntur, eas esse in Deo sine defectibus, seu infinitas. Intelligentes Naturæ intelligunt, volunt, sentiunt, imaginantur, recordantur; ideóque in Deo etiam hæc omnia sunt, sed sine defectibus, quibus in Creaturis laborant. Intelligit Deus, sed unico intuitu omnia simul; vult, sed nonnisi sapientissimis de rationibus, nec inconstanti voluntate, aut consilio in arena capto; sentit, sed non adfectus à Creaturis, quæ nos, quando sentimus, adficiunt; imaginatur,

natur, hoc eſt, rerum corporearum imagines præſentes habet, ſed ſine commotionibus quibus nos percellimur; recordatur, ſed ſine labore & oblivione; nec revocat ea de quibus aliquamdiu non cogitaverat, ſed omnia ſemper præſentia intuetur.

7. Extenſio univerſa ſimul ſumta videtur limitibus carere, nullos certè ei Mente adfingere poſſumus. Deus quoque immenſus eſt, & eâ quidem immenſitate, quæ non eſt partibus diſtincta, ita ut hîc eſſe partem Dei, quæ alibi non ſit, dicere poſſimus. Corpora in alia impacta ea loco demovent, quocumque id fiat modo: ſic & Deus corpora movet, prout vult, quoniam materiæ motum indidit; at non ita movet, ut quantùm immittit tantumdem ipſe amittat motûs, aut ut ſuperficie ſuperficiem premat.

8. Et Spiritus & Corpora *poſſe* aliquid dicuntur, non omnia, ut eorum potentia limitibus, quos tranſgredi nequit, contineatur; at Deus omnia poteſt quæ fieri queunt, hoc eſt, quorum ideam aliquam formare poſſumus. Qui enim dare initium potuit rebus, quæ non erant, quid non poſſet?

9. Et ſic quidem ex Creaturis proprietates *Phyſicas* Dei colligimus; ad *Morales* verò quod adtinet, quamquam nobis etiam gradum ab inferioribus ad ſuperiora facientibus innoteſcunt, paullò aliter id fit. Eæ proprietates divinæ, quemadmodum in hominibus, *Virtutes* appellantur.

10. Si humanam naturam diligenter conſideremus, eam eſſe ejuſmodi comperiemus, ut unus homo ſibi ſolus ſufficere nequeat, ſed mutua indigeamus ope. Hinc naſcuntur officia mutua hominum inter ſe, in quibus ſiti ſunt ii animorum habitus, qui *Virtutes* dicuntur. Sine his vita non eſt vitalis; quid enim humano genere fieret, ſi nulla eſſet conſanguineorum, amicorum, civium, hominum denique inter ſe caritas; ſi nulla foret juſtitia, nulla probitas, nulla fides, nulla beneficentia,

nulla denique earum virtutum, quibus Societas continetur?

11. Hinc intelligere licet Deum, qui voluit homines Societate constringi, sine qua vivere non possunt, voluisse etiam ab hominibus eas coli virtutes, quæ ad tuendam Societatem sunt aptissimæ; ea vitari vitia, quibus dissolvi posset. Hoc autem posito, sequitur ut hæ virtutes Deo gratæ sint; quid enim eum cogeret ferre hominibus, per ipsam naturæ institutionem, leges quas ipse improbaret? Si porrò eas probat, ejus naturæ eas esse consentaneas, adeóque Deum similibus *Virtutibus*, quantùm naturæ divinæ & humanæ discrimen patitur, præditum necesse est. Deo igitur insunt *moralia* adtributa, quemadmodum nobis.

12. Ita ad divinarum proprietatum, quarum collectione Idea Dei constat, cognitionem, ab ipsa natura nostra gradum ad Creatorem facientes, devenimus. Nunc paullò distinctiùs de præcipuis ejus adtributis, quatenus sine revelatione innotescere possunt, agemus.

CAPUT III.

De Æternitate, Immensitate, & Spiritualitate Dei.

1. IN recensendis potissimis proprietatibus divinis, initium à Physicis faciemus, ad Morales postea deventuri. Inter priores eminet *Æternitas*; de qua tamen eò pauciora dicemus, quò pluribus in *Ontologia* Cap. V. egimus.

2. In Æternitate Dei, tria considerare potissimùm possumus. Primùm, esse eam durationem sine initio & fine. Quando autem dicimus Dei exsistentiam esse sine initio, nolumus dumtaxat defectum à Deo removere, quale est initium, seu simpliciter aliquid negare; sed præterea, eum semper fuisse, quæ proprietas est quàm maximè positiva, adfirmamus. Etenim cùm quævis duratio non

non ſit, multò minùs duratio perpetua negatio erit. Fatendum quidem eſt nos infinitatis ipſius, abſtractè conſideratæ, habere ideam tantùm negativam, ut oſtendimus *Ontologiæ* C. XVII. At id, quominùs ipſa duratio æterna ſit maximè poſitiva, non obſtat.

3. Hanc Dei proprietatem quidam ex recentioribus Philoſophis *Aſeïtatem* vocarunt, quia Deus, eò quòd principio caret, eſt *à ſe*, non ab alio, contendúntque eam eſſe poſitivum adtributum; quod eòdem quidem redit ac id quod diximus, ſed vocibus novis ſine cauſa expreſſum eſt.

4. Quando Æternitatem Dei ſine fine eſſe dicimus, conſequens tantùm antecedentis doctrinæ colligimus; quia ſi ponas Dei durationis nullum initium, eo ipſo nullum eſſe finem adfirmas. Neque enim ſe ipſa in nihilum rediget Natura, quæ ab æterno fuit; neque ab ulla alia ſimile pati quidquam poterit, ut primo Capite innuimus.

5. Indidem fluit quod ſecundum in æternitate conſiderari poteſt; ſcilicet, partes æternæ illius durationis ita connexas eſſe, ut nullo modo poſſint à ſe divelli; contrà quàm in Creaturis, quæ initium habuerunt, uſu venit. Non ſequitur ex eo quòd hodie ſumus, cras futuros; ſed ſemel poſitâ Naturæ ſine initiò exſiſtentiâ, neceſſe eſt eam ſine fine perſeverare.

6. Tertium, quod in Æternitate obſervandum eſt, in eo ſitum eſt ut ſucceſſione durationis neque ulla mutatio in proprietatibus, neque major Dei duratio fiat. Poſt mille millenas annorum myriadas, neque erit ſenior Deus, neque ullam amiſerit aut adquiſiverit proprietatem; ſi enim infinito addamus infinitum, prius non fit magis infinitum, quàm antea. Ubi agemus de immutabilitate Dei, ei nihil accedere, aut decedere, ſed ſemper eumdem remanere oſtendemus.

7. Quidam volunt Æternitatem Dei eſſe ſine ſucceſſione, ſed cùm hac de re ſatis egerimus Cap. V. *Ontologiæ*, hîc pluribus de ea loquamur neceſſe non eſt. Illinc poterunt, quæ huc faciunt, peti.

 8. *Immen-*

8. *Immensitas* Dei inde colligitur, ut Cap. antecedenti breviter indicavimus, quòd extensio videatur immensa. Absurdum enim esset Deum, qui multò plures proprietates habet quàm extensio, quæ pigra & immota nihil agit, patitúrque omnia in se fieri quæ vult Deus, eâ ita superari, ut partes extensionis ultra divinæ potentiæ limites porrigerentur; quod tamen statueretur, nisi Deus esset immensus, seu nisi posset per se agere per infinitam extensionem. Imò nisi Deus immensus esset, remanerent infinita semper extensionis spatia, ad quæ numquam ejus potentia pertingeret.

9. Utuntur hîc Philosophi Christiani etiam argumento, ex creatione materiæ è nihilo deducto, quod licèt vero nixum hîc non urgebimus; quia res est profundioris indaginis, & fusiore inquisitione indiget.

10. Sed quæret fortè quispiam, quæ sit tandem immensitas Dei; nam eam hactenus potiùs obscurè descripsimus, quàm definiimus. Respondemus nos eam in se non intelligere, sed à posteriore illuc pervenientes, eò usque tantùm hoc in negotio progredi, ut Deum in infinita totius rerum Universitatis extensione per se posse agere colligamus. At si quæratur quomodo in extensionem agat, aut quâ ratione ei præsens sit? fatebimur id à nobis non intelligi; quamvis mundi, qualis est, exornatio, hominísque inter alia procreatio manifestò Deum præsentem in extensionem egisse testentur.

11. Scholastici quidem, hoc in loco, de *virtuali extensione*, seu quæ *eminenter* in Deo contineatur, multa dictitant: sed tandem eò deveniunt, ut quid sibi velint nesciant, aut Deum extensum prorsus efficiant, seu ei extensionis defectus ipsos tribuant. Exempli causâ, dicunt nonnulli Deum esse *locum* corporum, hoc est, infinitum illud & immotum spatium, quod corpora continet. Hoc si verum esset, à Deo corpora moveri intelligere non possumus, quî enim extensio mera eáque immota aliud moveret?

12. Rei,

12. Rei, quæ à posteriore quidem nobis constat, modum ignotum esse ingenuè agnoscere præstat. Itaque quando dicimus Deum esse immensum, æquè ac extensionem; ubique extensioni ipsum adesse, atque in eam per se agere, à nobis intelligitur; licèt rationem, quâ adest & agit, prorsus ignoremus.

13. Immensitatis divinæ consideratio nos ad *Spiritualitatem*, quoniam Philosophi hæc conjungere solent, deducit. Eum enim esse immensum, eâ immensitate quæ Spiritui, non quæ corpori convenit, aiunt. Sed alii corporum proprietates inesse Deo negant, alii, ut diximus, nescio quam extensionem *virtualem*, cujus ideam formare non licet, & quæ spirituali naturæ conveniat, effingunt. Nos quæ nullo modo intelligimus, quasi comperta proferre, aut obscuro sermone ignorantiam nostram tegere, religioni ducimus. Itaque hîc paucis, quæ certa videntur, contenti, cetera omittemus, & nobis ignota esse inguè fatebimur.

14. *Spiritus*, initio hujus Opusculi, vocari à nobis omnia Entia, quæ Intellectu & Voluntate prædita sunt, diximus. Eo sensu dubitari nequit, quin Deus *Spiritus* appellari debeat. Qui initium dedit Spiritibus, quales sunt humanæ mentes; is necessariò earum facultates, & quidem nostris ampliores possideat oportet, ut diximus, ubi ejus exsistentiam probavimus.

15. Ostendimus etiam, *Cap.* II. hujus *Sectionis*, eas proprietates à Deo ita possideri, ut in eo sint sine defectibus, quibus in nobis laborant, nec ea hoc in loco repetemus. Observabimus tantùm eum, qui omnibus aliis Entibus initium dedit, & ab æterno fuit, tantæ eo ipso esse supra reliqua omnia excellentiæ, ut qui hoc (quod necessariò oportet) concesserint, nullam proprietatem quantumvis eminentem ei negare queant.

16. Cùm igitur Spiritum dicimus Deum, eum prorsus ejusdem naturæ, aut non amplioribus facultatibus, & quas eodem modo exerceat, esse præditum ac Angelicas Naturas & Mentes humanas, non intelli-

intelligimus. Hoc volumus, nihil posse à Spiritibus fieri, facultatibus quibus præditi sunt, quod Deus quoque suis, multò etiam meliùs & faciliùs efficere nequeat.

17. Si quis quæsiverit quare Deus à nobis potiùs *Spiritus*, quàm *Corpus*, vocetur, cùm non minùs habeat proprietates Corporum quàm Spirituum? Reponimus, omnium quidem Entium proprietates in Deo esse, ideóque ad unum Genus Entium eum, accuratè loquendo, magis referri, quàm ad alterum non posse. Sed quoniam usus obtinuit ut denominatio fiat à nobiliore parte, hoc est, ab ea cujus adtributa aut plura sunt, aut minoribus laborant defectibus; Deus meritò *Spiritus* potiùs quàm *Corpus* dicitur, quia intelligere, velle, omnia providentiâ administrare, aliáque ejusmodi, adtributa sunt præstantiora, quàm id facere quod corpora efficere possunt. Deinde qui dicunt Deum esse Spiritum, propterea non negant eum esse Corporum proprietatibus instructum, quia ignotum nobis est quæ naturâ Spirituum contineantur. Sed si diceretur Corpus, quicumque ita loqueretur, negare videretur in Deo esse vim intelligendi, quia eam corporibus meris detrahere solemus.

18. Huc accedit quòd Corporis appellatio *visibilitatem*, hoc est, superficiem quamdam certis finibus limitatam, quâ lux ad oculos nostros reflectitur, involvit; Deus autem est *invisibilis*, hoc est, ejus limitationis ex qua oritur visibilitas, expers. Certè qui primi Deum *Spiritum* esse dixerunt, & quos nos hodie sequimur, Veteres Hebræi, nulla alia de causa Deo hoc vocabulum imposuisse videntur, nisi quia eum intelligentiâ præditum, & inconspicuum esse norant; ea enim sola Spirituum adtributa cognovisse videntur, quoad ex omnibus eorum libris, qui supersunt, colligere licet.

19. Possumus ergo dicere Deum esse Spiritum, non minùs ac æternum & immensum; nec de verbis litem nobis moverit quisquam, quando nec ea primi invenimus, nec ea definire recusamus. Ce-

terùm Dei proprietates Spirituum proprietatibus analogas, Capitibus sequentibus, pluribus persequemur.

CAPUT IV.

De Intellectu & Omniscientia Dei.

1. DEum intellectu esse præditum, si non constaret vel ex eo quòd nos ejus facultatis nobis simus conscii; ex mundi mirabili dispositione, satis liqueret. Quicumque enim mundum non summâ ratione, sed casu esse factum olim crediderunt, adeò sunt ab omnibus explosi, atque ita insaniunt, ut jam nemo desipienti Sectæ adsensum præbere possit, nisi alienatæ Mentis.

2. Igitur missis prolixioribus argumentis, quibus Deum intelligere solent probare Philosophi, duo hîc expendemus; quâ ratione Deus intelligat, deinde quæ sint ejus intellectionis objecta, secundùm quæ Cognitio, seu Scientia Dei in varia genera dividi solet.

3. Nos quidem, intimâ conscientiâ, objecta verò corporea ex occasione motûs cerebri, atque obversantibus Menti nostræ rerum, quas intuemur, imaginibus; Spiritualia denique ideis, quæ Menti se sistunt, cognoscimus. At Deus non eodem modo intelligit, cùm in nostra intellectione quædam sint imperfectiones, seu defectus, quibus fieri nequit ut laboret. Sui quidem sibi conscius est, est enim hoc omnium rerum Intelligentium necessarium adtributum. Sed hoc est discrimen inter nos & Deum, quòd Deus suam totam naturam intellectione exhauriat, nec sit quidquam in ipso, quod non norit; nos verò totam Mentis nostræ naturam notam non habeamus. Scilicet, à Deo procreati sumus, qui certos limites facultatibus nostris præscripsit, ultra quos procedere non licet; sed qui ab æternitate fuit, is nec ab alia natura quidquam accepit, nec sibimet ipse, si ita loqui licet, negavit.

4. Deus neque motibus in ſua natura excitatis, neque perculſus ab objectis ſentit, aut intelligit, ut nos ſolemus. Etenim neque eſt ἀνθρωπόμορφος, neque à Creaturis ſuis adfici poteſt; alioquin aliquatenus ab iis penderet, quippe qui ab objectis varias mutationes pateretur, quod abſurdum eſt.

5. Spiritualia non intelligit, ut nos, intervenientibus ideis, quæ ab ipſo non pendeant. Multa intelligere fruſtra cupimus; ideæ, quibus ea animo noſtro veluti præſentia ſiſtuntur, licèt adtentione animi advocatæ, non adſunt. Innumera de Deo ignoramus, nec quomodo ad eorum cognitionem perveniri queat ſcimus. Igitur hoc pacto Deus Spiritualia non cognoſcit, quî enim fieri poſſet ut qui omnibus initium dedit, eorum omnes proprietates, & relationes non norit?

6. Præterea pauca ſimplici intuitu novimus; pleraque per demonſtrationum, interdum prolixarum, ambages quærenda ſunt. At ratio modò allata Deum unico intuitu Creaturarum ſuarum proprietates & relationes omnes intelligere oſtendit. Intelligendi facultas in hominibus adeò arcta eſt, ut plura ſimul intelligere nequeamus diſtinctè, propoſitionéſque à ſe invicem pendentes ſingillatim conſiderare cogamur. Sed qui intellectum hominibus dedit, is ſine dubio moleſtâ ejuſmodi deductione propoſitionum non indiget.

7. Itaque quamvis Deus Ens intelligens dicatur; eodem tamen modo, ac Mentes noſtræ, intelligere non eſt cenſendus. Verùm hîc aliquis quæſiverit, quâ ergo ratione intelligat? Fatemur nos quidem, defectibus, qui in Mentium humanarum intellectione ſunt, animadverſis, poſſe certò adfirmare diſſimilem iis in rebus eſſe divinam intellectionem humanæ; ſed qualis tandem in ſe ſit, prorſus ignorare. Scholaſtici verò Deum in ſe omnia cognoſcere, quoniam ejus natura omnes omnium rerum ideas complectitur, dictitare ſolent; ſed quoniam, poſtquàm ſubtiliſſimè ſententiam ſuam explicuerunt, nulla divinæ intellectionis Menti noſtræ obverſatur idea; ſine ambagibus illico, ut

temporis fiat compendium, ignorantiam nostram præstat profiteri.

8. Omnia, quæ sub divinam atque humanam cognitionem cadunt, possunt ad quatuor referri classes. 1. est præteritorum: 2. præsentium: 3. futurorum: 4. possibilium. Homines quædam horum certò cognoscunt, plurima dubiè, innumera nullâ ratione. Sed Deus, qui id effecit quod omnes homines simul efficere non possunt, cùm primos homines procreavit, cognitionem habet infinitò ampliorem, ut ex rationibus allatis satis apparet. Cùm semper fuerit, omnia administrarit & administret, Creaturas suas optimè norit, & quid earum operâ variisque conjunctionibus fieri possit sciat; neque enim sine perfectissima earum rerum cognitione, iis creandis, aut regendis suffecisset; ei omnia prorsus esse nota colligimus.

9. Ad præterita quod adtinet, nos ea, ope memoriæ, ne effluant retinemus; sed ita ut Menti nostræ eo tantùm tempore objiciantur, quo actu de iis cogitamus. Præterea innumera aut non adtendentibus, aut invitis nobis elabuntur. Ea omnia, quin sint imbecillitatis certa indicia, nemo dubitare queat; ideóque à Deo amolienda esse omnes consentiunt. Si quando igitur Deus negatur alicujus rei meminisse, hoc ἀνθρωποπαθῶς dictum esse tenendum est.

10. Hominum præsentia certis est limitibus finita; adeò ut is dicatur præsens alicui rei esse, qui eam videt. Quidquid enim fit extra conspectum nostrum, id nobis præsentibus factum esse negatur. Sunt fortè alia Entia Spiritualia, quales Angeli, quorum præsentia latiùs patet, quòd plura simul animadvertant quàm nos; sed Deus qui immensitate suâ, ut vidimus, ubique præsens est, omnia præsentia per se cernit.

11. Præsens autem est non modò corporeis actionibus, sed etiam spiritualibus, seu Mentis cogitationibus; neque enim Mentem minùs fecit quam Corpora, neque minùs opera sua spiritualia, quàm corporea novit. Homines quidem, qui nihil eorum

rum animadvertunt, quæ extra se aguntur, nisi ope sensuum, non sentiunt ea quibus sensus non percelluntur, quales sunt aliorum hominum cogitationes; sed Deus, qui ea organa ipse finxit, ejusmodi subsidio ad animadvertendum quod geritur, non indiget, ideoque tam videt Spirituum actiones, quàm nos Corporum, coram nobis loco motorum, translationem.

12. Futura sunt aut necessariò eventura, qualia quæ intervenientibus meris corporibus aguntur; aut contingentia, quæ scilicet à libertate Spirituum pendent. Priora quin cognoscat dubitari nequit; qui enim machinam fecit, cujus omnes partes perfectè novit, earúmque inter se dispositionem pervidet, is machinæ effectus certò prævidet, & prædicere potest. Deus autem totius machinæ mundi non modò artifex, sed qui constantibus eam regit legibus, etiam moderator est.

13. Major occurrit difficultas, circa futura contingentia, ut satis ostendimus Ontologiæ Cap. XIII. ubi de Contingentibus egimus. Dicuntur enim contingentes eventus in se spectati ejus esse naturæ, ut sint prorsus pendentes, ac veluti in æquilibrio; hoc est, tam facilè possint evenire, ac non evenire. Qui negant contingentia Deo esse ante eventum nota, eos eventus aiunt esse ejusmodi, ut repugnet eos à Deo præcognosci. Quod est minimè fixum in se, inquiunt, id à Deo quasi fixum præcognosci. Quod est minimè fixum in se, inquiunt, id à Deo quasi fixum præcognosci repugnat: quemadmodum circulum, qui angulis caret, ab eo quasi angulis refertum intelligi. Itaque queruntur sibi ab adversariis injuriam fieri, qui eos insectantur, quasi divinæ Scientiæ terminos ponerent; cùm non magis eam finiant, quàm Potentiam, qui repugnantia à Deo fieri posse negant.

§. 13. *Quod est minimè fixum*, &c.] Eòdem recidit argumentum *Ciceronis*, contra divinationem rerum fortuitarum, Lib. de Divin. num. 18. *Ne in Deum quidem*, inquit, *cadere videtur ut sciat quid casu & fortuitò futurum sit. Si enim scit certè illud eveniet. Sin certè eveniet. nulla fortuna est. Est autem fortuna. Rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio.*

14. Alii verò, qui confitentur esse quosdam eventus contingentes (qui enim necessaria omnia esse putant, eos hîc omittimus) contendunt tamen à Deo eos prævideri, & prædici posse. Atque hi hoc nituntur inter alia fundamento, quòd Deus, si ignoraret contingentia ante eventum, quotidie doctior fieret; disceret enim passim quædam evenisse, quæ antea an eventura essent, ignoraverat. Hoc autem Deo prorsus indignum videtur, ut quotidie videat ea evenire, quæ exspectare non potuerat.

15. Verùm hæc postrema ratiocinatio, ut & aliæ multæ, quæ hanc in rem adferuntur, rationes contrariæ sententiæ, aut objectiones meræ sunt; quibus nullo modo solvitur argumentum adversariorum §. 13. allatum. Si verum hîc profiteri licet, fatebimur utrimque esse difficultates maximas, quarum quidem specimina allatæ esse poterunt. Utraque pars adeò plausibilibus utitur rationibus, ut si seorsim audiantur, nunc ab una, nunc ab altera stare Veritas videatur.

16. At ii omnium modestissimè ac prudentissimè se gerere nobis videntur, qui postquàm eventus esse contingentes, atque ex Scriptura Deum ejusmodi eventus prædixisse ostenderunt; ideò, licèt contingentiam rerum cum præcognitione certa in concordiam redigere nequeamus, tamen hanc esse admittendam contendunt, quia modum quo Deus res cognoscit ignoramus. Hoc tantùm superesset quærendum, an prædictiones sint in Scriptura, quæ circa res planè contingentes versentur. Verùm hoc Theologicum est, non nostri instituti.

17. Possibilia omnia à Deo cognosci intellectu difficile non est ei, qui meminerit rerum naturas perfectè Deo esse notas; adeoque eum planissimè scire quid earum ope, seu seorsim agentium, seu conjunctarum, fieri possit. Cùm præterea suarum perfectionum sibi plenè conscius sit, potentiæ suæ extensionem, hoc est, quæ facere posset si vellet, quæ verò sint naturâ suâ repugnantia, noscat necesse est.

18. Cete-

18. Ceterùm Scholastici distinguunt Scientiam in *conditionatam* & *absolutam* : *simplicis intelligentiæ* & & *visionis*. *Conditionatâ* scientiâ Deus quid futurum sit novit, si hoc aut illud fiat, quia nexum causarum & effectuum perspectum habet. *Absoluta* verò cognitio est quæ versatur circa eventus certos, & quorum fixæ sunt causæ. Scientia *simplicis intelligentiæ* circa possibilia, sive sint futura, sive non ; quæ verò *visionis* dicitur, circa futura, eáque quasi in certo tempore considerata, versatur. Hæ non sunt facultates diversæ quæ Deo insint ; sed una eadémque Omniscientia divina, variorum objectorum respectu, considerata.

CAPUT V.

De Voluntate & actionibus Dei, ac præsertim Creatione è nihilo.

1. QUamvis unus idémque Deus & intelligat, & velit ; attamen quia intelligere & velle duæ sunt actiones, in Deo distinguitur Intellectus à Voluntate. Ante omnia, nos profiteri oportet ignorantiam nostram ; tantùm enim abest ut hîc acutùm videamus, ut nesciamus quomodo ad volendum impellatur Deus, quia ejus intellectionis modum ignoramus. Hoc generaliter dumtaxat adfirmare licebit, Deum non agere, seu ad volendum, nisi rationibus sapientissimis naturæque ejus consentaneis, non adduci.

2. Circa modum, quo agit Deus, æquè ignari sumus, licèt innumera à Deo facta esse, & fieri certò sciamus. Quidam olim crediderunt Deum agere in Creaturas ; nescio quo virtutis effluvio, quod ab illo in eas transiret ; sed quodnam sit hoc effluvium cùm docere nequeant, perinde est ac si nihil dixissent. Alii acutiores aiunt Deum agere Voluntate suâ, adeò ut sola volitio, sine ulla alia actione, rem quam fieri vult peragat. At licèt

veriſſimum ſit nihil eorum quæ Deus vult non fieri, ut oſtendemus, ubi de ejus Omnipotentia agemus; attamen res ipſas eſſe effectus immediatos ejus volitionum non ſatis conſtat.

3. Solent quidem dicere nullam aliam actionem Spirituum eſſe nobis notam, præter volitionem, ideóque nullam etiam aliam Deo tribui oportere. Verùm hæc ratiocinatio ſtatuit quidquid eſt in Spiritibus nobis eſſe notum, quoniam non licet quidquam eſſe in Spiritu adfirmare, niſi quod novimus. Præterea, quis docuit eos, qui ita loquuntur, Deum eodem modo agere, quo agunt Spiritus nobis noti, hoc eſt, Mentes humanæ? Sanè poſtquàm immane diſcrimen eſſe vidimus inter Mentes noſtras & Spiritum increatum, aliis in rebus; adfirmare eos hac in re eſſe ſimiles, temerarium eſt.

4. Præcipua omnium Dei actionum eſt Creatio mundi, in quo conſiderantur *materia* & *forma*; & circa materiam quidem potiſſima eſt quæſtio; nam poſito à Deo creatam eſſe ipſam materiam mundi, facilè formam ab eodem ei inditam oſtendere eſt.

5. Duo ſunt Entium genera nobis nota, Spiritus & Corpora. Utraque autem à Deo è nihilo, ſine præjacente materia, eſſe creata hoc generali argumento oſtendunt Metaphyſici. Illa duo Entium genera ſunt à ſe, aut ab alio; ſeu initium habuerunt, aut nullum. Si omnia, excepto uno, initium habuerunt, confecta res eſt, habemus unicum illud æternum Ens, quod quærimus. Sin verò ſemper fuiſſe omnia dicantur, videndum an in eorum natura quidpiam ſit, quod Æternitatem, ut ita dicam, ſapiat.

6. Ut à Spiritibus initium ducamus, nullum Spiritum notiorem Mente noſtrâ habemus, cujus proinde in exſiſtentiam, an æterna ſit, meliùs, quàm in aliorum Spirituum, inquirere poſſumus. At primò, nos non recordamur fuiſſe, niſi ante pauculos annos, nedum ut ulla ſit in nobis æternitatis memoria; unde conſequens eſt, ſi reverâ Mentes noſtræ ab æterno fuerint, id aliunde nobis, ſi ſciamus, innotuiſſe oportere. Revelatio tamen nulla eſt

est Naturæ æternæ, quæ nobis eam nostri præstantiam, cujus alioquin obliti essemus, in memoriam rvocarit. Nullum etiam in Mente nostra durationis sine initio indicium videmus, quod ejus æternitatis suspicionem in nobis creare possit. Cognitiones nostræ tam arctis limitibus circumscriptæ sunt, ut nihil pænè norimus, præter proprietates pauculas rerum, quas primùm sensibus hausimus, & quas longâ experientiâ compertas habemus; unde postea abstractione, adjunctâ animi conscientiâ, generalia axiomata formavimus, ut satis in Logica ostendimus. Potentia nostra, sive facultates Mentis nostræ exiguæ sunt, & ad paucissima porriguntur. Hæccine autem sunt æternitatis indicia? Certè quod ab æterno fuit, ut nullâ causâ ut esset indiguit: ita nec indigere ullâ causâ videtur ad alias proprietates, æternitate nequaquam præstantiores, consequendas. Præterea Mentes nostræ maximis incommodis invitæ subjacent, quales sunt dolores innumeri, quibus inviti adflictamur. An credibile est Naturam adeò præstantem, ut exsistendi initio careat, posse ab aliis, quibus esset antiquior, aut saltem æqualis, ita vexari?

7. Non novimus quidem alios Spiritus, nisi obscurè, ut in secunda hujus Opusculi Sectione ostendimus; sed tamen nihil est quod animis nostris suspicionem injicere possit, inter ea quæ de eorum natura non novimus, esse Æternitatem. Imò quæ de illis narrantur à variis Gentibus, nihil tale arguunt, quod patebit leviter expendentibus ea quæ de Spiritibus separatis diximus; ideòque fusiore examine hìc supersedebimus.

8. Si nos ad Corpora convertamus, in corporea natura nihil etiam deprehendemus, quo ad æternitatem illi tribuendam adducamur. Tres potissimùm in corporibus novimus proprietates, Extensionem, Divisibilitatem, Impenetrabilitatem, seu Soliditatem. Hæccine autem includunt ullam æternitatis ideam? An possumus dicere: *Corpora sunt extensa, divisibilia, & solida; ergo æterna?* Imò si conferamus summam illam Æternitatis perfectio-

nem, cum defectibus quos deprehendimus in materia; eos defectus cum Æternitate stare posse numquam animum inducemus ut credamus. Exempli causâ, materia est per se immota, eodémque in statu quietis in æternum remaneret, nisi vi externâ agitaretur. Quis possit sibi persuadere Naturam, quæ omnium proprietatum præstantissimâ gauderet, tanto defectu laboraturam?

9. Unicum argumentum, alicujus ponderis, quo utuntur qui æternitatem materiæ propugnant, huc redit, quòd extensionis infinitæ, quam quaquaversùm porrigi videmus, nullum capiant initium. Quantumvis animo nitantur, negant se ullo modo intelligere posse hanc semper non fuisse. Verùm non dicemus quidem hîc, quòd Philosophi Veteres & Recentiores plurimi dixerunt, & sine dubio verum est, solam extensionem non esse corpus; sed eos jubebimus in se ipsos descendere, & diligenter expendere quid intelligant, quando dicunt materiæ initium ullum à se concipi non posse, ideóque nullum esse.

10. Si quis dixerit *materiam cœpisse exsistere*, propositionis hujusce non modò subjectum & adtributum probè intelligimus, sed etiam eorum nexum distinctè percipimus. Hoc unum fallit eos, qui initium materiæ se intelligere posse negant, quia nihili, quod, ut ita loquar, exsistentiam materiæ antecessit, positivam ideam effingere vellent; quæ tamen fallax esset, cùm nihili nullum conceptum, nisi negativum, habere queamus. Igitur quando cogitamus de initio materiæ, non est negandum id à nobis concipi, quòd ideam statûs, qui materiæ exsistentiam præcessit, nullam habeamus positivam; nam nulla esse debet, neque potest, nisi fallax.

11, Hinc colligere est, 1. quoniam nihil, neque in Spiritibus, neque in Materia, videmus, quod eorum Æternitatem prodat, saltem ea esse æterna adfirmare nos non posse: 2. cùm Spiritus & Materia laborent defectibus maximis, non posse iis tribui proprietatem omnium præstantissimam Æternitatem; adeóque illa esse creata ab alia Natura,

quæ

quæ illis proprietates, quas voluit, adtribuit; quas visum est negare, non dedit. Quod habet per se id quod majus est, potiore jure id habebit quod minus judicatur. Ideóque quod est ab æternitate, id sanè nihil est quod per se habere non debeat.

12. Hinc satis apparet innumera Entia è nihilo esse veluti producta, adeóque Causam habere quæ è nihilo ea eduxerit, cùm nihil per se esse incipiat. Atque id cùm de Spirituum Substantia, & de Materia ipsa mundi, à nobis ostensum fuerit; multò minùs de forma, contradicentibus omnium Gentium Annalibus & rebus etiam ipsis, negari potest. Ideóque posteriori huic rei non immorabimur, cùm præsertim à Theologis soleat probari.

13. Paucis tantùm verbis quæstionem celebrem adtingemus, *utrum Deus liberè mundum creaverit?* In memoriam ante omnia revocandum, *libertatis* nomine intelligi *facultatem quâ aliquid facere, aut omittere possumus.* Itáque quando quæritur an Deus liberè agat, idem est ac si quæreretur an Deus eâ facultate, quâ possit non facere quod facit, sit præditus?

14. Quoniam autem simili facultate ornati sumus, ut nobis sumus ipsi conscii, quin ea quoque gaudeat Deus dubitare nefas est. Sed cavendum ne eam in Deo libertatem ponamus, quæ ex naturæ defectu manet. Interdum libera sunt judicia nostra, quia res, de qua judicamus, satis nobis non est nota, ut ostendimus, ubi de Libertate egimus. In Deo, Libertatem ejusmodi ignorantiâ niti, ejus non patitur Omniscientia.

15. Sed potest fieri, ut quando de re quapiam facienda Ens sapientissimum, si ita loqui fas est, deliberat; duæ sint rationes æquè graves, quarum una rem faciendam, altera omittendam suadeat. Tunc videtur liberè posse alterutrum eligere. Sed si convenienter sapientiæ suæ Deus ut agat, quidpiam facere, aut omittere eum necessariò oporteat, tunc libertatis nullus superesse videtur usus; non magis quàm in nobis, quando propositio, de qua judicium ferendum, ad summum evidentiæ gradum perducta est.

est. Ut enim per naturam nostram evidentibus adsensum negare nobis non licet: ita nec Dei natura eum sapientiæ minùs convenienter agere patitur.

16. His positis, quando quæritur an *Deus Mundum liberè creaverit?* nihil est quod reponamus, nisi, ut solvatur ea quæstio, nobis priùs sciendum esse an rationes creandi mundi ejus ponderis apud Deum fuerint; ut naturæ suæ convenienter non egisset, nisi quod suadebant fecisset. Si eæ rationes ejusmodi fuerunt, Mundus liberè non est procreatus; sin verò convenienter naturæ suæ agendo, Deus eas negligere potuit, liberè creata est rerum universitas.

17. Nunc autem, cùm eas rationes nemini revelarit, qui solus eas novit Deus, propositæ quæstioni quidquam reponere religioni ducimus. Temerarium videtur homunciones, quorum cognitio arctissimis limitibus continetur, judicia de rebus adeò supra se positis ferre. Hoc in negotio, si aliàs usquam, adsentiendum ei videtur, qui de re incomperta dicturus, * *quid putem*, inquiebat, *non quid contendam, ponam; hominis enim est hæc opinari, Dei verò scire.*

18. Suæ ignorantiæ, & viæ quâ ad divinarum rerum tenuem pervenitur cognitionem, immemores ii sunt, qui Deum necessariò omnia agere ἀποτόμως contendere audent. Nescimus quomodo Deus ad agendum adducatur, nec possumus aliter ea de re loqui, quàm ex analogia proprietatum, quas in nobis deprehendimus, & à quibus à posteriore ad Dei proprietates pervenimus; ideóque hac in re tutius nihil est sapienti ἐποχῇ, quæ temeraria omnia judicia coercet.

* *Varro ex Platone.*

CA-

CAPUT VI.

De Providentia & Concursu Dei.

1. POstquàm de Creatione diximus, sequitur ut de rerum creatarum regimine agamus, quæ *Providentia* solet appellari, & definiri potest: *Actio Dei, quâ omnes creaturas, secundùm leges à se positas, conservat, & regit.* Quæritur, in ipso tractationis limine, an Ratione solâ probari possit divina Providentia? Quæ ut solvatur quæstio, observandum est duo esse rerum genera, circa quæ versari potest Providentia; quarum aliæ sunt intelligentiâ, adeóque libertate destitutæ: aliæ verò & intelligentes & liberæ. Hæ cùm sint naturâ diversæ, non eodem modo divinæ subjacent Providentiæ.

2. Si res intelligentià destitutas, seu corporeas, consideremus, videbimus eas constanti ordine perpetuò agi; unde colligere est eas aut ejusmodi naturam à Creatore accepisse, quæ ordinem semel institutum necessariò sequatur, aut etiamnum à constante causa regi. Alterutrum autem statuatur, divina agnoscenda est Providentia. Si prius, fatendum est Deum suis Operibus *providisse*; qui stabilem adeò iis concesserit naturam, ut leges semel iis positæ numquam violentur. Si posterius, ea constans causa, quæ omnia reget ac sustentabit, cùm à Creatore diversa esse nequeat, divina Providentia extra omne dubium collocabitur.

3. Circa res intelligentia ac libertate præditas, paullò obscurior videtur Providentia. Attamen vel ex eo cognosci potest, & ab Ethnicis sapientibus agnita re ipsâ est, quòd res corporeæ, quæ circa homines positæ sunt, ita sint eorum usibus aptatæ, ut earum ope vitam commodissimè sustentent. Si Deus homines semel creatos posuisset in terra iis, quæ ad vitam necessaria sunt, destituta, neque ullam viam eorum comparandorum aperuisset; brevi totum humanum genus intercidisset, & meritò se à Creatore suo sine providentia derelictum queri potuisset,

tuisset. Sed cùm contrario prorsus modò se nobiscum gesserit, hinc evidenter possumus colligere, nos Deo curæ fuisse, & etiamnum esse.

4. Alia quidem multa & possunt adferri, & adferuntur hanc in rem argumenta; sed præterquàm quòd per institutum nostrum prolixioribus nobis esse non licet, pleraque sunt, si Rationem Revelatione destitutam spectes, obscuriora. Satis est, hoc in loco, ostendere humanum genus à Deo non negligi; unde proclive est colligere Dei Providentiam, occultis etiam sæpe nobis rationibus, circa nos agere posse, quoniam manifesta curæ ejus in hominibus sustentandis indicia habemus.

5. Sed ut distinctiùs Metaphysicorum doctrinam, circa Providentiam tradamus, tres in ea potissimùm spectandæ sunt actiones. Prima est *Conservatio*, altera *Concursus*, seu *Cooperatio*, tertia *Gubernatio*.

6. Circa Conservationem, duplex est Philosophorum sententia, licèt ceteroquin omnes creaturas à Deo conservari consentiant. Alii volunt, semel creatis rerum naturis eam inditam stabilitatem, ut suæ naturæ vi esse pergant, nisi à Deo destruantur. Substantiæ omnes, secundùm eos, vi à Deo semel acceptâ necessariò sunt, nisi ab ipso Deo in nihilum redigantur. Quæcumque, nempe, mutationes, ex naturæ legibus, iis eveniunt, accidentales dumtaxat sunt. Alii verò conservationem esse veluti perpetuam quandam creationem contendunt; adeò ut quemadmodum, Deo volente, vi hujus voluntatis, res exstiterunt: ita, ejusdem voluntatis perseverantis efficaciâ, esse pergant. Sunt etiam alii, qui non voluntatem solam Dei exsistentiæ & durationis rerum causam agnoscunt; sed præterea influxum nescio quem Dei in creaturas esse adfirmant, cujus vi conserventur.

7. Nos de hisce omnibus sententiis hoc judicium, sine temeritate, ferri posse opinamur; nimirum, Philosophos, qui eas propugnant, de re sibi incomperta judicare. Primi, qui Deum volunt stabilitatem substantiis indidisse, non possunt ad-

firmare

firmare ſubſtantiarum naturam ſibi perſpectam eſſe, atque in ea ſtabilitatem, quam dicunt, ſe deprehendiſſe; ideóque meram conjecturam in medium proferunt. Ad alteros quod adtinet, verum quidem eſt ſubſtantias, Deo volente, primùm exſtitiſſe, & etiamnum perdurare; ſed quæritur an id fiat vi ſolius voluntatis divinæ, quod, ut obſervavimus, non ſatis intelligitur. Si ad *influxum* confugias, rem neque compertam, neque ab ullo intelligendam profers; adeóque nihil, quod accuratè philoſophantibus ſatisfaciat, dicis.

8. Libera debere eſſe hac de quæſtione judicia videntur, quoniam res eſt naturâ ſuâ obſcurior, quàm ut quiſquam eam ſibi perſpectam eſſe jactare poſſit. Hoc unum extra omnem dubitationem poſitum videtur, omnia, Deo volente, in eo ſtatu quo ſunt manere; ac, Deo volente, diſſolvi, & in nihilum redire poſſe; nam qui omnibus exſiſtentiam dedit, idem adimere poteſt.

9. Metaphyſici non modò ſubſtantiam & proprietates rerum à Deo volunt conſervari, ſed præterea negant cujuſquam creaturæ ullam eſſe actionem, ad quam Deus non concurrat. Ita nunc plerique cenſent; nam *Durandus*, qui exiſtimavit à Deo ſemel datam Creaturis operandi facultatem dumtaxat conſervari, ſine cooperatione in ſingulis actionibus, paucos nactus eſt diſcipulos. Alii ferè omnes Creaturis omnem agendi facultatem detrahunt, atque actiones, quæ Creaturarum dicuntur, propriè eſſe Dei, qui ex occaſione Creaturarum agat, adfirmant.

§ 9. *Durandus*] *A Sancto Porciano* dictus. Gallus Arvernus, qui floruit circa annum MCCCXX. De hac ejus ſententia diſſertationem ſcripſit *Joan. Launoius.*

10. Potiſſimum fundamentum, quo hæc opinio nititur, hoc eſt; nempe oportere Creaturas à Deo pendere, non modò procreationis & conſervationis ratione, ſed etiam in ipſis operationibus, quod ſolent Metaphyſici ita efferre: *cauſas ſecundas pendere à prima in fieri, in eſſe, atque in operari.* Videtur

hiſce

hisce Philosophis quicumque ausit negare operationes Creaturarum esse ipsius Dei, eas divinæ potentiæ subtrahere, quod blasphemiæ adfine est.

11. Verum solent sæpe, vocibus obscuris, sibi & aliis fucum facere, nec speciosis verbis nobis imponant oportet. Quærendum itaque quid sit *pendere?* Si hac voce significetur Creaturis nullam inesse pe se operandi facultatem, sed Deum propriè loquendo esse facultatem Creaturarum; hoc ipsum est quod quæritur, meráque admittitur petitio principii. Sin autem *pendere in operando* significet, quod potest sanè significare, ejus esse naturæ ut, si Deus velit, operandi vim detrahat, impediat, & dirigat, prout vult, quod nemo negarit qui Deum agnoscat; tum verò Axioma allatum, Deum esse auctorem actionum Creaturarum, non probat.

12. Certè ut summam Dei in omnia sua Opera potestatem agnoscamus, non videtur necesse esse ut ipsi tribuamus quæ à Creaturis fiunt; sed tantùm ut, quemadmodum quidquid habent Creaturæ, id à Deo acceperunt: ita omnia eo volente amittere, nec suis facultatibus, inscio, aut invito, uti ullo modo posse nos credere profiteamur. Satis, hoc posito, à prima causa pendere intelliguntur, neque ulla ratione divinæ potentiæ subtrahuntur. Igitur speciosus ille *dependentiæ*, ut loquuntur, Creaturarum à Deo prætextus, quo probare nituntur omnia à Deo fieri, plane inanis est.

§. 12. *Quidquid habent*, &c.] Eleganter *Lactantius* de artium inventione, Inst. Div. Lib. I. Cap. 18. *Reliquerit hæc sane Deus humanis ingeniis eruenda; tamen fieri non potest quin ipsius sint omnia, qui & sapientiam tribuit homini, ut inveniret; & ipsa illa, quæ possent inveniri.*

13. Tantùm abest ut hæc opinio divinam gloriam extollat, quemadmodum ejus fautores jactare solent; ut potiùs, duplici de causa, divinis perfectionibus immane quantum detrahat. Primò enim, dum ita deprimuntur Opera divina, etiam intelligentia prædita, ut in machinam alienis nervis mobilem mutentur; divina Potentia multò minùs in mundi

mundi creatione elucere ab incautis Philosophis statuitur, quàm ex *Durandi* sententia. Tantæ certè potentiæ indicium non est machina, quæ ut effectus edat, quibus destinata est, debet ab opifice moveri; & præterea in edendis illis effectibus ita ab eo adjuvari, ut effectus sint opificis, si propriè loquamur, non machinæ quæ merum est instrumentum, nulla vi agendi præditum; tantæ, inquam, non est ejusmodi machina potentiæ specimen, ut quæ aliquid, sine artificis auxilio, per se agere non potest. Quis Horologium quod fune circumducto, vi elateris sui, horas, sine alio subsidio demonstrat, ei quod idem præstaret, impulso digito gnomone, non præferat? Quis *αὐτόματον* seu *αὐτοκίνητον*, si fieri queat, machinæ externâ vi actæ, non anteponat? Igitur divinæ gloriæ majorem rationem habent, qui vim à Deo acceptam, quâ per se agere possint, Creaturis tribuunt, quàm qui earum actiones Dei esse contendunt.

14. Secundò, hac posteriore sententiâ, Deus malarum actionum auctor statuitur; licèt pernegent *Thomistæ*, sententiæ hujus propugnatores. Si enim quando homo quidpiam vult, ea volitio in eo gignitur à Deo, sequitur Deum esse mali auctorem, si ea volitio mala sit. Vult, exempli causâ, quispiam fidem Evangelio detrahere; quæ volitio mala est, nec potest à Deo gigni, nisi sit peccati auctor.

15. Atque hæc objectio æquè firma est, seu admittatur cum Thomistis *prædeterminatio physica*, quâ causæ secundæ, antequàm operantur, accipiunt à Deo *influxum*, ut loquuntur, quo posito, non possunt non operari; seu quis dixerit non prædeterminari quidem causas secundas à Deo, sed tantùm ab eo *τὸ εἶναι* actionibus Creaturarum conferri, eo momento quo operantur. Nam dare *τὸ εἶναι* actioni cuipiam, est facere ut actio quæ non erat, sit, adeòque eam reverâ edere: ut *prædeterminare* aliquem ad aliquid faciendum, ita ut eâ positâ *prædeterminatione*, nequeat ab eo faciendo abstinere, eòdem recidit ac id ipsum facere per se.

16. Alii

16. Alii quidem difficultatem eludere nituntur, distinctione inter id quod est in actione *morale* & *physicum*, aut inter actionem *in se consideratam*, & *relationem* ejus ad certum *objectum*. Aiunt à Deo fieri quod physicum est in actione, non quod morale; actionem ipsam, non quod in ea respectu objecti vitiosum est. Verùm, ut * aliud agendo alibi observavimus, hæ distinctiones mera sunt aurium ludibria. Etenim licèt abstractione possint morale à physico, actio ipsa à relatione ad objectum distingui; non sequitur ea esse divisa, aut actionem singularem posse divisim ita edi, ut Deus partem ejus, alteram Creaturæ faciant. Nulla est actio in genere, omnes sunt singulares, & eo ipso momento, quo eduntur, versùs certum objectum feruntur. Igitur eæ opiniones, dum primâ fronte videntur ad divinam gloriam excogitatæ, reverâ Deo detrahunt honorem sanctitatis.

17. Hoc adeò manifestum est, ut non opus esset rei ampliùs inhærere, nisi paucis objectioni quorumdam Metaphysicorum respondendum esset. Aiunt à solo Deo posse Entia creari, adeóque actiones Creaturarum, quæ actiones Entia sunt, ei esse tribuendas. Fatemur quidem à Creaturis non posse novas substantias creari; sed quare non possint substantiam aliquam modo quopiam novo adficere, non videmus. Imò contrà sentimus, & ipsi Mentem nostram à nobis modificari, variis rationibus, nobis conscii sumus. Ipsi volumus, aut voluntatis impetum cohibemus, prout videtur, variis in rebus. Ipsi etiam nobis conscii sumus, eáque conscientia cogitatio est, seu modificatio Mentis; quæ modificatio planè nostra est, non aliunde nobis injecta. Igitur licèt substantiarum procreatio supra nos sit posita, accidentia gignere possumus.

18. Neque hoc quidquam divinæ gloriæ detrahit, quoniam hoc ipsum quod accidentia procreamus, à Deo, non à nobis, habemus, cui nos totos debemus. Præterea tantum est discrimen inter substantiæ è nihilo creationem, & modi alicujus gene-

* *Logic.* P. I. C. 10. & IV. C. 9.

generationem, ut semper immensum, hac in re, inter Deum & homines supersit intervallum; cùm præsertim Deus accidentium, quæ à Creaturis fit, procreationem & norit, & impedire, si ei videretur, possit.

19. Tertia divinæ Providentiæ actio est, *Gubernatio*, quæ cùm in rerum merè corporearum, tum in humanarum administratione sita est. In ea administratione Deus viis jam institutis à prima rerum creatione, aut inusitatis utitur. In priore agendi ratione, summa postulatur sapientia; cùm in tam multiplici causarum corporearum & liberarum concursu videre quid futurum sit, atque eventibus moderari difficillimum sit. Summa verò Dei Potentia elucet, in extraordinariis eventibus; etenim novas leges, prout libet, naturæ rerum præscribere ejus solius est, qui ordinarias semel posuit. Per ordinarias naturæ leges non potest, exempli causâ, cadaver in vitam rursus vocari. Dissoluta semel corporis humani compages numquam reficitur, quod experientiâ certissimâ constat. Igitur si homo mortuus ad vitam redeat, non potest hoc esse effectus legum naturæ ordinariarum, sed tantùm voluntatis extraordinariæ Legislatoris summi, qui omnia è nihilo eduxit.

20. Verùm hîc observandum, non semper à nobis posse inusitatos ejusmodi eventus ab ordinariis secerni, quia rem usitatam quidem in se, sed circumstantiis nobis ignotis, extraordinariam, sine interventu causarum secundarum, Deus potest facere. Exempli causâ, nihil est pluviâ frequentius, nihil, secundum veteres naturæ leges, facilius, ubi sunt multi in aëre vapores, qui frigore aut vento condensantur. At si nulla corporea causa vapores è terra educat, nulla eos in pluviam cogat; sed solus Deus hoc efficiat, tum est extraordinaria pluvia. Verùm hanc pluviam ab ordinaria secernere nobis non licet, nisi Deus ipse revelarit.

21. Ceterùm divina Providentia aliter se gerit circa causas liberas, ac circa eas quæ ineluctabili mecha-

mechanismo agunt. Non eodem modo percelluntur Spiritus ac corpora, ideóque aliter reguntur. Sed quomodo hîc Deus agat, & quotuplici ratione, ignotum est. An immediatè cogitationes animis ingerat, an utatur tantùm externis objectis; aut quando alterutrâ tantùm adgrediatur homines viâ, nobis prorsus latet. Ideóque, cùm præsertim Theologi hæc soleant excutere, pluribus de iis agere supersedebimus.

CAPUT VII.

De Infinitate & Omnipotentia Dei.

1. ONtologiæ nostræ Cap. XVII. ubi de Finito & Infinito egimus, paucula de Infinitate Dei prælibavimus. Inter Infinitatis genera eam quæ *perfectionis* dicitur, & quæ in solum Deum cadit recensuimus. De qua paullò distinctiùs hîc sumus acturi.

2. Duplici ratione divinæ proprietates infinitæ dici possunt, *numero* & *intensione*. Numero infinitæ sunt proprietates divinæ, quòd Deus in se complectatur proprietates omnes possibiles, quæ tot sunt numero, ut numquam exhauriri queant. Hoc inde liquet, quòd Deus omnia possibilia efficere queat, seu omnia quorum ideas formare possimus, è nihilo educere, ut infra ostendemus; nemo autem dare possit quod non habet, ut sæpe diximus. Igitur Deus omnes omnium rerum possibilium proprietates in se habet; ideóque, vel hoc respectu, infinitus dici potest.

3. Si omnia, quæ sunt, Naturarum genera nobis nota essent, fortè inde etiam infinitatem Dei colligere possemus. Fortasse enim sunt infinita Entium re ipsâ exsistentium genera, infinitíque eorum gradus inter Nihilum & summam illam Naturam quæ omnia è nihilo eduxit. Certè Opificem, cujus est infinita beneficentia, non dedecet numerus infinitus Creaturarum, in quas inexhaustas suas opes effuderit.

effuderit. Sed quia conjecturis hîc agere nolumus, priore potiùs ratiocinatione, ad probandam infinitatem proprietatum divinarum, nitimur.

4. *Intensione* verò infinitæ sunt Dei perfectiones, quòd nullus earum capi possit terminus, atque ad omnia prorsus objecta ad eas pertinentia extendantur. Exempli causâ, duratio Dei dicitur infinita; quia neque habuit initium, neque finem habitura est. Nemo potest indicare divinæ durationis terminum, ultra quem Deus neque fuerit, neque erit, ut ostendimus ubi de Æternitate egimus. Scientia Dei infinita dicitur, quòd omnia quæ possunt sciri, Deo nota sint, nec quidquam sit, de quo dicere queamus: hucusque non porrigitur Dei cognitio, aut hîc est ultimus divinæ cognitionis terminus.

5. Quando ita loquimur, probè observandum est nos intelligere tantùm objecta realia; non verò repugnantes ideas, quæ propriè nihil sunt. Si ergo dicimus Deum omnia scire, non intelligimus voce *omnia* repugnantes propositiones, quæ non sunt scientiæ ullius objecta. Nemo dixerit detrahi Omniscientiam Deo ab eo, qui Deo notum esse circulum quadratum negarit; quia reverâ circulus quadratus est idea contradictoria, seu merum nihil. Igitur non præfiniuntur divinæ scientiæ limites, ubi id quod naturâ suâ sciri non potest, Deo notum esse negatur. Modo nulla res γνωςὸς Deo latere, nec ulla propositio, quæ intelligi queat, illum fugere dicatur, satis est.

6. Hoc ipsum dicendum de Omnipotentia Dei, quæ est *facultas omnium, quæ concipi possunt, faciendorum.* Vidimus * nos ad Potentiæ divinæ cognitionem pervenire, ex nostra ipsorum conscientia, quâ aliquid à nobis posse fieri sentimus; sed hinc colligimus Deum esse nobis potentiorem, quòd ea fecerit quæ nos non possemus, quale est initium dedisse humano generi nondum exsistenti, ut reliquarum omnium rerum procreationem omittamus.

7. Ve-

* *Sup.* Cap. II. 8.

7. Verùm quando cogitamus Deum ab æterno fuiſſe, nec quidquam eorum quæ habet ab alio accepiſſe, ſed per ſe & naturâ ſuâ ſemper habuiſſe; eò facilè devenimus ut Potentiam, & ut reliquas ejus proprietates, eſſe infinitam agnoſcamus. Etenim qui tantæ præſtantiæ eſt, ut duratione infinitâ ſit prædìtus, utque nihil ab ullo Ente acceperit; nullos etiam proprietatum terminos habere poteſt. Proprietates finitas eæ Naturæ habent, quæ eas ab alia ipſis fines ſtatuente acceperunt; non quæ ſibi ipſa, ſi ita loqui licet, pro arbitrio quæ voluit dedit.

8. Quoniam ergo nulla fuit antiquior Natura, quæ Deum facultatibus quas habet ornaverit, Potentiæ ejus nulli prorſus ſunt limites, ſeu omnia poteſt facere, quæ fieri poſſunt. Nullam rem animo concipere quimus, ad quam non porrigatur divina potentia; oſtendimus enim alibi * ea demum poſſibilia à nobis dici, quorum ideam formare poſſumus.

9. Hîc rurſus obſervandum eſt, quod jam monuimus, & quidem eò diligentiùs, quò plures hac de re inter Philoſophos Chriſtianos ortæ ſunt controverſiæ, quia non ſatis intellexerunt nonnulli quid ſibi vellent. Qui dicunt à Deo omnia poſſe fieri, voce *omnia* non complectuntur ea quæ naturâ ſuâ fieri non poſſe à nobis intelliguntur, ſed tantùm *omnia poſſibilia*.

10. Quæritur, exempli causâ, an Deus poſſit facere ut aliquid ſit & non ſit ſimul? Deum quidem poſſe facere ut aliquid, quod non erat, ſit, ſeu exſiſtat: aut ut aliquid, quod erat, non ſit, ſeu deſinat eſſe, intelligimus. Sed quis intelligat vi divinâ poſſe fieri ut aliquid ſit, & non ſit ſimul? Hæc certè propoſitio, quod de repugnantibus omnibus † alibi à nobis obſervatum eſt, ſenſu omni deſtituta eſt; nec qui eam profert magis intelligitur, quam ſi Linguâ ſibi & aliis ignotâ uteretur, aut prorſus ſileret. Aliquid, quod eſt & non eſt ſimul, eſt merum non Ens, nulliúſque adeò potentiæ objectum.

* *Ontolog.* C. XIV. 6. † *Ontolog.* C. XIV. 12.

11. Igitur qui, divinæ potentiæ reverentiores ut videantur, negant ſe audere dicere à Deo repugnantia non poſſe fieri, ſibi fortè, aut certè aliis ſpecioſis vocibus illudunt. Contra, qui à Deo talia fieri poſſe negant, ii nihil divinæ potentiæ detrahunt; quandoquidem hoc eòdem recidit, ac ſi merum nihil eſſe divinæ objectum potentiæ negarent.

CAPUT VIII.

De Miraculis.

1. QUÆ de divina Omnipotentia modò diximus, non intempeſtivè hîc de *Miraculis* agi poſſe nos admonent. Qua quidem in re, quæſtiones Theologicas, quoad fieri poterit. vitabimus, hîc enim penè ſolam Rationem audimus, Primùm itaque, quid propriè miraculum vocetur, & quo diſcrimine vera à falſis ſic dictis ſecerni queant; ſecundò à quo fieri, & quæ inde deduci conſectaria poſſint; tertiò circa quæ miracula edantur, oſtendemus.

2. *Sectione* II. C. 4. hujus Opuſculi, ut miraculum quidpiam vocetur: tria poſtulari obiter diximus, quod accuratiùs hîc excutiemus. Oportet I vires humanas ſuperet: II. Præter conſtantem naturæ rerum corporearum ordinem ſit: III. Si quod, in cujuſpiam gratiam, deducendum ex edito miraculo conſectarium eſt, id ab eo cujus potentia, aut in cujus gratiam fit prædici, aut ſaltem eo tempore, quo eo indiget, evenire neceſſe eſt. Quæ tria ſingillatim explicabimus, quippe quæ ſolvendis, quæ hîc proponi ſolent, quæſtionibus haud parum conducant.

3. *Primùm* ergo, miraculum non dicitur, ſi quis quadringenta pondo humeris ferat, neque enim hoc excedit vires humanas. Sed ſi quis aliquot millena pondo bajularet, miraculum haberetur, ſi modò & alia, quæ adjecimus, adeſſent indicia; eſt enim

rorſus

prorſus ſupra humanas vires tantum pondus humeris gerere. Sunt qui velint, miraculum dici propriè non quod hominum dumtaxat, ſed Creaturarum omnium vires ſuperat, infinitámque potentiam neceſſariò poſtulat. Verùm eos falli in ſequentibus, ubi de auctore miraculorum, oſtendemus.

4. Interea hinc colligere indicium poſſumus, quo falſa miracula à veris ſecerni ſæpe poſſunt. Quod quaſi miraculum venditatur, ſi vires humanas non ſuperet, aut humanâ arte fieri queat, id ſuſpectum eſſe debet. Exempli causâ, quidpiam, quod humano capiti ſimile ſit, incorruptum per aliquot ſæcula ſervare non eſt ſupra humanam artem poſitum. Cereum enim effingi caput poteſt, humano ſimile, & quod annos feret. Itaque ante omnia diligentiſſimè inquirendum an non ars, aut fraus lateat; quod examen ſi inire non liceat, aut res in medio relinquenda, aut ſuſpecta habenda, ſi ſint ſuſpicandi rationes.

5. *Secundò*, nemo miraculum editum cenſeat, ſi metalla igne liquefacta, lapidéſve in calcem redactos viderit, quia experientiâ hanc eſſe igni vim inditam conſtat. Sed ſi quis vidiſſet homines, illæſis & veſtibus & corpore, per medias flammas in fornace diu incedere; is meritò, ſi modò tertium non deeſſet indicium, miraculum in gratiam eorum factum hoc vocaret. Hîc quoque rem factam eſſe, ut creditur, certiſſimum ante omnia ſit oportet; alioquin ubi de re ipſa non conſtat, an ſit præter naturæ ordinem fruſtra quæritur, aut probatur; quod vulgò ab iis, qui ficta venditant miracula, fieri ſolet.

6. Hoc veri miraculi indicium quidam incertum facere nituntur, hoc argumento; quòd cùm rerum naturæ ordinem non planè noſcamus, & innumeræ eſſe queant nobis cauſæ ignotæ, quæ inuſitatos edant effectus, quidpiam eſſe præter naturæ ordinem ſatis certò dijudicare nequeamus. Rerum quidem naturalium inadæquatam nobis eſſe ideam, aut an ſit adæquata ſcire nos non poſſe, ultrò

trò fatemur. Attamen tanta non eſt ignorantia noſtra, ut numquam quidquam præter naturæ ordinem eſſe adfirmare poſſimus. Plurima Gentium & ſæculorum omnium experientiâ conſtant, qualia ſunt quæ modò diximus. Proprietates quidem omnes humanæ naturæ, & ſubſtantias quibus homo conſtat, non ſatis eſſe notas paſſim oſtendimus; nec eò ſeciùs ab homine decem millia pondo bajulari, & ignis vehementiam, ſine detrimento, ferri non poſſe notum eſt. Si quis tantum pondus ferat, aut illæſus in mediis ignibus diu maneat, id præter naturæ eſſe ordinem omnibus liquet. Si diceretur Cometa ad Solis noſtri vorticem adpulſus, præter naturæ ordinem eſſe, poſſet hoc in dubium revocari; quia ſatis nobis non eſt notus Cometarum motus, ut quid ſit præter ordinem quo moventur, certò definire queamus. Sed ubi de rebus ſermo eſt, quas omnes homines ſemper eodem modo ſe habere experti ſunt; quid ſit præter naturæ ordinem pronunciare certò poſſumus, ut ex allatis exemplis intelligere eſt.

7. *Tertio* loco, miraculum non haberetur, ex quo quidem duci poſſet conſectarium in gratiam cujuſpiam, quod nec-opinis omnibus eveniret, neque cuiquam prodeſſet. Dicitur, exempli causâ, à *Curtio* cadaver Alexandri, ſeptem poſt ejus mortem diebus, ſub fervido Meſopotamiæ cœlo, nullâ tabe, ne minimo quidem livore corruptum, & vultus ejus vigore, qui ex ſpiritu conſtat, deſtitutus non fuiſſe. Hoc ſi verum ſtatuatur, nulli tamen conſectario locum præbebit; quia nemo hoc præviderat, nec in cujuſquam emolumentum vertit. Idem judicium de longè maxima portentorum, quæ apud *Livium* ſunt, parte ferendum eſt. Sed ſi quis tempus, quo portentum futurum erat, ſignificarit, idque in rem ſuam aut alterius converterit; tunc hoc inde poteſt conſectarium duci, portenti auctorem hoc ei revelaſſe, adeóque miraculum in ejus gratiam edere voluiſſe; quod non faceret niſi is, in cujus gratiam id edidit, illi acceptiſſimus eſſet. Ita Moſes, qui prædixit Iſraëlem à Deo liberatum iri, pridiè ejus diei quo mare Erythræum diſcedere juſſum eſt coram

 ram

ram Israële, hoc quoque vaticinio ostendit verum se esse Prophetam, Deóque Israëlis ex Ægypto egressum placere; neque enim Deus in gratiam impostoris, & ut evaderet invisus sibi populus, ejusmodi miraculum fecisset.

8. Hic tertius miraculi character inanem esse ostendit eorum objectionem, qui miracula ordini cuipiam naturæ minùs noto, necessariò tamen sese evolventi, tribuunt; si enim ordo ille naturæ ignotus est humano generi, quî factum ut Prophetæ, Christúsque & Apostoli ejus ordinis effectus ita præviderint, ut post eorum verba, aut preces, semper evenerint? Huic quæstioni reponere illi quidquam nequeunt; sed etsi videntur miraculorum historiam admittere, eam falsam re ipsâ existimant; nec allatam objectionem, quæ historiâ ipsâ evertitur, invenerunt alia de causa, quàm quia historiam apertè negare ausi non sunt.

9. Cùm autem tria, quæ memoravimus, in Scripturæ miraculis reperiantur; ea miraculorum vocabulo digna esse facilè colligere est, nisi à Theologicis, quantum potest, abstinere decrevissemus, præcipuis aliquot selectis quæ à nobis de miraculis generaliter dicta sunt híc aptaremus. Verùm hoc non est hujus loci, neque factu est difficile.

10. Jam videndum quæ sit causa efficiens & immediata miraculorum. Ipsâ descriptione miraculi homines, & causas naturales seu corporeas, secundùm ordinem à Deo ab initio institutum actas, exclusimus. Supersunt Spiritus humanis Mentibus præstantiores, sed creati; atque ipse, Creator omnium, Deus. Sunt qui præter ordinem naturæ quidquam fieri posse negant ab ullo, nisi ab ejus institutore Deo, imò & *potentiam infinitam* ad miraculum edendum postulari aiunt.

11. Non negaverimus innumera miracula divinæ potentiæ immediatos esse effectus; adeóque ei tribuenda, cujus infinita est potentia, quod Scriptura multis locis testatur. Sed quæritur an semper ita sint supra omnium Creaturarum vires, ut soli Deo, quasi *causæ totali & immediatæ*, tribuenda sint? Ut adfirma-

adfirmatione respondere possemus, oporteret terminos potentiæ omnium Creaturarum nobis esse notos; & miraculorum naturam ejusmodi esse, ut extra eos terminos posita esset. At miracula quidem præter naturæ ordinem fiunt, sed unde nobis constat Deum Spiritibus nullis violandi ejus ordinis potentiam umquam concessisse? Certè quamquam is ordo est ab infinita potentia institutus, non sequitur eum à sola ea potentia immutari posse. Hinc etiam plurima portenta inter Israëlitas Angelorum ministerio edita esse, Deo jubente, memoriæ proditum est.

12. Credibile etiam est ab Angelis numquam eum violari ordinem, nisi jubente, aut peculiaribus de causis permittente Deo. Indecorum enim esset ordinem, à summo rerum omnium Domino sapientissimè institutum, temerè passim à Creaturis immutari. Atque hinc fit ut raro turbatus sit, nec sine gravissimis causis; ut facilè ostenderemus, si hîc miracula in Sacris Litteris memorata expendi institutum nostrum pateretur.

13. Quæ diximus de Angelorum potentia, ea videntur æquè de malis ac bonis debere intelligi; quamvis negare nolimus inæqualem fortè esse variorum Angelorum potentiam, ut alii facilè quod aliorum vires superat, efficere queant. Verùm quia hæc omnia ignota sunt, & omnis via, quâ ad eorum penitiorem cognitionem perveniri posset, præclusa; conjecturis indulgere supervacuum est. De potentia Cacodæmonum diximus, quæ verisimillima visa sunt *S.* II. c. 4.

14. Sed quæritur hoc in loco, si Deus atque Angeli miracula edant, primò unde possimus scire an miraculum à Deo, an ab Angelo sit editum? Secundò, si concedatur ab Angelo profectum, quî malum Angelum à bono secernere? Certè cùm miraculum non postulet naturâ suâ causam, cui potentia insit infinita, ex ipso miraculo evidentia auctoris ejus indicia elicere non possumus. Sed quò difficilius videtur miraculum, eò magis ad infinitam potentiam accedere à nobis judicatur. Ex-

empli causâ, certa prædictio rerum multis sæculis postea futurarum adeò difficilis videtur; ut quamvis scientiæ Angelorum limites nobis ignoti sint, attamen eam ad solum *Deum* pertinere censeamus. At excitare procellam, licèt supra vires humanas sit, nec alioqui futurum esset, ejusmodi esse videtur, ut ab Angelo & malo & bono fieri posse facilè existimetur.

15. Ad alteram quæstionem quod adtinet, de discrimine inter bonorum & malorum Angelorum miracula inveniendo, certiora nonnulla responderi possunt. Cùm veritas simplex, & una sit, semper sibi constat. Ideóque quodcumque miraculum eò pertinere videretur, ut quidpiam falsum nobis persuaderet, id à mendace adeóque malo Angelo profectum oporteret. Si ergo miraculum ad confirmandam doctrinam, quam falsam esse ex indubitata Revelatione, aut Ratione scimus, fieret; id fallaci auctori illico tribueremus, & insidias à Cacodæmone simplicioribus strui judicaremus. Contrà si miracula eò spectare videamus, ut homines ad Revelationis & Rationis ductum sequendum excitent, ea si non Deo, saltem bono Angelo meritò tribuimus; neque enim mali Angeli, virtutis ac pietatis hostes, ut iis adhæreamus umquam operam dabunt. At si portentum ederetur, cujus finem nullo modo adsequeremur, id cui tribui oporteret, in dubium revocari posset.

16. Ex hujusmodi etiam miraculo, quod de portentis Ethnicorum suprà diximus, nullum certum duci posset consectarium. Sed si quis ad homines erroribus & vitiis inquinatos veniat, eos ad saniorem mentem traducturus; & postquàm docuit quid credi, quid fieri ab iis, ut se & erroribus & vitiis liberent, oporteat, dicat se à Deo propterea missum, & argumentum mandatorum à Deo acceptorum portentum quodpiam subitum editum iri pronunciet, idque eveniat, dubium esse non potest quin verum dicat. Nam nec Angeli mali doctrinæ veræ & sanctæ pondus, edito portento; neque Deus aut boni Angeli plano ac pravo homini auctoritatem,

tatem, turbato propterea naturæ ordine, conciliare vellent.

17. Neque dixeris hominem fallacem extraordinarium causarum latentium effectum in suam rem vertere, & credulæ plebi id in sui gratiam editum persuadere posse, quamvis is effectus non evenire non potuerit. Locus huic exceptioni in rebus miris, quas post eventum vir callidus interpretatur, esse potest; sed ubi prædicitur effectus planè inusitatus, & qui à nemine præcognosci potest, ipsa prædictio manifestum est revelationis divinæ indicium. Sic, ut jam monuimus, cùm Mosis prædictioni, de aquis Erythræi maris discessuris, respondisset eventus, nemo dubitare potuit quin hoc ei revelatum esset ab eadem Natura quæ miraculum edidit; imò quin ipsum miraculum, quod tam opportunè accidebat, in ejus gratiam factum fuisset. Sed cùm Alexandro per littus, sub Climace Pamphyliæ monte, iter facturo, Austri, quibus flantibus transiri illac non poterat, in Septemtriones sunt mutati, idque ipse non *sine numine* factum interpretaretur; irrideri meritò poterat, cùm nihil sit vento mutabilius, & insperata opportunitate usus esset.

18. Postremò, ut de Miraculis tractationi finis imponatur, ostendendum esset in rebus possibilibus, non in effectibus contradictoriis, sita esse miracula; nisi jam, ubi de Omnipotentia Dei egimus & alibi, divinæ Potentiæ objecta non esse repugnantia demonstrassemus. Itaque nihil quidem ea de re addemus; observabimus dumtaxat, si omnia Veteris & Novi Testamenti miracula animo versentur, nullius planè mentionem fieri, quod ita naturæ rerum repugnet. Portenta omnis generis Deus edidit, sed omnia possunt Præpositionibus exprimi, quarum sensus probè intelligitur. Fecisse, exempli causâ, ut qui mortuus fuerat in vitam rediret, facilè intelligitur Deus. Sed si quis nobis narraret Deum fecisse ut unus, idemque vir vivus & mortuus esset, hoc est, viveret & non viveret eodem tempore; eam Propositionem numquam intelligere

 possemus

possemus, frustráque nobis, quasi credenda traderetur.

19. Hinc miraculum, quod nunc Christianorum haud exigua pars in Eucharistia fieri vult; ubi, ut aiunt, unum idémque corpus est extensum & non extensum, unum & non unum; hoc, inquam, miraculum nullâ ratione admitti posse colligimus. Possemus & alia indicare, quibus ab omnibus aliis, quæ verè accidêre, miraculis differt; nisi hoc ad Theologicas controversias, quas vitare decrevimus, nos abduceret.

20. Ejusdem generis est miraculum, quo Humanitatis Christi proprietates Divinitatis communes factæ esse, & vice versâ divinæ Humanitatis ab aliis adfirmantur. Unum idémque subjectum, qualis est Humanitas, non potest esse simul Humanitas & non Humanitas; ideóque quidquid dicatur de Communicatione illa Idiomatum, non magis potest intelligi quàm Transubstantiatio; nec creditur etiam ab ullo, cùm repugnantia credi nequeant, quamvis cæca ejusmodi dogmatum tantopere jactetur fides.

CAPUT

CAPUT IX.

De Immutabilitate & Simplicitate Dei.

1. INter divina adtributa, quasi omnium aliorum vinculum, habetur Dei *Immutabilitas*; quâ fit ut neque quidquam adquirat quod non habuerit, neque quidquam amittat umquam perfectionis. Summatim considerata ex ejus æternitate veluti manat. Quod enim semper fuit, ut causa ad existendum non indiguit: ita nec ulla causa ad ea omnia ab æterno possidenda, quæ haberi possunt, indiget. Quæ autem semel habet, amittere non potest, quia ejusmodi Natura per se ipsa non abjiciet perfectiones suas, neque ab alia ulla iis spoliari poterit.

2. Immutabilitas autem Dei potest duplici ratione considerari, & primò quidem divinæ naturæ, secundò decretorum ejus respectu. Immutatabilitas, quatenus naturam divinam respicit, in eo sita est, ut nulla mutatio fiat in proprietatibus Dei; altera verò decretorum divinorum, ut ne voluntatem ex eventibus nec-opinis, aut ex mutatione consilii, quæ ex ignorantia aliqua oriatur, mutare Deus videatur.

3. Facilis est intellectu naturæ seu proprietatum divinarum immutabilitas, propter allatam rationem, §. 1. Sed difficilius est intelligere Dei consilia non mutari, si de iis ex actionibus ejus externis judicium feramus. Exempli causâ, Deus creationem mundi perficere certo demum tempore statuit, mutationes tempestatum & omnium pænè rerum sublunarium varias esse voluit, quod primâ fronte consiliorum varietatem arguere videtur.

4. Verùm solvetur is nodus, si in animum revocemus mutationem in actionibus duplicis esse generis. Altera subitanea est, quando aliquid evenit, quod prævisum non fuerat; ut cùm Nauta velificationem, mutato subitò vento, commutat, & in alium tendit portum, quàm animo destinaverat.

Hæc mutatio non cadit in Deum, quia nihil non prævisum ei contingit. Altera verò est ante jam concepta animo, quàm res eveniat quæ mutationem postulat, ut si quis prævideat aliquid futurum, quod exiget ut aliter tunc agat, quàm nunc agit. Hæc mutatio nihil habet, quod ipsum dedeceat Deum, qui semper in se idem manet, quamvis extrinsecùs aliter agat.

5. Deus ab omni æternitate, certo æternæ durationis articulo (quem solus intelligit, quippe qui solus totam æternitatem capit) mundum creare constituit apud se; quod decretum postea, statuto tempore, exsequutus est. Licèt actio hæc non sit coæterna decreto, tamen nihil naturæ divinæ præstantiæ detrahit, cùm non subiti effectus consilii, sed æterni decreti exsequutio sit. Similiter mutationes, quæ in rebus corporeis constanter eveniunt, quales sunt temporum vicissitudines, cùm, secundum quasdam leges semel positas, semper fiant, nihil habent quod divinam lædat immutabilitatem.

6. At saltem, inquiet fortè quispiam, mutatur in eo Deus, quòd actionem edat certo tempore, quam alio non edit. Antequàm creasset mundum, eam actionem quâ mundum creavit non ediderat; neque post creatum mundum, umquam edidit. Sine dubio ea in re aliqua est mutatio, sed cùm actio sit tantùm effectus accidentalis proprietatum Rei agentis, mutationem nullam in proprietates ipsas inducit, si modò facultatem Rei agentis non exhauriat. Si Potentia Dei agendo exhauriretur, actiones ejus mutationem in divinam naturam inducerent: verùm nihil ejusmodi evenire intelligimus. Præterea, si Deus agendo diceretur aliquid adversum virtutibus fecisse, tunc actiones Dei in eo mutationem crearent Deo indignam; sed si semper agat convenienter virtutibus suis, mutatio, quæ in Deo fit, nullo modo immutabilitatem ejus minuit.

7. Magnam cum immutabilitate Dei adfinitatem habet ejus *Simplicitas*, quæ à Metaphysicis Com-

Compositioni opponitur. Hoc adtributo Deus est, ut putant, ita simplex, ut omnis prorsus Compositionis, cujuscumque tandem sit generis, sit expers. Non est compositus ex partibus divisibilibus, ut corpora, sic enim posset à Creaturis adfici & mutari. Non est compositus ex Essentia & Exsistentia, sunt enim in Deo inseparabilia, cùm Deus essentialiter sit.

8. Sed Metaphysici præterea negant eum ex Genere & Differentia compositum esse, hoc est, quidquam esse in Deo, quod sit ei commune cum certo genere Entium; quoniam proprietates ipsæ Creaturarum, quæ Deo insunt tamquam Causæ, in eo sunt sine defectibus, quibus in Creaturis laborant. Verùm cùm ejusmodi compositio sit Rationis, & abstractione merâ distinguatur Genus à Differentia; quamvis admitteretur in Deo, nullam labem ei adspergeret; non magis quàm abstractæ ejus adtributorum distinctiones.

9. Negant etiam Metaphysici Deum compositum esse ex Subjecto & Accidentibus. Verùm hîc adfirmant quod ex eorum principiis intelligi non potest; si enim in Deo sunt volitiones variæ, quarum efficaciâ varia sint ejus opera effecta, quæ non fieri, si voluisset, poterant, seu quæ liberè à Deo facta sunt; non potest negari quin in Deo sint accidentia. Illæ enim volitiones cùm, secundùm Metaphysicos, liberæ sint, potuissent in Deo non esse; & reverâ ubi res, quam voluit Deus, peracta est, non sunt ampliùs.

10. Si in animum revocemus nos non aliter nosse Deum, quàm à posteriore, eíque tribuere, defectibus omnibus remotis, quæ in nobis sensimus esse, animadvertemus nos non aliter posse singulas ejus intelligere cogitationes, quàm ut nostras intelligimus. Igitur ut quasi accidentia intelliguntur à nobis, quæ singillatim cogitamus: ita cogitationes singulas Dei, quasi accidentia quædam consideramus. Hoc tantùm hîc faciendum superest, ut omnem hinc defectum removeamus. Nullus autem videtur Deo tribui, quamvis dicatur cogita-

tiones habere accidentales, quas non habere possit; modò eæ cogitationes nihil complectantur, quod divinæ præstantiæ repugnet. Exempli causâ, si statuamus à Deo liberè creatum esse mundum, ita ut eum non creare potuerit, actio ea Dei, seu volitio creandi mundi potuit in Deo non esse, neque hac opinione, quidquam divinis perfectionibus detrahitur, quia creatio mundi nihil habet quod Deum dedeceat.

11. Qui negant Deum esse compositum ex Actu & Potentia, in easdem difficultates se conjiciunt; quis enim possit intelligere in eo Ente nihil esse potentiâ, quod innumera facere potest, quæ non facit? Verùm hæc compositio est tantùm abstractio Mentis, quâ posita nihil sequitur incommodi; modò ne ulla nova perfectio Deo accedere posse dicatur, quod per ejus immutabilitatem non licet.

CAPUT X.

De Unitate Dei.

1. POstquàm Deum esse ostendimus, variáque ejus adtributa physica lustravimus, unum superest considerandum; nempe, *Unitas* summæ illius Naturæ, cui reliquæ omnes ortum debent. Probavimus quidem antehac, debere esse Causam æternam omnium rerum quæ cœperunt; sed nondum satis ex dictis, utrum dicere nos oporteat *Causam*, vel *Causas*, liquidum est.

2. Si expendamus argumenta, quibus æternitas Causæ alicujus ostenditur, nullum comperiemus esse, quod plurium Causarum æternarum suspicionem vel minimam moveat. Non possumus quidem, hoc in loco, in medium omnia ea argumenta proferre; sed unum, quo usi sumus Cap. I. hujus Sectionis, instar omnium erit. Diximus omnia, quæ initium habuerunt, ab alio fuisse procreata, quia nihil per se è nihilo emergit: unde collegimus

gimus oportere esse causam æternam, quæ Entibus non æternis initium dederit. Ut autem invictum habeatur hoc argumentum, satis est Causam ejusmodi unam esse, nec ullo modo Causarum æternarum postulatur multitudo. Ut enim aliquid quod non erat incipiat esse, unica Causa æterna, æquè ac plures, efficere potest.

3. Hoc cùm ita sit, Philosophi unum esse Deum hinc colligunt, quòd si essent plures Dii, sibi invicem contradicere possent, & mutuo sibi impedimento esse. Nam quamvis concedant plurium Causarum æternarum voluntates in eo consensuras, quod erit virtutibus ac perfectionibus earum consentaneum: Attamen posset fieri ut in rebus indifferentibus, aut æquè bonis, dissentirent. Exempli causâ, sit aliquid quod liberè fiat ab una Causa, & aliud item quod altera æquè liberè efficiat, quæ sint inter se contraria; oriretur inde & dissensio & maxima omnium rerum perturbatio. Si esset indifferens utrum Solem oporteat lineam æquinoctialem obliquè secare, aut parallelo motu eam sequi; posset fieri ut una Causa hoc vellet, altera verò illud. Quid autem tunc fieret? Alterutra invita cederet, alterâ inferior esset; utramque autem æqualem & æternam statuimus. Si neutra cederet, quis hujus pugnæ finis esset?

4. Certè in regimine hujusce nostri Vorticis, in quo Terra sedes nostra circumagitur, nihil occurrit quod plurium Causarum gubernationem vel minimùm sapiat. Omnia constanti ordine peraguntur, & inferiores Causæ mechanicæ semper eodem modo agunt, quod unius summæ regimen satis indicat. Si quis diceret unicuique Vortici, aut saltem parti certæ rerum Universitatis suum esse peculiarem Opificem & Deum, suæ adfirmationis rationem redderet oporteret. Deinde quî factum esset ut Causæ æternæ inter se ita mundum, aut ornandum, aut regendum divisissent?

5. Veterum Persarum * Philosophi hîc tamen intercedunt, quippe qui duo Principia, alterum boni, alte-

* *Vide Thom. Stanlejum Hist. Phil. Orient. Lib. 2. c. 6.*

alterum mali ponerent. Hoc vocabant *Arimanem*, illud *Oromazem*, dicebántque posterius causam omnium bonorum, similéque esse Luci; prius verò malorum omnium, & Tenebras referre. Ut hoc probarent, vitam hancce nostram bonis & malis mistam observari jubebant; quæ cùm uni Principio tribui non possint, neque enim unica Natura malefica ac benefica simul esse potest; ideò necessariò duo Principia rerum, bonum & malum, agnoscenda statuebant.

6. Fatemur quidem vitam hancce bonis & malis esse mistam imò bona malis superari; sed nullo modo inde colligas esse duo Principia. Potest enim unum idémque Principium iis, quibus benefacit alioqui, mala quædam immittere; si mala ab animo nocendi cupido non proficiscantur, sed sint instar Pharmacorum, quibus morbos, in quos inciderent, aut antevertat, aut curet. Hoc autem ipsum hominibus usu venit, qui nisi malis coërcerentur, in extrema omnia se præcipites darent. Nisi essent morbi qui non forent valetudinis abusus? Nisi calamitatibus frangerentur ferociores spiritus, quis secunda fortuna benè uteretur? Nisi mors hominum cœptis finem imponeret, quæ superbia esset potentiorum, quæ infirmiorum miseria? Igitur hæc aliáque id genus vitæ mala, propter quæ malum Principium oportere esse contendebant Persæ, eorúmque discipuli *Manichæi*, tantùm abest ut quidquam simile suadeant, ut contrà hinc colligere liceat unicum esse beneficum Principium; à quo tam mala, quàm bona fluant, quæ fuit pia Veterum Hebræorum sententia.

§. 6. *Nisi malis coërcerentur*, &c.] Pulcrè hanc in rem *Lactantius*, Lib de Opif. Dei, C. IV. *Si mors certæ constituta esset ætati, fieret homo insolentissimus, & humanitate omni careret. Nam ferè jura omnia humanitatis, quibus inter nos cohæremus, ex metu & conscientia fragilitatis oriuntur*, &c.

7. Ceterùm Unitas Causæ supremæ, ex qua omnes aliæ pendent, non obstat quin possint esse multæ inferiores; per quas, veluti per Ministros, aut Instrumenta,

ſtrumenta, omnia regat atque adminiſtret Cauſarum omnium Cauſa. Atque hinc nata eſt Veterum Ethnicorum πολυθεότης, qui licèt multos inferiores dicerent eſſe Deos, tamen eorum unicum Patrem eſſe agnoſcebant; quod cùm ex Poëtis, tum ex Philoſophis facilè probari poſſet, ſi res ad inſtitutum noſtrum pertineret. Satis erit obſervaſſe ſapientiſſimos quoſque Unitatem Dei agnoviſſe. Imò ipſi Perſæ Unitatem boni Principii propugnabant, atque id potentius eſſe malo, quod tandem ab eo deſtruendum erat, dictitabant; quod eòdem pænè recidit, ac ſi unicum eſſe ſummum Principium ſtatuiſſent.

§. 7. *Hinc nata,* &c.] Rem copioſiſſimè demonſtravit R. *Cudworthus* Syſtematis Intellectualis Cap. IV.

CAPUT XI.

De Proprietatibus Moralibus Dei.

1. CApite II. hujus Sectionis, breviter oſtendimus quâ ratione proprietatum Dei moralium, quæ *Virtutes* vocantur, ideas effingamus. Nunc idem argumentum paullò diligentiùs pertractandum eſt.

2. Hominum Virtutes ad tria genera, pro numero objectorum in quæ feruntur, poſſunt revocari. Aliæ ad nos ipſos, aliæ ad proximum, aliæ ad Deum pertinent. Ad eas veluti manu deducimur, ipsâ rerum humanarum conſtitutione, cui ſi convenienter agamus, Virtutem colemus; quod paucis oſtendemus, quia niſi hoc probè intellexerimus, idea divinarum Virtutum nobis fallax obverſetur neceſſe eſt.

3. Virtutes quæ ad nos ipſos pertinent, eò omnes ſpectant ne animum aut corpus inepta ad ea, ad quæ naturâ ſuâ comparata ſunt, reddamus; adeòque

òque culpâ nostrâ felicitate, quam consequi possumus, excidamus. Sic veritatis, & rerum utilium cognitionis amor, eò tendit ut nobis ad felicitatem via aperiatur. Sobrietas, quæ ad corpus pertinet potissimùm, colenda nobis est, ne & animum hebetiorem intemperantiâ, & corpus infirmum potûs aut cibi nimiâ copiâ reddamus; adeóque inepti rebus omnibus evadamus. Itaque convenienter naturæ nostræ agentes virtuti constanter adhæremus.

4. In Deo quidem non sunt virtutes, quæ ad vitanda mala, quorum naturâ suâ immunis est, spectent; sed primò Deus nos ita creavit, ut virtutes illæ sint nobis necessariò colendæ, si beati esse volumus. Unde colligimus eas virtutes Deo probari, quî enim Opifex non probaret quod ad suum opificium sartum tectum conservandum conducit? Illud autem Dei virtutibus hisce faventis judicium virtus habeatur, quæ nostris, quantùm per discrimen Dei & Creaturarum licet, respondet.

5. Deinde, quemadmodum convenienter naturæ nostræ agamus par est: Ita Deus etiam convenienter naturæ suæ necessariò agit. Veritatem amat Deus necessariò, quia eam non potest ignorare, aut ex ejus cognitione ullum malum timere. Suæ naturæ repugnaret oporteret, ut mendacium amaret, aut probaret. Igitur in Deo, quemadmodum in nobis, virtus est Veritatis amor.

6. Virtutes, quæ ad alios pertinent, hoc uno continentur præcepto: *quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; quod si observetur, felix, eatenus saltem, hominum vita evadet; si violetur, ut passim fit, inde innumeræ fluent calamitates, quod nos experientia satis docet. Cùm ergo aliunde nobis constet à Deo benefico nos non esse hîc collocatos, eo animo ut miseri essemus, improbat sine dubio vitia, quæ Societatis humanæ felicitati adversantur; contra virtutibus, quibus promovetur, suffragatur. Atque hæc suffragatio loco omnium nostrarum virtutum, quæ proximum respiciunt, esse potest.

7. Hoc

7. Hoc ut liquidiùs conſtet, duas virtutes, Juſtitiam & Beneficentiam expendemus. Juſtitia in eo ſita eſt, ut unicuique ſuum tribuatur, & dividitur in *diſtributivam* & *vindicatricem.* Diſtributivâ utimur, quando unicuique reddimus, ac conſervamus, quod legitimâ viâ adquiſivit, aut poſſidet. Niſi ita invicem ageremus, vita tolerari non poſſet, ideóque neceſſitas ipſa vitæ eò nos deducit. Deus ergo, qui neceſſitatis hujus auctor eſt, eam virtutem neceſſitate magiſtrâ nos docet. Ipſe quidem eam, prout in nobis eſt, non habet; quippe cujus omnia ſunt, & qui proinde nemini proprium quidquam eripere poteſt. Alterum Juſtitiæ genus eſt vindicatrix, quæ licèt à privatis originem ducat, ejuſmodi tamen eſt ut vetitum ejus, optimis de rationibus, ſit iis exercitium. Sita eſt in pœnis, pro ratione peccatorum, irrogandis; quod à Magiſtratibus, jam conſtitutâ Societate, fieri debet. Ea virtus in Deo eſt, quippe qui ſummus hominum Judex naturâ ſuâ eſt.

8. Cùm oporteat homines ſe invicem omni ratione adjuvare, ut beatam hîc degant vitam, pro benignitate ejus cui nos hîc collocavit; qui, neglectis vitæ officiis, voluntati divinæ erga homines adverſatur, Deo ingratus eſt, adeóque ab eo jure ſuo beneficium nullum exſpectare poteſt. Si per totum vitæ circulum pertinaciter injuſtitiæ adhæreat, quid jam ſupereſt, niſi ut Deus, qui Societatis humanæ auctor eſt & vindex, ei, quàm ingrata ſibi ſit injuſtitia, teſtatum dolore aliquo in eum immiſſo faciat? Sanè qui ſingulis Societatibus hîc in terris præſunt, injuſti haberentur, ſi earum perturbatores impunè perpetuò abire ſinerent. Hîc quidem aliqua eſt, circa moderationem pœnarum, & earumdem finem, difficultas; verùm eam non movebimus, ne inſtituti noſtri finibus egrediamur.

6. Si homines ita inter ſe viverent, ut nihil ſibi invicem tribuerent, niſi quod ſummo jure debitum eſſet, & ex legibus exigi poſſet, infeliciſſima eſſet vita. Virtus, quâ aliis ſine legis neceſſitate benefacimus

facimus, vocatur *Beneficentia*; éſtque in Deo multò præſtantior, quàm in hominibus. Etenim licèt legibus civilibus non ſanciatur Beneficentia, attamen ab ipſa humanarum rerum conſtitutione præſcribitur, ut modò oſtendimus, quia ſine ea vita vitalis non eſſet. At Deus nobis benefacit, non ſpe commodi quod à nobis exſpectet, ſed mero præſtantiſſimæ naturæ ſuæ impulſu, quæ eum Creaturis ſuis non benefacere, aut earum malum, quaſi ſcopum ſuum, ſibi proponere non patitur. Hanc autem virtutem in Deo eſſe ſcimus, ipsâ experientiâ, ſine multis ratiocinationibus; ſed ejus demum ideam formamus, poſtquàm humanam Beneficentiam animo concepimus.

10. Similibus viis, ad aliarum divinarum virtutum cognitionem pervenimus. *Sanctus*, exempli causâ, dicitur, quia probat Sanctitatem hominum, nec contra eam agit, quam ipſe conſtituit; quid enim Deum, ut contraria ageret, cogere poſſet? *Verax* eſſe cenſetur, quia qui Societatem humanam ita conſtituit, ut veracitas ad eam tuendam neceſſaria ſit, ipſe legem à ſe poſitam non violabit; neque id faciet, quod ingratiſſimos ei homines mendaces reddit.

11. Tertia virtutum humanarum claſſis in Deum ipſum fertur. *Religionis* nomine omnes continentur, quæ ſita eſt primò in opinione de Deo, quâ ei nihil tam præſtante natura indignum tribuamus, quantùm per imbecillitatem noſtram licet; deinde in veneratione animi, ejúſque externa teſtificatione, quanta eſſe poteſt in eum qui omnes omnium rerum proprietates continet, & cui omnia ipſi debemus. Quoniam autem hæ virtutes ſunt inferioris erga ſuperiorem, cùm nemo ſit Deo ſuperior, in eo eſſe non poſſunt aliter, niſi quia eas in nobis probat. Si homines venerari, atque in pretio habere debemus, pro virtutibus, quibus præditi ſunt, & beneficiis quibus nos adfecerunt, quid Deo non debemus? Juſtitia erga homines prius poſtulat, quâ ſemel conſtitutâ, nulla ratio eſt quare ejus exercitium erga Deum

Deum ipſum ſummopere ei non placeret. Sunt tamen rationes, quæ ſuadeant Deum non tam propter ſe, quàm propter nos, Religionem à nobis poſtulare; ſed non ſunt hujus loci, quippe quæ ad Theologiam, quam hîc non adtingemus, pertinent. Eadem de cauſa, miſsâ ſingularum Dei virtutum contemplatione, hîc finem huic noſtræ Pneumatologiæ faciemus.

FINIS.

INDEX
CAPITUM LOGICÆ.

PARS I. *DE IDEIS.*

PARS II. *DE JUDICIIS.*

VIII. *De*

PARS III. *DE METHODO.*

PARS IV. *DE ARGUMENTATIONE.*

INDEX CAPITUM ONTOLOGIÆ.

INDEX CAPITUM PNEUMATOLOGIÆ.

V. De

FINIS.